

re, quando mera coniectura nititur, animus est non pertinaciter contendere: De ratione vero cognomenti, quod haud dubie non abs re vrbi inditum est, facile illi cessero, qui certiora attulerit, Eboræ quidem Romanorum temporibus; postque Gothorum ætate satis clara fuit, in qua & nummicudebantur. Didici id nuper verum esse ex antiquo numismate; quod Ambrosius Moralis, historicus Regis Catholici, & Academia Complutensis Rethor, ad me misit: in cuius altera parte, facies sinistra est Cæsaris Germanici, his litteris: GERM. CÆS. AVG. In auersa vero cusa spectatur corona cum foliis, in cuius medio tribus versibus inscriptum legitur.

LIBERALITATIS IULIÆ EBORÆ.

10

Habeo & ipse penes me nummum, argenti asperi, & impoliti, rudi forma, vt Gothicis illis temporibus, cusum, Sisebuti regis Gothorum: in quo regis expressa imago, his litteris SISEBVTVS REX. In altera vero parte crucem ambit hoc Elogium: DEVS ADIVTOR MEVS: in medio autem: CIVITAS EBORA.

De Flamine, & Flaminica Eboræ. C A P. VII.

ERAT & Eboræ iisdem Gentium temporibus, Flamen sacerdos, ea fere dignitate præditus, qua apud Christianos hodie Episcopus est, Flaminicam item nobilissimam habebat, quæ non Eborensium solum sacerdos femina, sed & Lusitaniæ totius erat. Huius Epiraphium hodieque spectatur in limine infero fenestræ ædium Tribuni militum equestrium, hoc titulo.

LABERIÆ L. F. GALLÆ FLAMINICÆ MVNIC. EBORENSIS FLAMINICÆ PROVINCIAE LVSITANIAE L. LABERIVS ARTEMAS L. LABERIVS GALLÆCVS L. LABERIVS ABESCANVS LABERIVS PARIS L. LABERIVS LAVSVS LIBERTI.

Nec hic solum, sed & Lerix lapis exstat, Collipone, qui vicus præter nomen hodie nihil retinet, allatus, vbi diem clausisse extremum, humoq; condita eadem illa esse videtur, ex hac inscriptione.

LABERIÆ L. F. GALLÆ FLAMINICÆ EBORENSI FLAMINICÆ PROV. LVSITANIAE. *IMPENSAM FVNERIS. LOCVM SEPVLTVRÆ ET STATVAM *D. D. COLLIPPONENSIVM DATAM L. SVLPICIVS CLAVDIANVS.

* Impensam scilicet, fecit, & locum impetravit & statuam posuit.
* Decreto Decurionum.

Alterius item Flaminicæ mentio exstat in cippo non perinde magno, atque superiores illi, elegantius tamen inscripto: quem agricola quidam aratri dente exaravit, iuxta ruinas ædium, via montis Saracii: vbi & templum fuisse apparet: nam & Columnæ eius marmoreæ ibidem repertæ, vocaturq; vulgo adhuc locus ille, Mesquita, quod templum Arabice significat. Titulus eius basis.

D. M. S.

C. ANTONIO C. F. FLAVINO VI. VIRO IVN. HAST. LEG. II. AVG. TORQ. AVR. ET AN. DVPL. OB. VIRT. DONATO IVN. VERECVN DA FLAM. PERP. MVN. EBOR. MATER. F. C.

Id est: Diis Manibus Sacrum. Caio Antonio, Cæii filio, Flavino, Scuiro iuniorum hastatorum legionis secundæ Augustalium torque aurea, & annulo duplici ob virtutem donato Iunia verecunda Flaminica perpetua municipii Eborensis, mater faciendum curavit (hoc monumentum.)

Clarorum

Clarorum aliquot civium Eborensium monumenta C A P. VIII.

PRODVXIT & Eborā olim ciues aliquot egregios, quibus ob bene merita resque præclare gestas monumenta è publico statuit: Haud dubie compluribus aliis quam quorum extat memoria, sed ædium ruinis, scriptorum iactura, temporumq; vastitate intercederunt nomina, nihil vt de iis certo sciri queat. Duorum illustrium civium monumenta apponam, quæ adhuc in litteratis lapidibus perdurant. Basis est ingens, quam domi meæ asseruo, his verbis inscripta.

10
L. VOCONIO. L. F. QVIR. PAVLLO ÆD. Q. II.
VIR. VI. FLAM. ROMÆ DIVORVM ET AVGG.
PRÆF. COH. I. LVSIT. & coh. I. VETTONVM
LEG. III. Ital. OB CAVSAS vtilitates Q. publicas.
APVT ORDIN. ampliss. FIDELITER ET CONSTAN-
ter DEFENSAS LEGATIONE qua gratuita Romæ pro
R. P. sua funct. est LIB. IVL. EBORA PVBLICE IN
FORO.

20
Hoc est, Lucio Voconio, Lucii filio, Quirina (tribu) Ædili, Questori. Duum viro sextum, Flami-
mini Romæ, Diuorum, & Augustorum: Præfecto cohortis primæ Lusitania, & cohortis primæ Vetto-
num Tribuno Legionis tertiæ Italia, ob causas vtilitatesq; publicas, apud ordinem amplissimum, fide-
liter & constanter defensas legatione qua gratuita (suo sumptu) Romæ pro Repub. sua functus est, Li-
beralitas Iulia Eboræ, publico (sumptu) in foro (hanc statuam ponendam curauit.)

Epitaphium alterius ciuis Eborensis est, Cæcili Volufiani nimirum, qui militiæ clari-
us armis exstitit, quantum ex hac inscriptione colligere est, quæ ex fundamentis templi in
honorem B. Virginis Mariæ à Rege nostro exstructi, reperta est: cumque inspecturus ac-
currerem, fractum iam lapidem comperi, partemque alteram muro insertam, vt descri-
bendi potestas non fuerit. Reliquum fragmentum hæc præferebat.

30
... CILIO Q. F. VOLVS. ÆF. COH. II. C. R. X.
... PROVOC. VICTORI S. DONATO AB IMP. II.
... HAST. PVR. III. VEX. VIC. I. MVR. IIII.
... OBSI. NIB. H. IN R. P. SVA FVNC. BORENS.
... CIVI OPT. ERITA EIVS IN MVNIC RMOR.
... BASI ÆNE. D. D.

40
Nos ex coniectura, quæ deerant, supplere conati sumus. Q. Cæcilio, Q. filio, Volufiano, Præfecto cohortis
secundæ civium Romanorum, ex prouocatione victori, bis donato ab Imperatore 4. duabus, hastis
puris tribus: vexillis, ciuica (corona) vna, muralibus quattuor, obsidionali 4. Omnibus honoribus
in Repub. sua functo Eborenses ciui optimo, ob merita eius municipium marmoream (statuam) basi
anea (posuerunt)

Decreto Decurionum.

Excreferet nimium hic Commentarius, si harum inscriptionum singula explicarem:
alibi ea discere liceat.

De ætate, qua Christianam fidem Eboræ suscepit. C A P. IX.

50
ATQVE hic quidem Romanorum temporibus ciuitatis nostræ status fuit, clarus haud
dubie, quo & gloriari iure queat: at iustius multo, quod Christi fidem prima, aut in-
ter primas saltem Hispaniæ vrbes amplexa sit, sacrisque Christianorum initiata fuerit. B.
enim Mancius vnus è septuaginta duobus CHRISTI discipulis, ab Apostolis, in Hispani-
am Euangelii gratia missus, appulit Eboram, & de verbo Dei, fideq; Christiana concio-
nes frequenter habuit: cumq; gentē docilē sua natura cōperisset, magnos hic laboris fru-
ctus retulit: frequens enim ad eum credentium concursus fiebat, augebaturq; indies ma-
gis, magisq; numerus Christianorum: quos sæpe conuenire ad orationes Deo fundendas,
& ad Eucharistię communionē corporis & sanguinis CHRISTI, iubebat. Primus hic igitur
vrbis nostrę Episcopus & Apostolus exstitit. Nec in vrbe duntaxat Euangelium Christi
promulgauit, sed & in finitimis circumcirca locis fidei rudimenta docuit, donec Validi
Præfecti sententia, Martyrii coronam est consecutus. Corporis eius reliquiæ, extra vrbis
pomæria sterquilinio conditæ, fimoq; ne à Christianis, cultus religionis gratia auferren-

tur, tectæ. Quo modo abiectum, & ignoratum, annos aliquot corpus lauit, donec ciues ipsi aucto iam in immensum credentium numero, tutius agerent: Quo tempore, D. Mancius, rem tandem aliquando aperiendam esse ratus, nobili in primis viro secundum quietem locum ostendit; qui in prædio suo, quod ad hanc rem Diui nomen religiose conseruauit, honorifice condidit. Fama vero, miraculorumque vi crescente indies, mox Iulianus Comes, eiusq; cõniunx Iulia, matrona pia; ad quos locus ille reliquiis sacer hæreditate peruenerat, augustum templum, magnificumq; honori illius dedicauit: sed vetustate collapsum est, vt & turris maior pars, quæ non procul inde spectatur, concidit. In huius basilicæ medio conditæ D. Mancii Episcopi & Martyris reliquiæ: seruatæq; ad ea vsq; tempora, quibus Abderahemen Maurorum Regulus, urbem nostram, vt post referam, arctissima obsidione cinxit. Christiani itaq; metu eius, qua Barbarus grassabatur, tyrãnidis in Sanctorum reliquias in Asturum fines antea, salui vt essent, fugientes, eo deportarunt, & in agresti pago, qui villa noua vulgo dicitur, asseruari hodieq; ferunt, vno lapide ab oppido Methymnæ sicci fluminis (sic enim Hispani appellant) in Cœnobio monachorum, qui D. Benedicti institutum, normamq; sequuntur. Hæc eo breuiter narro, vt de vera vrbis nostræ religione, fide, & pietate lectori gustum aliquem darem, qui enim plura scire auet, is legat horarum Canoniarum Breuiarium Eborense, quod olim iussu Cardin. amplissimi, Henrici principis Lusitanicæ cõcinnaui. Profecto par erat, Martyrem hunc religiosius à nostris coli; quod & primus, & ab ipsis fere Christianæ fidei incunabulis solida hic fundamenta docendo iecerit: quæ sane res non in paruo beneficii loco ponenda est.

Post, Diocletiano, & Maximiniano imperantibus, & in Christianos adeo seue & immaniter grassantibus, vt Imperium omne cruentum & sanguine nobilitatum fuerit, si, vt par est, scriptoribus Ecclesiasticis fides habenda, tres hæc tempestate Eboræ ciues clari, morte pro CHRISTO fortiter obita, D. Vincentius, sororesq; duæ Sabina, & Christina, martyrio omnes inclyti: in hac ipsa vrbe nati, educati, & inquilini eo in loco, quo hodie Sacellum humile visitur, & ab illis nomen mutuatur: cuius tam inopis Sacelli, pro meo in patriam Diuosque amore, sæpenumero me pudet, ac si verum fateri volumus, Reipub. nostræ intererat, ignominia sibi loco ducere, multis ab hinc retro annis, labente ædicula, illam non instaurasse. Martyrii, & horum Sanctorum historia in Breuiario illo Eborenfi, & alibi à me concinnata est.

Eborensem Episcopatum per antiquum esse. C A P. X.

CATHOLICÆ apud Eboram Religionis antiquitate iam pertractata, affirmare liquet peruerterem hanc Episcoporum sedem fuisse. Misso enim facto Diuo Mancio, quo tempore fidei Christianæ infantia erat, & exiguus credentium numerus, Constantino Magno, Imperatore Christiano, Eborensum Episcopus, Quintianus erat, vt constat ex Concilio Iliberitano, vrbis Iliberorum; quæ & olim Eluira etiam dicta, penitus collapsa, & in ruinis sepulta: tunc vero Metropolis erat; Episcoporumque sedes, quæ post Granatam translata. Huic Concilio Quintianus adfuit, Decretisque quæ ibi agerentur, subscripsit: idque Romanis adhuc in Hispania imperantibus. Excepit hoc tempus Gothorum ætas, qui cum fere essent ingenio immani, & barbaro, & à Catholica fide alieni; ad ciuitatis nostræ statum quod attinet nihil dum comperi, si turrès illas vastasque moles, quæ etiamnum hodie spectantur, incenibus Romani operis adiectas, excipias. Architecturæ enim non omnino rudis, facile magnum à Romanorum substructione discrimen deprehendet: Eboram nihilominus difficilimis his Gothorum temporibus Episcoporum sedes permansit. Equidem domi seruo duas inscriptiones literis rudi modo insculptas: tamen quod de fidei Christianæ apud nos vetustate locupletes testes sint, magni, vt debeo, æstimo. In altero hæc verba leguntur.

DEPOSITIO PAULI. FAMVLVS DEI VIXIT AN-
NIS L. ET VNO REQUIEVIT IN PACE D. III.
IDVS MARTIAS ERA DLXXXII.

Alterius vero lapidis, quod ad rem magis, qua de agitur, pertinet, Epitaphium est Iuliani Episcopi Eborensum era Cæsaris I D C I I I. Qui est à Christi Natali annus quingentesimus sexagesimus sextus. Octo enim & triginta annis Æ R A Cæsaris Christi Natali-
lem in-

lem incepisse tradunt * Annales Hispaniæ. Lapidis vero hæc est inscriptio.

IVLIANVS FAMVLVS XPI. EPISCOPVS
ECCLESIAE EBORENSIS H. SITVS EST
VIX. ANN. PLVS MIN. LXX. REC. IN
PACE KAL. DECE. ERA DCIIII.

*Vi Refendim
Epist. ad Ioannem
Vasaum
docet, Amb.
Morals, &
Ioan. Genesini
Sepulveda.
Fort. Requiri-
tur in super.
Vel Receptis.*

Honorio primo, Pontifice Max. qui ad Annum CHRISTI, MDXIII. Ecclesiæ clauum Romæ tenere cœpit, Sisifclus Eboræ Episcopus fuit. Toletano enim Concilio quarto interfuit nomenque subscripsit; quod regni Sisenandi tertio anno celebratum. Subscripsit idem, & adfuit Toletano sexto, regnante Chintillano. Coacta rursus Toleti Carpetanorum octaua Synodo, Recefuinto rege, præsto fuit, subscripsitque Absentius Eborensium Episcopus. Eiusdem regis anno duodeuicesimo, Æra Cæsaris MDCCIIII. Quierat à CHRISTO nato sexcentessimus sexagesimus sextus, habita Synodus est Emeritæ, quæ Lusitaniæ tum Metropolis, duodecim eiusdem prouinciæ Episcoporum præfide Proficio Metropolitano: Adfuit, & subscripsit Eborensium Antistes Petrus: quam Synodum, ad hanc diem typis nondum editam, calamo exaratam, & quidem antiqua manu, in bibliotheca seruo. In duodecimo item Concilio Toletano, Flauio Erigio regnante, subscripsit nomen, & interfuit Tructimundus Eborensis Episcopus, vt in Conciliorum voluminibus legitur. Argumento est & Episcopatum diuisio à Bamba rege in vndecimo Concilio Toletano facta: Anno CHRISTI MDCLXXIX. Limites item quos Bamba Eborensium Episcopatu attribuit, sub Emeritensi Archiepiscopatu, quæ tunc Lusitaniæ Metropolis erat, his fere verbis designabantur, rudi illo sæculo. Eborensis Episcopatus termini à Cetobra ad Petram vsque: & Rutella vsque ad Paradam sunt.

Rasis, historici Arabis de Eborensi Episcopatu testimonium.

CAPVT. XI.

RASIS Arabs, siue maus, Maurus, historicus Miramolimi Regis Mauritanæ Africæ, res in Hispaniæ militia gestas Historiæ monumentis consignauit: Quæ ex Arabica lingua in Lusitanicam transtulit Magister Mafamedus, Maurus & ipse, ex eorum numero qui in Lusitania manserunt: Descripsit vero sua manu Ægidius Piresius, sacrificus Petreani Portellii, Ioannis Auoimi filii, eius qui Marmellarium oppidum equestri militia Diui Ioannis attribuit: vt & Genealogiæ liber Petri Comititis, Dionysii Regis filii, constat, Tit. 36. §. 9. & Tit. 22. §. 3. de Susanis, vbi multa de Petreanis leguntur. Quæ quidem Rasis historia, quod esset scriptor historiæ, omnisque antiquitatis, ac rerum Romanarum ignarus, fabulas sæpe veris narrationibus permiscet: veruntamen cum Mauro- rum imperium attingat, ordinem temporum seruat, veritatisque hic rationem habuit: De Constantini itaque Magni ætate verba faciens, ab Imp. illo Hispaniam in sex Episcopatus, sic enim vocat, quos Metropoles dixisse oportuit, diuisam, singulisque certum oppidorum numerum assignatum refert. De quinta vero Metropoli agens, quam ille Emeritam fuisse affirmat, Episcopatu quinto (inquit) Emeritam attribuit, Pacem Iuliam, Olyssipponem, Exombam, Abraniam, Conimbricam, Lamecam, EBORAM, Cauriam & Lapam. Sed licet Maurus non admodum fide dignus sit, proximo capite Constantini ætate Eborensium Episcopum fuisse Quintianum ostendi, vtque ex Bambæ regis Gothorum Hispaniæ diuisione constat, Emeritensi archiepiscopatu Eboræ est attributa. Quæ cum ita sint, efficitur, antiquissimam esse Episcoporum sedem Eboram. Ad Hispaniæ vero ciuitates quod attinet, earumque fines, sic idem Rasis, de Pacensi loquens: Huius limites, partim Emeritam, partim Sanctarenam attingere. In Pacensi item agro oppidum esse Ebrim ab antiquis appellatum, quæ hodie Eboræ, cum finibus suis. At ille, quid scriberet, non intellexit. Nomen itaque missum faciamus, quod homo Arabs omnium rerum imperitus, ignorauit.

Romani vero in Lusitania tres conuentus fori constituerunt, quo finitimi, tanquam ad Coloniae Metropolitani ius petaturi, & de controuersis, quæ orientur, disceptaturi, conuenirent: quemadmodum hodieque in Gallia forum iuris publici Lutetiæ Parisiorum, & Tolosæ constitutum perdurat: & in Castellæ regno, prætorium Vallisoletanum, & Granatense. Lusitania itaque in tres partes diuisa, singulis Coloniam assignarunt, quo commodius finitimi populi conuentus agere possent: Prima Emerita fuit, quo Vettonum omnis ora, quæ Lusitaniæ pars est, conuenerat. Pacensis altera, quo Algarbienses, Cam-

penfes, & Tagi accolæ concurrerunt. Tertia Sanctaren, quo Transtagani, Durium vsque populi conuentus egerunt: quomodo fere hodie Correcturæ sunt, intra Tagum, & Anam flumina, & extrema duræ & corū qui trans montes accolunt. Erat itaq; inter Pacensis iuris oppida, Eborā sita, non autem in communis agri finibus: & municipium cum esset, suis legibus regebatur, non Pacensium: nisi forte controuerfis eorum dirimendis, iurique administrando eorum qui ad suum forum non pertinerent. Equidem non inficior fieri potuisse, vt cum iam omnes, qui Rom. imperio parebant, ciues facti essent, quod M. Antonini Imp. ætate accidisse supra retulimus, Eborenses tunc Pacem Augustam conuenisse, vt & Olyssipponenses Sanctarenam. At longe aliud est, quod Maurus narrat, in agrorum finibus situm habuisse: Imo fuit cum Pacenses & Eborenses inter se de terminis adeo contendunt, vt Dacianus Hispaniæ Præses, Diocletiano & Maximiano imperantibus, finium regundorum, litiumque dirimendarum gratia venire coactus sit, vt copiose nuper ostendi Epistola ad Bartholomæum Quebedum Canonicum Toletanum; Dacianum Eboram venisse docens; vbi & in vincula Martyrem nostrum inclytum S. Vincentium, cum fororibus, compingi iussit.

De Eboræ, à Mauris capta, statu. C A P. XII.

CA P. T. Æ à Mauris Hispaniæ initiū, idem Gothici imperii finis exstitit. Hinc enim Saraceni rerū in Hispania potiti sunt: cuius ætatis cum omnia barbariei plena essent, vix 20 memorix quidquam mandatum, quid Eboræ gestum, reperias: neque si sit, legere admodum est operæ precium. Adscribam tamen quæ ex Rasi Arabe comperta habeo. Æra Maurorum, hoc est, à Mahometicæ sectæ exordio, anno CXXVII. Qui à nato Christo fere 1000. Abderrahemenes, Moabiæ filius, auspiciis Miramolini Meurusiorem reguli in Hispaniam traiecit, vbi iam à Maurorum ingressu, regnabat Ioseph: Cum quo prælio dimicans, victum interemit: occupatis locis omnibus, quibus ille imperitabat, fortunas tamen incolis integras reliquit. Iamque Mauris deuictis, Hispali castra mouet aduersus Christianos, occupauitq; Pacensem urbem, Eboram, Sanctarenam, & Olyssipponem, totamque adeo Algarbensium regionem. Filius Abderrahemenis fuit Abrahami nomine, qui patris castra secutus, vxores aliquot in Pacensi vrbe, feminas genere claras, formaq; venusta, reliquit: auditaque insigni pulchritudine filix Iosephi, qui regno exutus in prælio nuper ceciderat, & Eboræ asseruari in angusto ædificio à patre extrui iussu, Abrahami eo legationem, cum donis quantiuis pretii misit. At illa, memoria reperens fortasse ignobili illum loco natum, & domi obscurum, patremque suum victum occidisse, munera repudiavit: legationique minime acquiescens, conditione illius vsuram se negauit: quin statim cum fratre (qui Eluiræ Granatensis regni oppido, omnique illi oræ, locisque finitimis imperabat, ex pacto & fœdere cum Abderrahemene initio) rem omnem communicauit. Qui hinc grauem sibi iniuriam factam interpretatus, paratis quantum pro relicuit, copiis Pacensem urbem obsidione cinctam, occupauit: Vxores hinc Abrahami cepit, tresq; pedisequas, filiasq; pulcherrimas probri causa vi constuprauit: mox ad sororem suam eas 40 deduxit, his fere verbis cōpellans: Eat nunc Abderrahemenis filius, quamq; tibi contumeliam parabat, eam nunc accipiat vel inuitus: Domumque vnde venerat, reuertit. Cognita mox ab Abrahami re omni, copiis insecutus, Granatensi vrbe, quæ & illius erat ditionis, clausum obsedit: sed à tergo Iosephi filius incurrens, exercitum illius fufum fugatumque cecidit, victumque illum manu cepit: at veritus Abderrahemenem regem, imperatis obsidibus, & fide publica, numquam memorem illum fore calamitatis bello acceptæ, aut ignominix, nec sibi, fororiue molestum vnquam futurum, statim emisit. Non fugit tamen ea res Abderrahemenem patrem, qui Iosephi filiū bello aggressus, manu conferta superauit, duosque filios cepit: ipse fuga delapsus Toletanum in agrum se recepit: vbi possessionibus exutus, priuatus viuere & latere dum vult, à rege Abderrahemene submissis 50 percussoribus, interfectus est: caput regi allatum. Hæc ex Rasi descripsimus, quæ ad eum obscure dicta erant, coniectura vt opus, diuinationeque videatur, Captis igitur à rege Abderrahemene Pace Augusta, Eborā, ceterisque iam à Rasi nominatis vrbibus, quas Christianis ademerat, efficitur Iosepho adhuc regnante, Christianis paruiffe, liberatque fuisse: Hinc victis Mauris subiectas. Exstruxit itaque Iosephus ædes Eboræ: cumque regnum, ereptum iri auguraretur, Christianis potius, ob fidem & continentiam illorum, virtutes Mauris prudentioribus fatis iam perspectas, vnicam filiam credere voluit; cum quod feminei sexus, & in puerili adhuc ætate esset, qua facere iniuriam Eborensibus non posset, tutiusque ibi depositum asseruatum iri putauit, quam apud Arabes

Arabes suos, homines infidos, impuros, & incontinentes. Ex his omnibus illud etiam sequitur, ex quo primum Maurorum opera occupata Eboræ est, annos iam abiisse septingentos fere, & octoginta.

Qua tempestate Olyssippo, Eboræ, & Pax Augusta à Mauris captæ.

CAP. V. T. XIII.

MISERA fane vr̄bis nostræ conditio fuit sub Arabum imperio, & vt iam dixi, cognitu ferme indigna. Vnde constat Mauros cæli benignitate, & soli bonitate vehementer delectatos, sedem hic potissimum fixisse: vix vt circum circa locus sit, quin Arabicum nomen, in hunc vsq; diem retineat, inditum à Maurorum principibus, & Satrapis: qui inter se, vr̄be capta, agros eorum occupatos partiti erant. In his, verbi gratia, Almancor, Ben-hamorek; Benha-falck, Ben-cafed, Benha Mexi, & id genus alia nomina mere Arabica agris, vicis, & fluminibus imposita. Atq; hic quidem infelix Eborensum status: durauitq; donec Deo Opt. Max. visum, armaq; contra capta sunt à regni huius incolis, virtute industriaq; Alfonsi Henriquez Regis primi, & bellica laude insignis: quem honoris gratia libenter nomino, adiutis. Quo tempore è seruitute, qua annos amplius quadringentos oppressa vr̄bs iacebat, tandem aliquando in libertatem vindicata, Christi fidem Religionemque recepit. Duartus Galbanus, qui res præclare gestas Alfonsi Henriquez litteris mandauit, quo id anno gestum sit, non refert: illud obiter duntaxat, oppida trans Tagum occupasse, Alcacarem, Eboram, & Serpam, reliquasq; ad Pacensem vr̄bem. At Petrus Comes libro Genealogiarum Tit. 7. §. 5. annum etiam adscripsit: Regem Olyssipponē recuperasse referens Æra Cæsaris M. C. LXXXV. Mense Octobris, qui est post natum Christum, M. C. XLVII. Quod verum esse cum ex Annalibus didici, tum maxime ex duabus lapideis Inscriptionibus quæ in summa sacra æde Olyssipponē etiamnum exstant: Quarum vna antiquior, litterisq; melius conformatis, ad eam portæ, quæ Orientem versus spectat, partem interiorem, his versibus legitur.

*Tunc anni Domini, cum centum mille notantur,
Cumque quater denis, quattuor, atque tribus,
Quum per Christicolæ vr̄bs est Vlisbona capta,
Et per eos fidei reddita Catholica.*

Olyssippo.

ANNO
1147.

Altera ad dexteram portæ præcipuæ partem spectatur interius eademq; refert: illud tamē addit, festo die Sanctorum Martyrum Crispini & Crispiniani, qui octauo Kal. Nou. (hoc est, 25. die octob.) agitur, recuperatam vr̄bem. Exstat & apud me Gothorum regum Epitoma, vsq; ad Alfonsum Henriquez latine, vt tum quidem tempora patiebantur, conscripta, cum his, anni, mensisq; die mirifice consentiens: Addit tamen feria sexta gestum esse, hora diei sexta, post mensium quinque obsidionem, Iunio mense à Rege inchoatam, & Octobri finitam. Hactenus de Olyssipponē, de qua cum sit omnium Hispaniæ vr̄bium celeberrima, precium operæ erit hæc cognouisse. Ad Eboram nostram quod attinet, idem Comes, receptam à Christianis narrat, Æra Cæsaris M. CC. III. Qui anno Christi nati M. C. LXVI. respondet: Pacem vero Augustam Cæsaris Æra, M. CC. Quarto nimirum ante Eboram recuperatam anno: à quo Epitoma illa nihil discrepat: addit tamen quorum opera occupatæ vr̄bes, his, vt seculæ illa ferebant, verbis:

ERA M. CC. pridie Kalendas Decembris, in nocte S. Andrea Apostoli ciuitas Paca, id est, Begia, ab hominibus regis Portugalis domini Alfonsi, videlicet Ferdinando Gonsalui, & quibusdam aliis plebeis militibus nocte inuaditur, & viriliter capitur, & à Christianis possidetur, anno regni eius. 25.

Eboræ.

Pax Augusta.

ERA 1204. Ciuitas Elbora capta est, & deprædata, & noctu ingressa à Gilraldo, cognomento sine pauore, & latronibus sociis eius, & tradidit eam Regi Dn. Alfonso. Et post paululum ipse Rex cepit Mauram, & Serpam, & Alchonchel. Et Culuohi castrum mandauit reædificari. Anno regni eius 39.

Giraldu Impauidu.

Recepta itaq; Eboræ, Giraldu cognomento Impauidi opera, Anno Domini 1166. Alfonso Henriquez nonū iam & trigessimū annum, rerum in Hispania potito, quod regnare scriptor ille appellat: ducto regni initio ab æra Cæsaris M. C. LXVI. Quo tempore solemnī Diui Ioannis Baptistæ die, vitricum pugna vicit, & exinde regionem illam armis tenuit. Historicus vero rerum ab Alfonso Henriquez gestarum, regni initium ad Cæsaris Æram M. C. LXVII. retulit, cum quinque Maurorum reges in Ouricensi agro Alfonso debellauit, idque vndecimo post anno. Quem si auctorem sequimur, recuperata Eboræ est anno XXVIII. regni Alfonsi. Cumque res à militibus gesta ducibus adscribi plerunque soleant; hinc factum Petrum Comitem, Epitomæ concinnatorem; Regi

solidam receptæ Eboræ laudem adscribere: at ego mearum esse partium duxi rem omnem, prout gesta est, referre. Sed de vrbe Pacensi, quando & Historicus ille à Comite, & Epitoma diuersa narrat, in præfens omitto.

Ebora, quæ ratione in Christianorum potestatem redacta, restitutaq; sit.

C A P V T X I I I I.

GIRALDVS ille Impavidus cognomento genere nobilis, regnante Alfonso Henriquez, quum bellorum, vt fit, tempestatibus, rebusque identidem nouis exorientibus, nobi-
les moribus dissolutis esse solent commisso itaque, de quo tamen nihil certi habeo dicere ¹⁰
aliquo fortasse facinore, eam Regis indignationem incurrit, vt aula excedere, Christiano-
norūq; vrbibus cogere abire, quo regis manibus effugeret. Trans tagum itaq; fugit, quæ
tum ora à Mauris tenebatur; Hismaro Regi, ei qui in campis Ouricis victus fuit, se tra-
dens: Quo quidem rege iubente, in syluestribus Muri, sic dicti, locis, copias opesque
collegit, castrumq; cuius hodie, præter Giraldi nomen, nihil est reliquum, exadifica-
uit, vbi cum suis se continebat, inito cum Mauris pacis fœdere. Cumque rebus gerendis
aptus esset, mox flagitiosi complures homicidæ atque proscripti ad eum se contulerunt:
Quemadmodum ad Dauidem, dum a facie Saul fugeret, vt sacræ litteræ referunt, *conue-*
nerunt omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ere alieno, & amaro animo: & factus est eo-
rum princeps. Creuit itaque in immensum militum numerus: nec dubium, quin hostiles in ²⁰
Christianorum agros excursions, cum Mauris arctissimo fœdere iuncti quotidie fece-
runt. Quare Epitoma illa Historiæ Lusitanicæ, latrones eos & prædatores appellat. Cum-
que iam trans Tagum castrametaretur Alfonso Rex, veritus Giraldus, ne in se expeditio-
nem suscepisset, quo potissimum facinore in gratiam cum illo rediret, sibiq; Regem deme-
reretur, cogitare. Tandem in eam venit sententiam, nihil Deo O. M. acceptius, nihil regi
gratius, nihil denique ad nominis sui existimationem, decusque vtilius a se præstari posse,
quam erepta Mauris Eborensi vrbe; astu & fraude potius militari, quam viribus & sangui-
ne fuso tot Christianorum, quibus expugnatio illa, si aperto Marte, armisque res gerere-
tur, constaret. Quæ dum animo consilia versat, Mauris iam vti familiaris, viasq; vrbis exi-
tusque inuestigare studiosius, custodias explorare. Et quamquam non satis illi fiderent ³⁰
Mauri, illo præsertim tempore, quo de Regis expeditione rumor increbuerat, suspecta-
rentque Giraldum, metu ancipiti hæreret: vt de Dauide Philistæi, hæc fere in vulgus spar-
gere: *Quomodo aliter poterit placare dominum suum, nisi in capitibus nostris?* Nihilominus, quæ
ad rem, quam moliebatur, essent necessaria diligenter Giraldus adornabat. Cumq; campe-
stri loco, pauloque editiore sita sit Ebora, vt nusquam colliū obtentu insidiæ tendi queant,
nisi ad D. Benedicti, ideo turrim ibi Mauri excitarunt, qua tanquam è specula nota oppi-
danis signa darent: Hanc primo occupare in animo erat Giraldo. Cognito itaq; Maurum
duntaxat, cum filia ibi excubare, noctu cum paucis militibus seorsim inter duos colles se
abscondit: iussitque reditum suum præstolarentur, vel, si res postularer, dato signo ex-
templo aduolarent: ipse vero incertos euentus nihil reueritus, sed, quod illi cognomen ⁴⁰
datum erat, animi impavidus, recta ad turrim contendit, sudes, perticasq; ferens præacu-
tas, quibus, parietum eas foraminibus infigens, ad fenestram conscenderet: nec enim nisi
scala demissa aditus ad eam patebat: Vtque excubantium oculos falleret, ramis se virenti-
bus induit. Accesserat iam proxime turrim, sed non ex aduerso fenestræ, nocte intempe-
sta: & Dei benignitate commodam iam Maurus statione vigiliaque decedens, cubitum
concesserat, filia excubare iussa: quæ (vt imbecillis est ille sexus) parū sollicita quid rerum
gereretur, dormitans fenestræ limini incubabat, & quieti se somnoq; dedit. Lætus itaq; be-
ne gerendæ rei occasione oblata Giraldus, exutis, quibus se accinxerat, ramis arborum,
perticis conscendit, puellamq; somno oppressam, continuo arreptâ præcipitavit, vt ne cla-
morem quidem edere, patremq; excitare mortua potuerit. Turrim itaq; ingressus, & Mau- ⁵⁰
rum, qui altum stertebat, ense obrūcat, speculaq; potitus est. Cumq; intempesta nox esset,
vt nullo adhuc signo sociis dato, ad suos per tempus accedere posset, Mauri cæso capite, &
filix, vtrunq; manibus gestans accurrit, animoq; addito, & felici omine victoriæ ostenso,
rei bene gerendæ opportunitatē prædicabat. Vna itaq; omnes ad turrim aduolant, cū auro-
ra nondū illuiceret, ignē quamprimū in summa specula excitat, dato oppidi vigilib. signo,
eum agrum, in quo nunc B. Virginis ædes sacra (vulgo ab incolis, do Spinheiro, vocatur)
frequentatur, Christianorum incurSIONIBUS infestari. Iussit itaq; suorum aliquot circū cir-
ca factō agmine cursitare, strepitumq; qui audiretur, edere. Vigiles continuo opidanos ad
arma conuocare: & cognito exiguas ibi Christianorum turmas volitare; excurrendi eos,
debel=

1. Regum 12.6.

1. Regum 29.6.

debellandique cupiditas incessit. Egressi itaque præpropere, nullo ordine, ac patentibus vrbis portis: nec ita longe progressis oppidanis, Giraldus urbem inuasit & obscuræ noctis obtentu, tumultu, vt fit, exorto, vigiles custodesq; portarum hostes esse ne suspicabantur quidem, donec res ipsa declarauit, vi & ferro grassantibus nostris, cæsis primum vigilibus, custodibusq; portarum, quibus rursus suorum præsidio munitis, reliqui vicatim discurrere & obuios quosque obruncare, paucos licet: quod & maior pars sepulta somno iaceret, alii vrbe egressi essent: In ostiis, quæ pessulo munirentur, obicem obicere, ne vel adibus egredi inquilini ipsi possent. Sic urbem discurrendo obire. In aliorum ianuis per annulos quibus trahuntur fores, vectes exiguas, quas eo consilio plures attulerant, traicere ne domibus egressi patresfamilias, exorto clamore aduolare, armisque sumptis gregem facere possent. Ea fuit rei gestæ festinatio, tamque prudens consilium, vt cum iam ad arma clamatum est, vrbs à nostris occupata teneretur, Vrbe egressi ciues, audito armorum signo, turmam persequi cessant, retroq; vnde venerant, redeunt: sed in vrbis portis male à nostris accepti sunt: neq; cognita, ingredi nihilominus conati, repulsi tandem sunt, suorum facta iactura. Turma enim Christianorum à tergo eos adoriri, vt vtrimque domi foresq; hostilibus armis premerentur. Cumq; tenebrosus adhuc esset, Sole nondum exorto, & vt fit in tumultu, rebusque subitis, omnia re ipsa maiora viderentur, abiectis armis, terga vertentes fugam fecerunt. Nostri insequi pauidos fugientesq; detrectant; vrbis custodia potius intenti. Rebus iam ex animi sententia gestis, atq; compositis, Giraldus gaudio exiliens urbem militibus diripiendam dedit, à cæde modo temperarent. Pronum id suis q; vix Mauri, qui arma contra ferrent, reperirentur, eiectionis vrbe aliis, aliis contrucidatis, non paucis domi suæ clausis, & quis eos exitus maneret incertis, efferre domo pedem non ausis. Direpta iam vrbe, vitam, vestesq; nec quidquam victis aliud Giraldus indulfit. Diffugerant itaque plurimi: plerique se Christianorum potestati clementiæq; dederunt: & ad Emmanuelis regis vsque tempora, cum regno omni Lusitaniæ eiectionis Mauri sunt, perdurarunt. Misso mox ad Regem Alfonso Legato, de capta Ebora, lætum ipsi nuncium attulit: Rogare, urbem in suam potestatem recipiat; sibi, facinorumq; sociis ignoscatur: Laudare itaque Rex, libenterque accipere lætum nuncium, legatosq; benigne amplexus, gratiam se habere ostendit. Ad urbem vero quod attinet, non esse, cuius eam præsidio potius committeret, quam qui eam virtute esset consecutus. Sic Ebora in Christianorum potestatem venit, hic primus vindex & assertor Giraldus: cuius gratia hodieque in clypei insignibus vrbs præfert equitem cataphractum, equo vectum, strictum enses gestantem: duo item capita, viri vnum, alterum puellæ. Sunt vero qui historiæ ignari, Diuum Iacobum esse fingant, Mauros trucidantem; Alii Eborum, nescio quem, & Euorinum comminiscuntur, alii alias aniles fabulas venditant: sed vt narraui, res omnis gesta esse creditur.

Eborarursum Episcoporum sedes constituta, & quis primus Eborensium Episcopus.

CAPVT XV.

VRBE à Christianis recepta studiose operam dedit, qua erat pietate Alfonso rex, pristina Episcoporum sedes, vt antea, fieret Ebora. In anniuersariorum templi huius libris, primum ab vrbe Christiano iuri reddito, Episcopum fuisse comperi, Pium: cuius corpus conditum est ad Diui Ioannis Baptistæ altare, quod nunc corporis Christi Eucharistiæ sacrum est. Decreta Ecclesiasticorum beneficiorum tulit: & annuis Episcopatus redditibus, in tres portiones diuisis, duas vsui suo, tertiam Canonicorum corpori attribuit. Templum item hoc erexit, iactis fundamentis XXII. Maii, Aera Cæsaris. M. CC. XXIV. qui erat ab ortu Saluatoris nostri carne induti millesimus centesimus & octogesimus sextus; capta vero vrbis, seu potius receptæ, annus vicesimus. Primum itaque lapidem posuit sub basi altaris S. Mancii, quod hodieque ante sacellum visitur. Interea dum ædes sacra extruitur, sacris operabatur in ædícula vicina ei vsui consecrata: quæ post vrbis Curia fuit, vbi forenses actiones agerentur: & hæud scio quo iure profano vsui ei, qui à secretis est Reipub. relicta est, cum multa ibi sepulcra sint eorum, qui bona fortunæ ex testamento Ecclesiæ legarunt. Alter Episcopus Seuerus fuit, qui primus ibi Canonicorum Decanus fuerat: cuius mentio in quadam fori vrbis huius consuetudine adhuc exstat. Hinc continua serie Episcopi creati ad annum vsq; Domini M. D. XLI. quo Ioannes tertius eius nominis, Lusitaniæ Rex à Paulo 3. Pont. Max. impetrauit, noua vt Metropolis fieret, manetque hodie. Primus eius Archiepiscopus est, sitque precor quam diutissime, Henricus, Cardin. infans Portugalliæ.

De prima Ordinis militaris, quæ hodie Auis appellatur, apud Eboram origine.

C A P V T X V I.

CH R I S T I A N I S I A M Eborensi, vt dixi, vrbe potitis, quod situ, naturaque aptus locus videretur Mauris debellandis, placuit Regi caput hic, magistrumque equestris militiæ, quæ in Castellæ regno Calatrauensium, in nostro vero Auifensium nuncupatur, constituere, eo consilio, vt inde crebris excursionibus fidei nostræ hostes acerrimos, pro viribus paulatim expellerent. Confirmauit militarem hunc ordinem Auifensium, Eboræ agentium, misso diplomate Innocentius tertius, qui Cælestino successit, Pontificatus anno quarto, C H R I S T I vero nati M. C C I V. regnante Sanctio, qui Alfonso Henriquez parente mortuo, regnum hæres proxime excepit. Sedes horum militum, qui Gallica voce *Freres*, hoc est, fratres dicti; vbi hodie locus ille Freiria appellatur, & in ipsa vrbis arce, quæ muro & turribus ab vrbe seclusa erat: vt etiamnum hodie apparet in situ ædium Didaci Castri, vr-
bis nostræ Tribuni militum. Iuxta ædes item Comitis Portalegrii sacellum tenebant, Di-
uo Michaeli archangelo sacrum, vbi stans horis res diuina peragebatur. Atque hæc qui-
dem Ordinis huius militaris apud Eboram origo, durauitque ad tempora vsque Alfonsi
tertii. Tres vero Eboræ Magistri equitum fuisse memorantur: Primus Ferdinandus Roi-
zium Mentellus, summæ vir auctoritatis: cui Alfonso Henriquez Rex Mafaram oppidu-
lum, Mauris ademptum donauit. Alter frater Gandifalonis Viegas. Tertius Alfonso, 20
Anensius, quo Magistro equitum Auifium milites commigrarunt, quo propius a Mauris
abessent, aut vt citius debellare eos possent, vel alia quauis, quæ Regi placeret, causa.

E P I L O G V S.

HA C T E N V S de Eboræ Antiquitatibus hæc dicta sufficiant: nec me fugit, esse & alia scitu non indigna, sed quod ea in annalibus regum, Priuilegiis, & Fori consuetudinibus vrbis nostræ legantur, prudens prætermisi. Parui itaque & morem vobis gessi, viri amplissimi: quare finem faciam, adiecta tantum Coronidis vice Inscriptione, quæ in templi columna legitur, in S. Crucis sacello: quod ad rem faciat, vrbis nimirum splendorem, 30
ciuiumque frequentiam ostendens. Alfonso enim Lusitanix Rex quartus, Soladense prælium commissurus, centum equites, & mille pedites Eboram eduxit ad pugnam. Titulus autem Latine sic habet.

*AERA. M. CCC. LX XVIII. Rex Maurorum Aben Amarinus, transmarinarumque regionum, viribus suis fretus & opibus cismarina aggredi armis cepit, cum Forra regis Tuneti filia, vt Christianos debellaret, funditusque deleret: Tarifam (quæ Tartessus veterum putatur fuisse) obsidione cinxit militarium copiis innumeris. Rex itaque Castellæ Alfonso, ratus, quod res est, ancipitem esse bellorum aleam, legatione ad Alfonso 4. Lusitanix Regem socerum suum missa, auxiliares copias postulauit. Qui nihil cunctatus, præsens ipse, omnibus subsidiis suppetias tulit. Terminos itaque regni statim attigit, suosque pene subsequi iussit. Eboram 40
centum equitum turmam, cohortem vero mille peditum euocauit. Gundifaluo Stephano Caruoero signa ferente. Commissum prælium cum Mauris Granatæ regem Lusitanix rex adortus est, Castellæ Rex Aben Amarinum, Deique Opt. Max. benignitate, Maurorum vix cladis nuncius effugit; sed ad interuersionem cæsa sunt, nostrorum opera, innumerabiles hostium copię, Reges Aben Amarinus, & Granatensis fuga salutem quæsierunt. In tentoriis Regis Aben-Amarini magna auri vis & argenti in prædam Castellæ Regi cessit: Interfecta & Forra, multæque adeo matronæ ex opulentioribus, Maurorum & peditum sequę. Filius item Aben-Amarinus captus, consobrinus, & nepos. Deus itaque pro tot, tantisque in Christianos collatis beneficiis, sit benedictus
in secula A M E N.*

IACOBI MENOETII VAS- CONCELLI I. C. LVSI- TANI.

DE EBORENSI MUNICIPIO, COM-
mentarius.



NTIQVITVS hanc urbem Eboram dictam fuisse, & sic ab eruditis nominari debere, constat tum ex Plinio, Pomponio Mela, Antonini itinerario: tum etiam ex antiquis Conciliis in Hispania celebratis, & vetustis lapidum inscriptionibus, intra urbis ambitum, & in eius agro reperitis, de quibus mox agemus. Vnde apparet locum Ptolemei deprauatum esse, qui hanc urbem *Eburam*, & quandam in Bætica sitam, *Eboram* appellat, cum è diuerso nostra hæc *Ebora*, altera vero *Ebura*, sit, cognomen-

10 *Cerealis* dicta, teste eodem Plinio, libro tertio, cap. 2. & Pomponio, qui ex eadem Bætica prouincia ortus, Mellaria, nempe oppido, fide dignus est testis. Hæc nominis similitudo, Strabonem etiam fefellit, & Stephanum in libro de Urbibus, qui Strabonis verba minus exacte perpendens, quod alterius erat, alteri attribuit, Eburam pro Ebora accipiens, nec mirum est istos, cum Græci fuerint, & in longinqua regione nati, deceptos nominum propinquitate fuisse.

Latinos vero Geographæ scriptores, quales fuerunt, quos antea nominauimus, non est verisimile hæc nomina incognita habuisse, quos hac in parte nos sequimur. Alteram etiam Eboram Ptolemeus nominat, non procul à Cæsaraugusta. De nominis autem, & huius urbis origine, & quisnam primum eam ædificare cœperit, quis quæso certi aliquid asserere queat, in tanta rerum antiquarum obscuritate, nisi qui fabulosis, & confictis originibus, otio abuti, & bonas horas malè collocare cupiat? Datum hoc fuerit priscis rerum scriptoribus & vt ita dixerim, Gentilitati sit venia, quod urbium primordia, ad deorum, dearumque fabulas, plusquam aniles, referre sint ausi. Nobis, qui eorum superstitionem, non minus ridendam, quam miserandam censemus, veritas in primis constare debet, & nihil est asserendum, nisi quod pro comperto habetur, aut grauis alicuius auctoris testimonio, aut verisimilibus coniecturis, aut ipsis etiam inscriptionum veterum monumentis. Sed ne omnino hanc curam neglexisse videamur, non pigebit ea, de vtraque re adducere, quæ nobis sæpe, diuq; de nomine cogitantibus, apud Geographos, & ceteros scriptores occurrerunt. Plinius itaque libro tertio capite primo scribit Marcum Varronem asserere in vniuersam Hispaniam peruenisse Iberos, & Persas & Phœnices, Celtasq; & Pœnos. Et vt cæteros modo missos faciamus, de Celtis, seu Gallis, idem asserit Strabo libro tertio, tradens eam Lusitaniæ regionem, quæ est inter Anam, & Tagum maiori ex parte, à Celtis incoli, & paulo post, cum de Nerio agit promontorio, ita habet: *Extremi Arabri incolunt, circa Nerium promontorium, quod Occidentalis, & Aquilonaris finis est lateris. Circumbitant Galli, qui colentes Anam fluium cognatione contingunt.* Hæc ille. Ex quibus aperte constat, hunc tractum, vbi Ebora sita est, à Celtis fuisse habitatum, qui ante Cathaginienfes, & Romanos in Hispaniis rerum potiti sunt. Verisimile est igitur ab Eburonicibus Belgis, seu ab Eburonicibus Celticæ Galliæ populis, hanc urbem, & conditam, & denominatam fuisse, vt Heluiam, seu, vt vulgo dicimus, Heluensem ciuitatem, ab Heluis Gallis originem trahere, suo loco dictum est. Tam pertinax autem fuit, tamque diuturna Gallorum in Hispania mora antiquis illis temporibus, vt cum lingua, & moribus Hispanis simillimi haberi vellent, Celtiberi dicti sint. Linguam autè ab illis vsurpatam, eam fuisse puto, quæ hodie Cantabris in vsu est, & Vasconica dicitur, vel à Vasconibus vltimis Hispaniæ populis, vel ab Aquitanis, qui etiam Vascones dicuntur. Hanc autem Vasconicam linguam Celtis communem, aut etiam Celticam fuisse, confirmat versiculus Ausonii Burdigalensis, cum patriam celebrat, & fontem ibi scaturientem nimis laudibus extollit in hunc modum. Libet enim Carmina apponere, quia digna sunt, & quia Burdigalensibus, quibus puerilis ætatis cultum debeo, obiter gratificari cupio:

*Salus fons ignote ortu, sacer, alma, perennis,
Viree, glauce, profunde, sonore, illimis, opace.*

Salus urbis genius, medico, potabilis haustu.

Diuina Celtarum lingua, fons addite diuis.

Non Aponus potu, vitrea non luce Nemausus

Purior, equoreo non plenior amne Timanus.

Diuina Gallicè fontem diuinū significare innuit, cuius nominis forma, & sonus Vasconicæ Cantabrorum linguæ apte quadrat. Sic enim finiunt vrbium & complura alia vocabula, & hæc vox, *Oza*, apud illos bonum seu diuinum sonat.

Aquitanos autem non modo lingua, sed etiam corporibus, Hispanis magis, quam Gallis similes fuisse, suo tempore, testatur Strabo initio libri quarti, qui etiam asserit Callaïcis, Asturibus, & Cantabris, vsq; ad Vascones, & Pyrænen eandem fuisse viuendi formulam. Nostram igitur Eboram, ab Eburronibus Galliarum gente, conditam, ac denominatam fuisse, verisimile mihi fit. Nec me latet, etiam in quadam Italiæ parte, Eburinos populos Plinium collocare, libro tertio, capite vndecimo: & Pomponium Melam in sinu Gaditano, castellum Eboram iuxta littus: id enim passim cōtingere videmus, vt in diuersis orbis partibus nonnulla oppida eodem fere nomine censeantur. Sed vtrum Celtæ illam condiderint, an vero iam conditam, & ædificatam inhabitauerint, merito dubitari potest. Quantum autem cōiecturis assequi licet, ego eos conditores huius vrbis fuisse crediderim: quia ante Quintum Sertoriū, muris caruisse videtur, ipse enim se mœnibus eam cinxisse testatur. Vnde suspicari fas est, à Gallis, quorum mos erat vicatim habitare, originem traxisse, qui præter hoc municipium, minora etiam quædam oppidula, suæ gentis nomine insignita reliquerunt: vt Eboram à monte, in quo sita est, montanam dictam, distantem ab hac, de qua agimus viginti circiter passuum millibus, & Eburc Britium sitam inter Scallabin, & Olyssipponem, cuius meminit Plinius, libro quarto, capite vigesimo primo, vbi corrupte, *Eburo, Britium*, legebatur, quod primus omnium Resendus noster indagauit, minime ab his, qui antea in eum auctorem obseruationes ediderant, animaduersum. Mœnia igitur antiqua, quæ etiam nunc extant, & verus ambitus, seu circuitus, vt vulgo dicitur, Quintus Sertorius condidit, peracto (vt ex eius inscriptione constat) bello Celtiberico, in quo Eborensem militum prompta, ac strenua opera vsus fuerat.

Constabant autem muri, ex quadratis lapidibus, validis propugnaculis, ac turribus, suis locis distincti, adeo firma, solidaq; structura, vt post tot sæcula, tantamq; & tam variam rerum vicissitudinem, adhuc hodie integra illorum cernantur vestigia. Addidit aliud non minus necessarium beneficium, gratissimum ac liberalissimum Imperator, in uicta in urbem magna aquarum copia, ab duodecim fere millibus passuum, quam ex diuersis fontibus in vnum ductū collectam, ex manubiis magnificentissimo opere perducendam curauit. Sed iam ipsam inscriptionem subiiciamus.

Q. Serto.
honorem nominis sui, & cohort. fort.
Eborensem Munic. vet. Emer virtutis ergo.
Don. Don. bello Celtiberico, deq; manubiis.
in public. munic. eius utilitatem urb.
mœniuit, eoq; aquam diuersis in duct.
vnum collecteis fontib. perducendam curau.

Hoc est: *Quintus Sertorius ob honorem nominis sui, & cohortis fortissimorum Eborensem municipum, veteranorum, emeritorum, virtutis ergo donis donatorum bello Celtiberico, deque manubiis in publicam municipii eius utilitatem, urbem mœniuit, eoq; aquam diuersis in ductum vnum collecteis fontibus perducendam curauit.*

Quo magnanimi viri, eiusdemq; fortissimi ducis testimonio, etsi alia deessent, satis commendata olim fuisse videtur Eborensem virtus, & rei militaris studium. Quam ob causam eos præ cæteris totius Hispaniæ populis, peculiari quadam beneuolentia persecutus est, adeo vt hic domum, & aliquot libertos habuerit, vna cum Iunia Donace domestica, vt ex duabus marmoreis tabulis constat, quarum altera in eadem Q. Sertorii domo in foro piscario sita, reperta fuit cum hac inscriptione:

LARIB. PRO SALVTE ET INCOLVMITATE DOMVVS Q. SERTORI COMPETALIB. LVDOS ET EPVLVM VICINEIS IVN. DONACE DOMESTICA EIVS. ET Q. SERTOR. HERMES Q. SERTOR. CEPALO Q. SERTOR. ANTEROS LIBERTEI.

Hoc est: *Laribus pro salute, & incolumitate domus Quinti Sertorii, competalibus ludos & epulans*

epulum vicineis, Iunia Donace domestica eius, & Quintus Sertorius Hermes, Quintus Sertorius Cepalo, Quintus Sertorius Anteros Libertei.

Altera iuxta oppidum Terraneum, distans Eborā ad xxx. m. pass. in templo sanctorum Iusti & Pastoris, cuius cippum iam superiori libro Resendius exhibuit, ex quo apparet Iuniam Donacen, pro victoria illa celebri a Sertorio parta, contra Pompeium, & Metellum illic Ioui, cuius tunc erat delubrum, vota soluisse. Verisimile est etiā Q. Sertorium erga Eborenses ita fuisse animatum, propter loci opportunitatem, & ad hiemandum feracem, idoneumq; agrum, vnde veris initio, copias educere, & in citeriorem Hispaniā proficisci solebat, vt ex Appiano Alexandrino liquet, cuius verba hæc sunt, libro primo de ciuilibus Romanorum bellis, circa finem: *Cum autem ver instaret, ad inuicem congregi cœperunt, Metellus scilicet, ac Pompeius ex Pyrenæis montibus, inter quos hiberna egerant, Sertorius & Perpenna ex Lusitania.* Et paulo post: *Metellus iterum, ac Pompeius ex Pyrenæis montibus in Iberiam venere, his Sertorius, & Perpenna à Lusitanis occurrunt.* Et iterum, vbi de nece Sertorii, & de contemptu atq; odio militum in Perpennam agit: *Porro Sertorii virtutem, vicam illorum salutem fuisse rati, haud facile in Perpennam oculos coniciebant, nec ipsi duntaxat Romani, verum barbari fere omnes, Lusitanique, quorum opera Sertorius præcipue in bello usus fuerat.* Hactenus Appianus. Nos autem de hac Sertorii in hanc urbem egregia voluntate, præcipuoq; amore, ita canimus in ea Silua, quam de nostro ex Eborā discessu nuper vna cum quibusdam aliis opusculis in lucem edi curauimus:

*Hic illum certos fama est habuisse penates,
Et proprios coluisse lares, hic dulcia fixit
Limina, quæ trepido belli cessante tumultu,
Incoleret, positus & sæpe reuiferet armis.
Sive loci genio captus, seu gentis amore,
Vel quia ad euentus dubios, bellumq; parandum
Apta foret regio, delectæ robore pubis,
Et virtute virum, vario quos Marte probarat.*

Siquis vero fertiles Eboræ campos, & circumquaque in modum amphitheatri, obiectos altissimos montes non semel, nec obiter contempletur, ille sane si Romam, & Romanum agrum vnquam aspexit, similitudinem incredibilem fortassis his, qui hæc legent, inter vtrumq; tractum deprehendet, hoc vno dempto, quod Eborā fluuius caret, & mediterranea omnino est. Nam (si parua licet componere magnis) vt Roma ad septentrionem, & orientem solem Tyburtina iuga circiter xvi. m. p. distantia à mœnibus habet, interueniente lata ac pulchra camporum planitie: Sic Eborā ad eundem cæli situm, Ossam montem aspicit amœnissimum, multisque fontibus, & riulis vndique scaturientem, atque in eadem fere distantia, inter cuius ardua cacumina, & ciuitatis muros, latissimi campi patent. Rursus Sabinis, Prænestinis, Tusculanis, atque Albanis montibus versus Orientem & Meridiem agrum Romanum cingentibus, non absimiles sunt saltus, eodem fere spatio ab Eborā distantes, quos Portellenses, Viennenses, & Alcaceuenses, à circumuicinis oppidis vulgo appellamus. Cingitur deinde Eborā iugo montis, quæ *Murum* vocant, præterea Calanticæ saltu, quem Arraiolensem vulgus nominat, & perpetua deinde montium corona, qui Ossam ex Septentrionali latere attingunt, & ita circulum efficiunt, quem initio ex eodem loco describere cœpimus, non dissimilem illi, quo Romanus ager vndique clauditur. Sed quorsum hæc diceret aliquis? vt ad eas causas, propter quas, hanc urbem Sertorio charam fuisse diximus, hæc etiam accedat, quod quandam Romæ similitudinem, & imaginem ex camporum planitie, & montium distantia, atq; aspectu deprehendere poterat. Constat enim ex historiographis, qui vitam illius litteris tradiderunt, & præcipue ex Plutarcho, perquam auidum fuisse Romæ repetendæ, si compositis discordiis, tuto arma deponere licuisset.

Tradunt etiam maximo semper arfisse desiderio Rhææ matris visendæ, quam vnice dilexit, quia cum infans patre orbatus fuisset, ab ea liberaliter, & peramanter fuerat educatus. Vnde in ea inscriptione, quam superius adduximus, nō patris nomen, more Romano, sed matris apposuit. Quo argumento Michael Siluius, vir clarissimus, qui ex Episcopo Vicensi Cardinalis creatus fuit à Paulo III. Summo Pontifice, contendebat eam memoriam minime esse antiquam, sed ab aliquo huius ciuitatis fautore fuisse confictam, quo regi persuaderet, vt aq; ductum à Sertorio olim erectum, & vetustate collapsum, instauraret. Cui elegantissima Apologia Resendius adeo accurate respondit, vt in ea reconditos antiquitatis, & eruditionis suæ thesauros, in patriæ gratiam deprompsisse videatur. Cuius ipse sæpius mentionem facere solet, vt qui in ea merito sibi placeret, vir alioqui modestiæ, & can-

doris amicissimus. Eam Apologiam nos aliquando in lucem edere cogitamus, vna cum aliis eiusdem opusculis, quæ diuisim typis excusa, obliuioni tradita, & fere iam consumpta, atq; extincta sunt. Itaq; (vt eo vnde digressa est, redeat oratio) potuit Eboræ Sertorium tum ob eas causas, in sui amorē trahere, tum etiam, quia opera ab eo extracta, & domestici penates laresq; communes, magnam amoris, & necessitudinis materiam erga hospites, & amicos ciues illi suppeditare potuerunt. Præterea similitudo dulcissimæ patriæ, cuius desiderio flagrabat, subinde asserens, malle se inter suos priuatam, atq; humilem vitam degere, quam exulem in summa potentia viuere. Scimus autem municipia, & colonias, quasi effigies paruas, & simulachra fuisse vrbis Romæ, vt Politianus testatur, in secunda epistola libri primi, vbi agit de origine Florentinæ ciuitatis, quam ad Romæ similitudinem conditam fuisse asserit. Quæ consuetudo antiquissima est, & à profugis, & extorribus, ac exteris fedes querentibus, ad exilii acerbiteriam mitigandam, excogitata, quod Virgilius libro tertio in Ænea obseruauit, quem ita loquentē inducit, cum in insula Creta urbem conderet;

*Ergo auidus muros optata melior urbis,
Pergameamq; uoco, lætam cognomine gentem
Hortor amare focos, arcemq; attollere tectis.*

Et mox cum hospitio Heleni, & Andromaches exceptum refert;

*Procedo, & paruam Troiam, simulatq; magnis
Pergama, & arentem Xanthi cognomine riuum
Agnosco, Scæaq; amplector limina portæ.*

Atque iterum libro quinto, dum in Sicilia apud Acestem mœnia condentem inducit, ita canit;

*Interea Æneas urbem designat aratro,
Sortiturq; domos, hoc Ilium, & hac loca Troia
Esse iubet.*

Nil igitur mirum, si Quintum Sertorium, virum & bellicis artibus & totius antiquitatis cognitione præstantem, nec à litteris alienum, vt qui eas in Hispania edoceri curauerit, prisca illos heroas hac in parte imitari voluisse credamus; & hanc urbem, à se mœnibus, porticu, & aqueductu magnifice ornatam, atque aliis fortasse nobilitatam monumentis, quæ temporis iniuria aboleuerit, velut alteram Romam, in solatium amissæ patriæ elegisse, in qua præcipue habitaret, ac mansuras fedes figeret. Sed fefellit illum, id, quod mortalium spes fallere plerunque solet concepta, videlicet de prospero futurorum euentu, & fauentis fortunæ stabilitate opinio. Paucis enim interiectis annis, suorum insidiis circumuentus, ac procul à dilecta Eboræ trucidatus est. In qua sibi forsitan monumentum viuens posuerat, vbi verisimile est eius cineres fuisse repositos, vt fama apud Eboreses vulgatum scimus, sed certum eius rei argumentum nemo hæcenus inuenire potuit. Inscriptio autem quæ ea de re circumfertur ab aliquo antiquitatis studioso conficta videtur. Et quoniam in rebus adeo antiquis, coniecturis vti licet, non pigebit aliam etiam causam assignare, Sertorianæ erga Eboreses beneuolentiæ. Tradunt antiquitatum Hispaniæ scriptores, eas Celtarum gentes, quas diximus ex Galliis in Hispanorum fines commigrasse, tandem in Lusitaniam peruenisse, anno septingentesimo quinquagesimo nono ante Seruatoris nostri aduentum, quo tempore verisimile est Eboram ab illis conditam fuisse. Constat autem Romam eodem fere tempore fuisse ædificatam, hoc est, ante Domini natale, septingentesimo quadragesimo septimo anno; ita vt Romanæ vrbis primordia, cum Eboræ origine concurrere videantur. Cuius rei recens adhuc memoria apud Eboreses Sertorii tempore fortassis extabat, non solum à maioribus fama, & sermonibus, per manus tradita, vt plerunque fieri solet, sed etiam litterarum monumentis, & publicis tabulis conscripta, atque consignata. Cum enim tam illustis esset illis temporibus, Romanorum fama, vt ditionis & potentia magnitudine, vniuersum prope terrarum orbem, in sui admirationem conuertissent, quis dubitabit ceteras nationes in magna posuisse gloria, similem illis quacumq; in re, etiam minimi momenti, fortunam sortiri potuisse? Ea ergo originis similitudo, vltra situs formam, & patrii soli simulacrum, illum incitare potuit, ad hanc urbem, vt fecit, peculiari quodam studio, ac singulari amore complectendam. Nec minori beneuolentia, Iulium Cæsarem, Eboram profecutum fuisse existimandum est, tum propter cognomen, quod ab illo receptum retinuit, & Liberalitas Iulia dici voluit, tum etiam propter magnificum titulum, quem in eius gratiam publice dedicauit, inscriptum in marmoreo cippo, litteris elegantissimis, in hunc modum:

DIVO IULIO LIB. IUL. EBORA OB ILLIUS IN
MVN. ET MVN. LIBERALITATEM EX D. D. D.
QVOIVS DEDICATIONE VENERI GENETRICI CE-
STVM MATRONÆ DONVM TVLERVNT.

Id est: *Diuo Iulio, Liberalitas, Iulea Eboræ, ob illius in municipes, & municipium liberalitatem, ex decreto decurionum dedicavit. Quoius dedicatione Veneri genetrici cestum matronæ donum tulerunt.* Quæ autem fuerit Cæsaris liberalitas erga hanc urbem, si dubitetur, ego existimarem concessum ab illo Eboræ fuisse ius Italicum, ut ex eo tempore municipium Latii veteris dici cœperit. Sic enim scribit Plinius libro quarto sæpius adducto, cap. 22. *Oppida veteris Latii, Eboræ, quod idem Liberalitas Iulia, & Myrtilis, ac Salacia.* Erat autem municipiorum conditio, multis in rebus coloniis præferenda, & præcipue ea de causa, quia, *municipes, teste Gellio, libro decimo sexto, cap. octavo; erant ciues Romani suo iure, & suis legibus utentes, nullis aliis necessitatibus, neque ulla populi Romani lege astricti, sed coloniarum, alia necessitudo est. non enim veniunt extrinsecus in ciuitatem, nec suis radicibus nituntur, ut municipia, sed ex ciuitate, quasi propagatae sunt, & iura, institutaque omnia populi Romani, non sui arbitrii habent.* Hæc Gellius. Itaque municipia, simul cum ciuitatis Romanæ priuilegiis, & iure, suas leges, suos magistratus, & sua tam publica, quam priuata instituta, ac sacra retinebant. Colonia vero diuersa ratione rempublicam administrabant, ut copiose, & eleganter tradit Onuphrius Panuinius Veronensis, in Commentariis Reipublicæ Romanæ, in eo libro, qui Imperium, inscribitur, ubi agit de iure municipum cum suffragio. *Municipes enim (ut ait Iuriconsultus Vlpianus, in l. i. ad municipales ff.) proprie appellantur, muneris participes, recepti in ciuitatem, ut munera nobiscum facerent;* Vnde omnibus ciuium Romanorum priuilegiis potiebantur, vno dumtaxat excepto, ut Onuphrius asserit, quod in curias Romanas descripti non erant, atque ob eam causam curiatis comitiis, in quibus tamen parum momenti erat, excludebantur. Curia enim solum ad eos, qui urbem Romanam incolerent, pertinebant. Nam qui in municipiis habitabant, sua sacra municipalia pro curiis habebant. Ius vero Italicum, seu antiqui Latii, adeo nobile, & præcipuum fuit, ut etiam aliquot coloniarum antiquarum, & celebres, minime illud adipiscerentur. Quæ vero Italici iuris dicebantur, in maximo id honore, & beneficio ponerent, ut colligitur ex eodẽ Vlpiano, in l. i. de censibus, quo loco gloriatur Phœnicem Tyriorum coloniam patriam suam, ius Italicum fuisse adeptam, ob insignem erga Imperium Romanum fidem, ceterasque dotes, quas ibi, ut gratus ciuis commemorat. Et paulo post, *in Palestina (inquit) duæ sunt coloniae, Casariensis, & Aelia Capitolina, sed neutra ius Italicum habet.* Quin etiam in Lusitania, & reliquis Hispaniæ provinciarum, Emeritenses, Pacenses, Valentinos, cum coloni essent, iuris Italici esse affirmat idem, in l. vltima, eodem titulo: quibus addit Galliarum Narbonensis, & Germaniarum nobilissimas colonias. Splendor itaque, & dignitas Eborensis municipii, tam ex originis antiquitate, & Italici iuris prærogatiua, quam ex eo etiam deprehenditur, quod immunitatis ius habuerit, utpote, quæ inter stipendiaria Lusitaniæ oppida à Plinio minime numeretur lib. 4. cap. 22. Ut autem olim Cæsaris, & ceteris Romanorum ducibus, hæc ciuitas grata fuit, sic quoque a potentissimis Lusitaniæ Regibus maximo semper in honore est habita, & post Olyssipponem, Regni caput, primum locum obtinere censetur; quamuis ei haud libenter hunc honorem cessura sit nobilissima Calensis vrbs, hæc hodie Portugalesis dicitur, sita ad ostium Durii, ut suo loco dicemus, cum ad illam hæc historia peruenerit. Quid autem prohibet carmina nostra, ex eadem illa sylua, de hac Eboræ dignitate à Cæsare obtenta, illud medium proferri, ex quibus ea, quæ diximus, apertius cognosci possint?

*Salve magna parens frugum, secunda virorum,
Salve alerix, nobis vrbs o gratissima salve.
Cæsaris dilecta pius, adamatque magnis
Regibus, antiqui retinens monumenta decoris,
Maximus ille ducum, Romanæ gloria gentis,
Iulius à Phrygio deducens nomen Iulo:
Cum quateret terras armis, cum sidera fama
Compleret, solusque orbis tractaret habenas:
Te titulis, ciuesque tuos decorauit opimis
Muneribus, largaque manu largitus honores
Eximios, Latii tribuit tibi iura vetusti.*

*Cæsaris hinc tibi creuit amor, cui marmora quondam
In medio mansere foro, testantia laudes,
Egregiumq; viri decus, à quo Iulia dici
Gaudes, occiduas inter memorabilis vrbes.*

Sed vt ad Romanorū monumenta deueniamus, quæ præter iam superius adducta, in ipsa vrbe, & in eius agro reperta sunt, ex quibus antiquitas satis ostenditur. Illa statim iam peruulgata inscriptio sese offert, quæ incipit L. SILOSABINVS, quam Resendiū libro tertio iam exhibuit. Cuius interpretationem ab illo prætermittam, tantummodo ibi apposuimus. Reperta autem fuit hæc inscriptio, in prædio cognominato Pomariensi, distante ab hac vrbe xvi. mill. pass. & ab oppido Vienna, vi. mill. pass. vbi amœni sunt colles, quos Appianus Alexandrinus vincetis confitos fuisse, & ibi templū Veneris extitisse refert. Constat autem apud omnes Hispaniæ antiquitatum scriptores, vetustissimam esse omnium, quæ apud Hispanos hætenus inuentæ sunt. Commissum est enim illud prælium, inter Caium Plantium, & Viriatum Lusitanorum ducem, anno ab vrbe condita sexcentesimo nono, Quinto Fabio Maximo, & Lucio Hostilio, Consulibus. Nisi antiquiorem esse admitamus, eam, quæ Marco Catoni Censorio tribuitur à Petro Appiano Alexandrino, quæ incipit PALLADI VICTRICI. Sed meo iudicio, illius sæculi antiquitatem parum redolet.

Extat autem apud nos, in agro Sintriensi, in vico cui nomen est, Fanum, marmor admodum vetustum, dicatum memoriæ Catonis, sed imperfectum, & lacerum, litteris contractis, & alterum in ipsa Olyssipponensi ciuitate, in arce summa, quorum meminit Resendiū libro tertio, de quo autem Catone, ibi fiat mentio, nihil certi ausus est asserere. Ego à veritate minime abhorreere putabo, eum, qui ad antiquum Censorium referat, quem in vniuersa Hispania Imperium tenuisse constat anno ab vrbe condita, quingentesimo quinquagesimo nono: atque etiam in vltiori Hispania res gessisse Plutarchus testatur, vt etiā Vasaus annotauit, tomo primo, cap. 12. vbi de eius consulatu agit. Hinc illius in Lusitanos amor, ita vt Galbam in eorum gratiam accusarit, mutua etiam Lusitanorū erga ipsum beneuolentia, ob accepta beneficia, quod verba Sintriensis inscriptionis significare videntur. Sed ad ceteras inscriptiones redeamus. Habuit olim hæc ciuitas nobilem Flaminicam, hoc est sacrorum præfectam, seu cūratricem, nomine Laberiam, quæ non solum huius municipii, sed etiam totius prouinciæ Lusitaniæ flaminio præerat. Extat eius memoria à libertis dedicata, vt libro primo Resendiū admonuit, in hæc verba: *Laberia Lucii filie Gallæ, Flaminica Lysitania. Lucius Laberius Artemas, Lucius Laberius Gallacus, Lucius Laberius Abascantus, Lucius Laberius Paris, Lucius Laberius Lausus. Liberti.* Obiit autem in Colliponensi oppido, ex cuius ruinis Leirinensis ciuitas constructa fuisse videtur, quo aliquot vetusta marmora translata sunt, vt suo loco dicemus, inter quæ epitaphium huius Laberiæ visitur, in angulo frontispicii ecclesiæ sancti Stephani, ad sinistram maioris ianue partem; in hunc modum:

LABERIE L. F. GALLÆ FLAMINICÆ EBORE-
SI. FLAMINICÆ PROV. LVSITANIÆ IMPEN-
SAM FVNERIS. LOCVM SEPVLTVRÆ ET STA-
TVAM. D. D. COLLIPPONESIVM DATAM L.
SVLPICIVS CLAVDIANVS.

Hoc est: *Laberia Lucii filie, Gallæ, Flaminicæ Eboresi, Flaminicæ prouinciæ Lusitania, impensam funeris, locum sepulturae, & statuam decreto decurionum Colliponesium datam, Lucius Sulpicius Claudianus.* In quo marmore, Eboresis, pro Eborensis & Colliponesium, pro Colliponesium scribi, lectorem monemus, vel incuria marmorarii, vel quia ea loquendi formula, tunc in vsu erat, vt ex multis aliis inscriptionibus colligitur. Inuentus est & alius cippus, in quo Flaminicæ alterius Eborensis fit mentio, in prædio, cui *Mesquita* hodie nomen est, decem millibus pass. circiter ab Eboræ, remoto, prope viam, quæ montem Soratium oppidum ducit, vbi vestigia vetustissimi fani extant, & aliquot marmoreæ columnæ repertæ sunt. Est autem hic lapis magnitudine, his, de quibus proxime egimus, inferior: sed elegantius sculptus, quem vomeris vnco, inter arandum, erutum asserunt, vt in eum, & in complures alios eodem casu repertos, quadrare possint elegantissimi Maronis versiculi, libro Georgicorum primo, paucis immutatis:

*Scilicet adueniet tempus, cum finibus illis
Agricola incuruo terram molitus aratro,
Exesa inueniet scabra rubigine saxa,
Et leuibus rastris tumulos pulsabit inanes:*

Inscriptio vero est huiusmodi:

D. M. S.

C. ANTONIO. C. F. FLAVINO. VI. VIRO.
 IVN. HAST. LEG. II. AVG. TORQ. AVR.
 ET AN. DVPL. OB VIRT. DONATO. IVN.
 VERECVND. FLAM. PERP. MVN. EBOR.
 MATER. F. C.

Hoc est: *Dius manibus sacrum. Caio Antonio, Caui filio, Flavino sextum viro iuniorum hastato*
legionis secunda Augustalis, torque aureo, & annona duplici ob virtutem donato, Iunia Verecunda,
Flaminica Perpetua municipii Eborensis, mater faciendum curavit.

Habuit Eborā etiam antiquis illis temporibus, ciues complures rei bellicæ gloria, & multis aliis virtutibus claros, quibus ob merita in patriam, statuas, & alia monumenta dedicavit. Quorum memoria, tot annorum serie, tot Hispaniæ cladibus, tanta rerum Romanarum obliuione, tam deformi totius antiquitatis interitu, haud omnino extingui, aut obliterari potuit. Extant namque aliqua vestigia venerandæ verustatis, ex quibus conicere quis possit, quam ferax olim hæc ciuitas fuerit fortium, & illustrium virorum, & in primis sese offert cippus ingens marmoreus eleganter sculptus, qui in Resendii ædibus visitur, sed
 20 quolo loco sit repertus, ipse non dicit, nec nos peruestigare potuimus. Susplicamur autem ex fundamentis templi Deiparæ Virginis Gratiarum, in quo Augustiniani fratres degunt, e-
 30 ritum fuisse, vbi etiam lapis, quem illico apponam, inuentus est, teste ipso Resendio. Verisimile autē mihi fit, ibi forum ciuitatis fuisse Romanorum tempore: id enim inscriptiones ipse innuunt.

L. VOCONIO. L. F. QVIR. PAVLLO. ÆD. Q.
 II. VIR. VI. FLAM. ROM. DIVORVM ET
 AVGG. PRÆF. COH. I. LVSIT. ET COH. I.
 VETTONVM... LEG. III. ITAL. OB CAVSAS
 VTILITATESQ. PVBLICAS. APVT ORDIN.
 AMPLISS. FIDELITER. ET CONSTANTER DE-
 FENSAS. LEGATIONE QVA GRATVITA RO-
 MÆ PRO. R P. SVÆ FVNCT. EST. LIB. IVL.
 EBORA PVBLICE IN FORO.

Id est: *Lucio Voconio, Lucii filio Quirina Paullo. Ædili, Quaestori, Duumviro sextum, Flamini*
Roma diuorum, & Augustorum, præfecto cohortis primæ Lusitanorum, & cohortis primæ Vettonum,
tribuno legionis tertie Italica, ob causas utilitateq. publicas apud ordinem amplissimum fideliter, &
constantiter defensas legatione, qua gratuita Romæ pro republica sua functus est. Liberalitas Iulia Eborā
publice in foro.

Est autem in marmore scriptum apud, pro apud, in scitia, vt credo, sculptoris.

40 Alter cippus fractus, & mutilatis aliquot litteris à Resendio ereptus fuit è manibus
 operarum, vt ipse testatur, cum Architecti in edificando templo occupati, eum frangere,
 & sine villo delectu iam parieti inferere cœpissent: sic vero sese habet ea pars, quæ semilā-
 50 cera remansit:

CILIO Q. F. VOLVS .. AFF. COH. I. C. R.
 ..X. PROVOC. VICTORI ..S. DONATO AB
 IMP. .. II. HAST. PVR. III. VEX. ..VIC.
 I. MVR. IIII. OBSI ..NIB. H. IN. R.
 P. SVÆ FVNCT. ..BORENS. CIVI. OPT.
 ..ERITA EIVS IN MVNIC. ..RMOË. BÅ-
 SI ÆNE. D. D.

Cuius sensus integer esse videtur: *Quinto Cæcilio Volusiano Quinti filio, præfecto cohortis*
primæ ciuium Romanorum, sexies prouocatione victori, donis donato ab Imperatoribus suis, duabus ha-
stis puris, tribus vexillis, duabus ciuicis, vna murali, quattuor obsidionalibus, omnibus honoribus in re-
publica sua functo, Eborenses ciuii optimo, ob merita eius in municipium, statuam marmoream basi Æ-
neæ dedicarunt. Lapis vero integer in hunc modum mihi sculptus fuisse videtur:

Q. CICILIO Q. F. VOLVS PRÆF. COH. I. C. R.
 SEX. PROVOC. VICTORI DONIS DONATO. AB
 IMP. SVIS II. HAST. PVR. III. VEX. II. CIVIC.

I. MYR. IIII. OBSIDION. OMNIB. H. IN. R. P.
SVA FVNC. EBORENS. CIVI OPT. OB MERITA
EIVS IN MVNIC. STATVAM MARMOR. BASI Æ-
NEÆ. D. D.

Inuenti sunt duo alii lapides elegantissimis litteris inscripti, in muro antiquo Sertoriano, iuxta ædem Sancti Vincentii, quos Alphonsus Cardinalis Emmanuelis Regis filius, ad villam, quæ Vallis viridis dicitur, transferri curauit, cum esset Ebovensis præsul, & amoenissimū illum secessum, omnibus modis ornare cuperet, vbi nunc visuntur, in ipso ædium vestibulo, super bases decenti structura collocati:

Primus est huiusmodi:

D. M.

CANIDIÆ ALBINÆ C. M. F. MATRI CATINI
CANIDIAN. C. M. V. CONSOBRINI. SVI CATI-
NIA M. FIL. ACILIANA. C. F. S. P. F.

Id est: *Canidia Albina, Caii Munatii filia, matri Catinii Canidiani, clara memoria viri, consobrini sui, Carinia Marci filia Aciliana, curauit faciendum. Sua Pecunia Fecit. De Caio Catinio, qui in agro Astensi cum Lusitanis conflictit, & sex hominum millia in ea pugna occidit, sed postea Astam oppugnans, vulneratus occubuit, consular, qui volet Liuium Decade 4. lib. 9. Meminit etiam Catinii Acilianii Onuphrius Panuinius, lib. 2. Fast. in inscriptione quæ incipit LVCIO FABIO. Et iterum in lib. de antiquis nominibus Romanorum, vbi ait se legisse in quodam marmore, Quinto Fabio Ciloni Septimino Catinio Aciliano Fulginiano; & ita sex cognomina ab vno vsurpata.*

Alter lapis è regione huius erectus hanc habet inscriptionem, & (quod mirum videri, ac vix credibile poterit) vel leuiter tactus, sulphureum odorem emittit, teste ipso Resendio.

D. M. S.

ASINIVS FLORENTINVS. ANNO. XXXXV.

H. S. E. S. T. T. L.

Hoc est: *Diis Manibus Sacrum. Asinius Florentinus annorum quadraginta quinq; hic situs est, sit tibi terra leuis.*

Nomen Florentini, ad originis locum referendum videtur, vt intelligamus, hunc Asinium ciuem Florentinum fuisse.

In schedis Resendii nostri annotatum inuenimus repertos fuisse quinque marmoreos cippos, ordine pari dispositos olim in antiquo muro, iuxta nonam portam, qui omnes vnam inscriptionem efficiebant, quos conqueritur à cæmentariis fuisse euulsos, & laceratos, ex quorum fragmentis, extat hodie in quadam turri cœnobii sancti Ioannis, hæc inscriptio imperfecta:

GIVNIO: L. F. GAL. RVLLO C. NORBANVS. L.
F. . . IVNIVS. DEXTER HERED. . . . ES

Id est: *Caio Iunio Lucii filio, Galeria, siue ex tribu Galeria Rullo. Caius Norbanus Lucii filius, & Iunius Dexter heredes. Extat eodem loco, & hæc imperfectior:*

C. IVNIO LIGARIO. . . PVL T. . . F. C. NORBA-
NVS IVNIVS. HERES.

Id est: *Caio Iunio Ligario Caius Norbanus Iunius heres. Abrafas litteras supplere non potuimus. Apparet autem ex nomine Iunii & Norbani, vnam, & eandem cum superiori fuisse memoriam, vt diximus.*

In eodem cœnobio extat tabula marmorea, cuius prior pars con fracta, siue reuulsa, nusquam apparuit, à Resendio magna cura diu quæ sita, vt ipse testatur.

. . IR STLITB. IVDICAND. . . LIA. Q. FAVITA.
MATER. . . ITEMQVE D. D.

Hoc est (vt solum integras dictiones exponere nobis liceat, quando aliter facere non possumus) *Stlitibus indicandis Quinta Fauita mater, itemq; dedicauit seu Decreto decurionum.*

Suspicio

10

30

40

50

Suspicio autem cippum erectum fuisse in honorem alicuius decemviri stilitibus iudicandis, cuius magistratus sæpe fit mentio in inscriptionibus antiquis, & etiam apud Ciceronem, ut tradit Onuphrius in ciuitate Romana, vbi agit de minoribus magistratibus ordinariis. Aduertendum quoque existimo prænomen Quintæ, seu Quintæ (sic enim veteres scribebant) Favitæ feminæ attribui, quæ consuetudo vsque ad Augusti tempora permansit, teste eodem Onuphrio, de antiquis nominibus Romanorum, in capite de mulierum nominibus. Vnde apparet hunc lapidem florente adhuc reipublicæ libertate dedicatum fuisse. Quinta autem dicebatur, quæ quinto loco nata fuerat, hoc est, quæ cum quatuor sorores haberet, ipsa ab ordine nascendi, Quintæ prænomen fuerat sortita. In vico, qui ducit à foro ad summum templum, qui vulgo via Sellaria dicitur, quod ibi artifices cotiniani habitent, qui ephippia vendunt, in ædibus cuiusdam armorum fabri, extat cippus vtrinque mutilatus in hunc modum:

.
 . . N Q V I . . .
 . . C T I S S . . .
 . . C O I V C . . .
 . . C Æ S S A . . .
 . .) I A N I . . .
 . . I S A V C . . .
 . . R E N S I . . .

Quis quæso, sit adeo ab omni humanitate & litterarum cognitione alienus, qui non ingemit, & ægre ferat tam illustria antiquitatis monumenta, sic à rudibus, & imperitis hominibus fuisse corrupta? Gloriatur M. Cicero, vir illa prudentia, illa grauitate, illa (ut cetera omittam) in republica Romana auctoritate, libro quinto Tusculanarum quaestionum, ignoratum, Syracusani Archimedis sepulchrum à se repertum fuisse, cum in ea provincia Quæsturam gereret, idque indicio carminum, quæ audierat in eius monumento esse inscripta. Verba autem ipsius apponam, quia elegantissima sunt, & non omnibus passim obuia: Cuius ego (Archimedem intelligit) Quæstor ignoratum ab Syracusanis, cum esse omnino negarent, septum undique, & vestitum vepribus, & dumetis, indagavi sepulchrum. Tenebam enim quosdam senariolos, quos in eius monumento esse inscriptos acceperam, qui declarabant, in summo sepulchro, spheram esse positam cum cylindro. Ego autem cum omnia collustrarem oculis (est enim ad portas Agrigianas magna frequentia sepulchrorum) animaduerti columnellam, non multum è dumis eminentem, in qua inerat spheræ figura, & cylindri. Atque ego statim Syracusanis (erant autem principes mecum) dixi me illud ipsum esse arbitrari, quod quaererem. Immissi cum falcibus multi purgarunt, & aperuerunt locum. Quo cum patefactus esset aditus, ad aduersam basim accessimus. Apparet epigramma excois posterioribus partibus versiculorum dimidiatis fere. Ita nobilissima Græciæ ciuitas, quondam vero etiam doctissima, sui cuius vnici acutissimi monumentum ignorasset, nisi ab homine Arpinate didicisset. Hactenus ille. Ex ore cuius melle dulcior fluebat oratio, eius suauitate, lectorem tantisper nostræ elocutionis tædium condire volui. Nil igitur mirum, si hoc tempore extant homines ignari rerum antiquarum, cum etiam illo sæculo, in Sicilia, & in vrbe Syracusana, Archimedis sepulchrum tam abiecte, & obscure iaceret. Et mihi venia danda erit, si huius Ciceroniani loci occasione, hic versiculos meos adiecero, quibus alibi, de hoc antiquitatis interitu, & corruptis vetustate, Romanorum monumentis conqueror:

*Sed collapsa iacent veterum monumenta ruinis
 Obruta perpetuis, dumisq; & sentibus altis
 Obsita, contractisq; notis, & torrida flammis.
 Multa tamen noster Resendius abdit a profert
 In lucem, & vigili vestigans singula cura,
 Antiquum decus, & prisca tibi reddit honores,
 Lysiadum gens clara: viro quam debita tanto
 Præmia, vix reor exhaustis persolueræ arenis
 Posse Tagi, aut vectis Eoo ab litore gemmis.*

Sed ad reliquas inscriptiones redeamus. Omisissis ergo his, quas ad hanc urbem pertinentes, Resendius iam exhibuit libro tertio, vbi agit de viis militaribus, vltimam earum, quæ ante Constantini magni tempora dedicata sunt, hic reponendam curauimus etiam mutilatam, & aliquot litteris abrasis. Extat autem in quodam prædio à mœnibus vrbis duodecim M. P. remoto, cui fons Abbatis nomen est:

M. ÆLIA. . . . TERTVLEA. . . .

L. CÆCILIVS... VXORI. FE. . . .
 Id est: *Memoria Ælia Tertulle. Lucius Cæcilius uxori fecit.* Nec deerunt qui litteram M, monumentum significare putent. A quibus ut dissentiam, mouet me, quod lapis iste bestialibus, & maioribus litteris sit eleganter exaratus. Deinde quia in superiori parte, desunt illa propria sepulchrorum verba, D. M. S. *Diis Manibus Sacrum*, & in inferiori illa, S. T. T. L. *si tibi terra leuis.* Pars autem cippi huius adhuc sub terra latet, illa videlicet, quæ aliquot elementa occultare videtur. Visitur autem iuxta initia aquæ ductus Sertoriani, qui aqua argentea dicitur, cuius iam à nobis sæpius facta est mentio. Atque hic fere fuit Eborensum status, florente Romano Imperio. Quo tandem prolapsa, & afflictæ Getarum, seu Gothorum armis, ad eius gentis reges, summa rerum Hispaniæ deuenit. Sub quorum dominatu, constat Sisebuti Regis tempore, in hac vrbe, argentariam officinam fuisse eudendæ mone-
 10
 tæ: ut colligitur ex argenteis nummis ibidem repertis, in quibus ex altera parte ipsius Regis effigies est, cum hac inscriptione, D. N. SISEBVTVS REX. Ex altera vero crucis signum cum his litteris, CIVITAS EBORA. In circuitu autem scripta sunt hæc verba. DEVS ADIVTOR MEVS.

Vetus etiam numisma sibi ab Ambrosio Morali dono missum testatur Resendius, in quo ex vna parte erat imago Germanici Cæsaris, cum hac inscriptione, GERMANICVS CÆSAR AVGVSTVS. Ex altera vero, corona cum his litteris, LIBERALITATIS IVLIA EBORÆ. Turres quoque duæ ingentes à Sisebuto erectæ fuisse dicuntur, quarum vna prope forum initio viæ Sellaræ, altera non longe ab ecclesia sancti Iacobi, è regione maioris
 20
 ianæ conspicitur.

Nec raro aliorum Gothorum regum numismata in hac vrbe reperta sunt, teste ipso Resendio, in Epistola ad eundem Ambrosium Moralem. Regnare cœpit Sisebutus anno sexcentesimo duodecimo, & Regno potitus est annis octo. Fuit Rex clarissimus, & religionis Catholicæ acerrimus defensor, quique ad armorum gloriam, eruditionis, & eloquentiæ decus adiecerit, ut scribit Rodericus Archiepiscopus Toletanus, & meminit Vasæus, tomo priori. Merito igitur Eboræ gloriari potest, se à Sertorio fortissimo duce, antea instauratam fuisse, & ab hoc præstantissimo Rege, longo post tempore, ædificiis, & omni beneficentiæ genere locupletatam. Cuius expeditiones aduersus Romanos feliciter susceptas, non parum iuuisse credenda est, ut olim Sertorianas iuuerat, & in præmium strenuæ à ciuibus suis nauatæ operæ, vtriusque amicitiam, egregiumque fauorem fuisse consecuta. Sed potior multo illa gloriatio, quod Christi fidem, in ipsis nascentis ecclesiæ primordiis amplexa, auctore diuo Mancio Domini discipulo, natione ut traditur Romano, eam per tot sæcula, tenacissime retinuit, hodieque integram, illibatamque religiose conseruat: quotidie maius incrementum pietatis, ac diuini cultus, sacrosanctæque Apostolicæ sedis venerationis suscipiens. Martyrium passus est diuus Mancius, tempore Traiani, aut (ut quibusdam videtur) Neronis, sub præside Validio. Eius corpus Eboræ primum ab ethnicis ignominiose abiectum iacuit, post aliquod vero tempus, à Christianis honorifice sepultum, in villa illustri cuiusdam viri duodecim mill. pass. à mœnibus distante diu summa cum veneratione asseruatum, sœuiente postea in Hispania Arabum tyrannide, à piis hominibus in Asturias, aut in vicinam illis regionem, quæ
 30
 campestris dicitur, exportatum, tandem in oppidulo, non longe à foro Egurrorum, quod Villam nouam sancti Mancii vulgo appellant, repositum fuit, in monasterio quodam ordinis sancti Benedicti, sub inuocatione ipsius martyris, vbi religiosissime asseruatur, & incredibilem populorum deuotione colitur. Præter hunc sanctissimum martyrem, verisimile est, nonnullos alios in hac vrbe extitisse, cum in Christianum nomen gentilia rabies desæuaret. Sed trium præcipue memoria extat, Vincentii videlicet, & Sabinae, ac Christetidis sororum ipsius, quibus EBORA natale solum fuit. Palmam vero martyrii Abulæ tempore Diocletiani, & Maximiani, sub Datiano Hispaniarum præside, vel potius crudelissimo carnifice adepti sunt. Episcopos post Beatum MANCIVM habuit quamplurimos, ex quibus hic aliquot nominare satis erit. Quintianus Episcopus floruit tempore magni Constantini, cum adhuc maiestas imperii Romani in Hispaniis vigeret, ut constat ex Illiberitano concilio, in quo ipse subscripsit. Deinde sub Gothorum regibus, quinque Episcopos Eborenses, seu Elborenses, ut illis temporibus dicebantur, nominatos inuenimus in Synodis Toletanis, nempe, Sifiscum, Abientium, Zosimum, Tructimundum, Arcontium. Reperietiam in Schedis Resendii, codicem manuscriptum Emeritensis illius Concilij, cuius ipse sæpe meminit, quod celebratum fuisse dicitur à duodecim Episcopis, anno natalis domini sexcentesimo sexagesimo quinto, regnante Recesuntino, cui interfuit Petrus Eborensis Episcopus. Extant in ædibus Resendianis
 40
 50
 20

dianis duo cippi litteris minus elegantibus, & iam Gothicam phrasim redolentibus, quorum primus memoriam continet Iuliani Episcopi in hæc verba:

IVLIANVS FAMVLVS XPI EPISCOPVS ECCLESIAE
EBORENSIS H. SITVS EST. VIX. ANN. PLVS
MIN. LXX. REC. IN PACE KAL. DECB. ERA
DCIIII.

Id est: *Iulianus famulus Christi Episcopus Ecclesie Eborensis, hic situs est, vixit annos plus minus septuaginta, requieuit in pace. Kalendis Decembris, Era sexcentesima quarta. Et sic anno Natalis Domini quingentesimo sexagesimo sexto.*

Alter est huiusmodi:

DEPOSITIO PAULI. FAMVLVS DEI VIXIT AN-
NOS L. ET VNO. REQUIEVIT IN PACE D. IIII.
ID. MARTIAS ERA D. LXXXII.

Hoc est: *Depositio Pauli. Famulus Dei vixit annos quinquaginta & vno. Requieuit in pace Domini tertio Idus Martias Era quingentesima octuagesima secunda. Et ita anno salutis quingentesimo quadragesimo quarto.*

Euerfo deinde Gothico imperio, & vastata ab immani & impia Arabum multitudine, non solum Hispania, sed vniuersa fere occidentalis Europæ plaga, caruit Eboræ (proh dolor) libero religionis Christianæ cultu, spatio circiter quadringentorum annorū, quod extremæ cuidam infelicitati adscribi merito debet.

Regnante deinde primo Lusitaniæ rege Alphonso Henrico, *quo iustior alter, nec pietate fuit, nec bello maior & armis*, à Maurorum tyrannide liberata est, *per*, & virtute fortissimi viri Giraldi, cui ob animi & corporis robur, *intrepidi*, seu absq; timore cognomen tum Lusitani indiderunt. Cuius effigiem armatam stricto gladio caput Arabis præferentem, & manu sinistra etiam caput puellæ Mauræ gestantē, pro gentilitio nobilitatis insigni Eborenses habent. De cuius laudibus & bellica virtute, deq; singulari stratagemate, quo hanc urbem ex insidiis aggressus præclaram victoriam reportauit, si quis encomium scribere cupiat, satis amplam, vberemq; dicendi materiam illi tam illustre facinus suppeditabit. Iterum ergo Eboræ episcopalis sedis dignitatē recuperavit, creato Antistite Pelagio viro præstantissimo, suffragante ipso rege Alfonso. Hic autem Pelagius à fundamentis Ecclesiæ ædificationem exorsus, magnificum templum hoc, quod hodie extat, extrui, ornariq; curauit, multaq; ad factorum celebritatem, prouentuumq; diuisionem spectantia sapienter decreuit, vt apparet ex antiquis monumentis, quæ in publicis Ecclesiæ scriniis asseruantur. Cui successit Suerius Episcopus, qui antea Decani dignitatem ibidem obtinuerat. Et complures deinde vsq; ad Henricum Cardinalem, qui primus Archiepiscopus Eborensis creatus est, regnante fratre ipsius Ioanne huius nominis tertio, salutis anno 1541.

Habet ecclesia amplissimos redditus, & ex illa quamplurimi insignes viri, quibus *semper abundauit*, ad amplissimas dignitates assumpti, atq; euecti sunt, quos si nominare velim, vereor ne diffusa narratione lectori tedium afferam. Danda vero erit, vt spero, amoris, vel potius pietatis meæ venia, si auunculi mei Gondisalui Pinarii obiter hic mentionem fecero, qui cum canonicus ob singularem doctrinam, morumq; probitatem, ab Alphonso Cardinale Emmanuelis regis filio electus fuisset, postmodum ad Zaphiensem Episcopatum, deinde ad Tingensem, & postremo ad Vifensem promotus, & amplissima legatione apud Franciscum Gallorū regē functus, vt diffusius in eius vita narrauimus, mihi eundē canonicatū, annuente summo Pontifice, resignauit, meq; multis aliis beneficiis affect, quorū immemor videri possem, nisi oblatam eius nominandi occasionē hoc loco auide arripuissem. Nec prætermittendum existimor, qua cura, & liberalitate, superiores Eboræ Antistites, in extruendis, dedicandisq; in eadem vrbe Cœnubiis semper claruerint. In primis Vastus Episcopus sanctæ Claræ monasterium, intra nouum ciuitatis ambitum; Alterum vero Sancti Hieronymi, sub inuocatione sanctissimæ Virginis Deiparæ à Rubo nuncupatæ, in amoenissimo loco duobus passuum millibus à mœnibus distante, erexit, & virumque magnis redditibus locupletauit. Henricus autem, qui postea Sebastiano successit in regno, cum Eborensi Ecclesiæ præesset, collegium insignis, patribus Societatis Iesv, vna cum magnificentissimo templo extruxit, vbi celebrem instituit academiam, in qua humaniores litteræ, & Philosophia, ac sanctæ Theologiæ studia cum pia morum disciplina maxime florent. Vnde non tantum huic vrbi, sed etiam ceteris vicinis oppidis, & vniuersæ Lusitaniæ, ingens vtilitas, ornamentumque accessit. Edificauit etiam non longe à mu-

ris ciuitatis, monasterium beati Antonii, fratribus Franciscanis, qui ob arctiorem viuendi normam, à pietate denominantur. Cum illis antea aliud crexisset, distans sex millibus passuum ab eadē vrbe, prope villā, quæ Vallis viridis dicitur, cuius iam mentionem fecimus.

Nec est silentio prætereundum nobile templum sancti Antonii Archimandritæ, quod in publico ciuitatis foro, conspicuo, & illustri loco, erigi, eleganti, magnificaque operis structura curauit, ex communibus cathedralis Ecclesiæ prouentibus. In cuius frontispicio, eius iussu, ab Andrea Resendio litteris maiusculis lapidi inserta inscriptio conspicitur huiusmodi:

*Diuo Antonio Ægyptio. Sanctissimo
Monachorum Archimandrite Sacrum
Henricus Diui Emmanuelis Lusitan. Regis.
P. F. Inuicti F. S. R. E. Presb. Cardinalis.
Primus Eborensis Archiepiscopus. Priore
Diruto. Nouum Hoc. Structura. Formaq.
Augustiore. Religionis Ergo Erexit.
D. Antonio Archimandrite Sanctiss. Sacrum.*

Id est: *D. Antonio Ægyptio sanctissimo monachorum Archimandrite sacrum. Henricus diui Emmanuelis, Lusitaniæ regis, Pii, felicitis, Inuicti filius, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, primus Eborensis Archiepiscopus priore diruto, nouum hoc structura, formaq. Augustiore religionis ergo erexit.*

Diuo Antonio Archimandrite sanctissimo sacrum.

Habet hæc ciuitas præter ea, quæ iam diximus, quattuor alia fratrum insignia monasteria; monialium vero septem, non minoris magnificentiæ, de quorū eleganti, sumptuosa, atque admirabili structura, si quis dicere cupiat, ille profecto non breuem concipere queat narrationem.

Qua prætermittam, illud tantū modo addam, in omnibus fere fontes ex marmore candidissimo, ad fabre factos, subterraneis aquæ argentiæ canalibus scaturire, vnde & aquandi facilitas religiosis ipsis, & cœnobiis pulchrum ornamentum, & vniuersæ vrbi grata, ac salubris aeris temperies æstiuo tempore prouenit. Portas habet decem, nulla suburbia, præter vnum figulorum, & hortos muris vicinos circiter centum, in quibus hortulani ædes satis commodas habent. Visuntur vndiq; vsq; ad sex millia passuum innumeræ villæ suburbanæ, nec mediocri sumptu, nec minori elegantia ædificatæ. Ambitus mœnium tria millia passuum, & quadringenta quinquaginta duo continet in hunc modum.

A porta Blasiana ad Raimundiā.	pass. 488	Ad Proditoriam.	pass. 154
Ad Olyssipponensem, quæ Alchônchelen- sis dicitur.	pass. 300	Ad Machedinensem.	pass. 262
Ad Lacunarem.	pass. 532	Ad Mendostephanium.	pass. 190
Ad Auisitānam.	pass. 376	Ad Mesquitalem.	pass. 370
Ad portam molæ acriæ.	pass. 416	Ad Blasianam.	pass. 370

Noua mœnia condidit Rex Ferdinandus primus huius nominis, & numero Lusitanorum regum nonus, qui regnare cœpit anno salutis millesimo trecentesimo sexagesimo octauo, & regnavit annos sex decim, cuius opera, & industria complures aliæ ciuitates muris cinctæ, & munitæ fuerunt. Constant autem mœnia duplici muro, sed dispari altitudine. Interior enim pars duplo altior exteriori, eadem etiam proportione, turrets eminentiores habet. Propugnaculis altissimis vniuersus ambitus in formam ferræ dispositis, vndiq; cingitur, adeo mirabili artificio, vt ex utroq; muro hostes à lateribus, & à fronte missilibus (vt illa tempora ferebant) facile arceri, ac propulsari possent. Sed iam tempus postulat, vt receptui canamus, & à muris Eboræ recedentes, ceteras Lusitanæ vrbes, in quibus Romanæ antiquitatis extant vestigia, peragemus. Libet autem pro meo erga Eborenses amore singulari, hanc orationis partem, faustis piisque præcationibus claudere, Deum Opt. Max. & cœli Reginam, omnesq; Sanctos, sub quorum numine, & tutela hæc vrbs est, orando; vt eam in perpetuum saluam, & incolumem, virtute, iustitia, morum disciplina, rebusque omnibus florentem conseruent.

F I N I S.

L. ANDR.

L. ANDR. RESENDII, PRO
COLONIA PACENSI, AD IOANNEM

VASÆVM VIRVM DOCTIS-

simum Epistola.



10 **Q**UAS ac fortuito accidit Vasæ, ut quum essem in mea bibliotheca, au-
 direm in vicinia quendam de Salmantica loquentem. Quare aperta
 fenestra, vbi compellauit hominem, respondit publicum te scholasti-
 corum isthic esse tabellarium. Intromissum percunctatus sum, ecquid
 litterarum à Vasæo ad me. Ad me quidem ille nihil, multum ad mul-
 20 tos. Meretur forte hoc diuturnum silentium meum, singularis certe
 amor & benevolentia erga te, non meretur. Sed esto, quamquam mul-
 ti mihi ad excusationem cessationis erant regressus, par pari relatum sit. Nam querulam
 & expostulatricem amicitiam, homo minime morosus, neque vnquam gessi, neque eos
 iudicio meo comprobauit, qui dum persuasione quadam falsa contemni se putant, mole-
 stas faciunt amicitias. Tria sunt in præsentia, de quibus potissime scribendum ad te duxi.
 30 Primum facio pergrauate. Non quod nolim factum, volo enim & cupio, si quisquam alius,
 sed quod in litteris ad te de tuis laudibus, & meo more orationi moderari cogor, & vere-
 cundia tua habere rationem. Eoque factum est, ut de editis chronicorum libris diligen-
 tissime à te scriptis, amicorum tuorum mea vnus serissima fuerit gratulatio. Sit illa quan-
 tumlibet sera, certe qui secum reputarit quem locum, quem numerum, in iis libris ego
 obrineam, quam sæpe honorificentissime adpeller, siue id grato & beneuolenti erga me fe-
 ceris animo, seu candore tibi ab natura insito, nam exacto iudicio tuo, aut merito meo, di-
 cere, superbum existimo, sed quoquo id modo sit, qui secum hæc reputarit, intelliget, de
 libris his, omnibus qui in hoc præstando officio moram & cunctationem meam præuer-
 40 terunt, me tacitum, quum prius tum libentius esse gratulatum. Sed ego videor illorum
 obliuisci, quæ paulo ante dixeram. Quare ad reliqua duo, quæ tibi, ut spero, aliquanto gra-
 tiora sunt futura. Alterum est, de epistola mea tumultuaria opera ad te scripta, quam tu me
 neque consulto neque probante, inter tua edendam curasti. Eam posteaquam ad te misi,
 quum per otium retractassem, & Martino Aspilcueta Nauarro, doctorum academice Con-
 imbricentis facile & absque controuersia principi, ostendissem, atque ille qua monendo,
 qua auctoritatem suam interponendo, vrgeret ut ederem, quod in rem studiosorum esse
 existimaret, durum & inexpugnabilem me præstiti. Sero nunc non gesti tali viro moris me
 50 pœnitet. Nam si publicanda erat, quanto retractatiorem multisque locis resectam in pu-
 blicum exire præstitisset? Tamen quando neque præteritum mutari, neque quod factum
 sit fieri infectum potest, det illa prior celeritatis suæ pœnas, posterior hæc, quam modo
 60 mitto, in eius subcedat locum, sine vlla iam extemporali gratia, cum aliqua etiam elabora-
 tæ diligentia nota. Alterum, quæ tertia mihi scribendi causa fuit, ex tuis libris adcepi. Nam
 vbi de Pacensi vrbe agis, quam ego eam esse, quæ nunc in Lusitania Bexa nuncupatur, &
 pridem scriptis editis, & sermone semper adfirmauerim, quuius tamen flaminium, post
 inlatam à Pœnis ei vrbi cladem, Badiozam translatum sit, manete priore Pacensis pontifi-
 catus titulo, narras tu ista quidem, sed Ioannis Genesis Sepuluedæ, quem honoris causa
 nominatum velim, opinionem adducis etiam, qua ille meum de Pacensi colonia testimo-
 70 nium, apud te videtur fecisse dubium, ac controuersum. Eam modo rem, in studiosorum
 rerum antiquarum, & Pacensis coloniz gratiam, disceptandam suscepi. Ponam ergo ipsa-
 met tua verba, ex Genesis, ut ais, admonitione. (*Alii episcopum Pacensem ab ipso statim initio*
 80 *dictum adfirmant, à Pace Augusta, vrbe & colonia Romanorum, Ana fluuio adposita. Nam Pax Au-*
gusta, Maurorum corruptione, in Baxaugus, deinde in Badaxos, degenerauit. Quæ vrbs quamquam
ex parte Batica adposita est Ana fluuio, tamen quia Lusitania iurisdictioni contributa erat à Romanis,
idcirco ab eis inter Lusitanas censebatur. Quæ ratio eadem est Metallinensis colonia. Horum me admo-
nuit Ioannes Genesis Sepulueda.) Omnium primum, Vasæ, illud nobis constituendum est,
 coloniam Pacensem urbem esse Lusitaniz. Id perspicuum nobis faciet: vel iurisconsultus
 Paulus, ff. de censibus, l. In Lusitania Pacenses & Emeritenses iuris Italici sunt, vel Plinius lib. 4.
 cap. altero & vigesimo sicut vulgo circumfertur. Iulii autem cognominis, meminit Ptole-
 90 meus, in Lusitaniz descriptione. Κατέχουσι τὸ πᾶν αὐτὸ τὸ ἱερόν ἀκρωτήριον, τετραπύλαι, οἷς αἰὲν ἐπὶ τῆς λυσιτανίας πόλεως μεσόγφοι, παξιλιὰ, ἰσλία, μυρτιλὶς, τὰ δὲ δευτέρω τῶν τριῶν,

Κελπιός. Turdetanos, qui circum Sacrum promontorium habitant, nostra ætas Punicæ voce *Algarbios* adpellat. Celtici, ii sunt, qui interius vltiorem Anæ fluminis ripam incolunt, ad urbem vsq; Heluas, quæ ipso etiam nomine Gallicam præ se fert originem, ex Heluis Celtarum Narbonensis prouinciæ populis. Celticos autem à Celtis deriuari, vt à Gallis Gallicos & similia, notius & vulgatius est, quam vt admonendum videatur. Sita ergo est Pax Iulia in mediis Turdetanorum Celticorumque confiniis, Iuliæ Myrtili, quam *Mertulam* vulgo dicimus, vicina. Esse autem ea quæ modo Bexa dicatur, probari potest, tum à longitudine latitudineque à Ptolemæo descripta, tum quod ab ea Turdetanus ager incipit, tum etiam à Myrtilis vicinitate, quæ, præterquam quod à Ptolemæo ostensa est, ex Antonini præterea itinerario deprehenditur. Sic enim ille. *Ab Esuri, per compendium, Pacem Iuliam M. P. plus minus LXXVI, sic Myrtilin, M. P. XL. Pacem Iuliam, M. P. XXXVI.* Qui numerus optime conuenit cum nostra nouem leucarum computatione, qua leucæ vni, quatuor millia passuum adsignamus. *Esuris* vero, vt id quoque non omittamus, oppidum est in Bætica ad Marianos pertinens montes, nequaquam tuo nostro ignobile, quod deformato paulatim nomine, dici cœpit *Exeriz*, deinde *Xeriz*, Badiozæ vrbi attributum, à qua vix quindecim passuum millibus abest, vt hoc ipso, Badioza Pax esse Iulia non possit. Confirmatur etiam quod adserimus, compluribus in ea vrbe monumentis Romanorum, ipsum Pacis Iuliæ nomen ostentantibus, vt in fragmento hoc quod est in muro, besalibus inscalpto litteris.

R I Æ P O N T.

F L A M. P A C I S I V L I Æ.

Et in hoc quod est in gradibus summi templi.

P A X. I V L.

Q. P E T R O N.

Ibi quoque cippus integer est, Aurelio Commodo dicatus, in quo non solum *Pacis Iulie* nomen est, verum etiam coloniz. Is ita habet.

L. Æ L I O A V R E L I O

C O M M O D O

I M P. C Æ S. Æ L I. H A D R I A N I A N T O N I
N I. A V G. P I I. P. P. F I L I O C O L. P A X.
I V L I A.

D.

D.

Q. P E T R O N I O M A T E R N O G. I V L I O.
I V L I A N O I I. V I R.

Facit ad eam quoque rem annalium libellus ille quem tibi aliquoties ostendi, sine dubio ante annos tercentum scriptus, in quo hæc ad verbum leguntur. *A. Era. M. CC. Prædie Calend. Decembris, in nocte sancti Andrea, ciuitas Paca, id est Begia, ab hominibus regis Portugalis domini Alfonsi, videlicet Fernando Gonsalui, & quibusdam aliis plebeis militibus, noctu inuaditur, & viriliter capitur, & à Christianis possidetur.* Iuuat non mediocriter nostram hanc rationem Rases Maurus, qui Marrochiorum tyranno imperatori vocato, tunc oppressa Punicis armis Hispania, Cordubæ regnanti, de rebus & urbibus Hispaniæ librum composuit. Quuius libri à me in scholiis in Vincentium nostrum mentio est facta. Is Rases quum de Bexa loquitur, *terminus*, inquit, *Bexensis altera parte Emeritensi termino iungitur, altera Scallabitano.* Terminus quem barbarus iste Rases dicit, non agri, territoriiue intelligendus est, sed iurisdictionis. Nam quum in treis iuridicos conuentus diuisa esset Lusitania, *Emeritensem, Pacensem, & Scallabitanum*, colligitur Bexæ conuentum fuisse Pacensem, & Bexam Pacensem urbem. Et quoniam Genesius argumentum etiam sumit ex deprauatione nominis *Pacis Augustæ in Baxaugus & Badaxos*, imitabor & ego illum, reddamque rationem corrupti nominis. Neque deterrebor, si ea res parum inlustrem faciat orationem, modo ei de qua agitur non parum adferat lucis. Ingenito oris vitio Mauri nonnullas nostras literas nequaquam recte pronunciant, sed eas vel in mutuo inter se cognatas, vt Hispani quoque solent, vel in sibi familiareis commutant. Est illis litera *Xim*, quam pingui admodum & vasto sono ita proferunt, vt stridorem feruentis sartaginis, præcipue vbi inter frigidum falsum quidpiam iniicias, referre videantur. Ea litera nostrum *S.* fere reddunt. Hinc fluuius *Singylis*, abiit in *Ximil*, *Sucro*, in *Xucar*, *Satabis*, in *Xatibam*, *Mentesa*, siue *Mentissa*, vt est apud Liuium, in *Mentixam* & *Montixam*. Illa quoque littera nostrum *C.* sequentibus e, vel, i, solent efferre, vt pro, *CE, CI, XE, XI*, pronunciant, sicut etiam ex hac contagione vidi nostrorum nonnullos, qui lenem illam doctiorum Italicorum prolationem perperam æmulati, pro

Cicerone,

10

30

50

Cicerone, Xixeronem, dicerent, & pro, *Feci, Fexi*. Redeamus ad Pœnos. Literam. p. Plerumq; transferunt in cognatam illi. b. Et ne diutius in his moremur, de industria, quum hæc scriberem, Pœnum adolescentem iussi Lusitanam hanc orationem pronunciare. *Sennor, perdone me vossa merce*. Hanc ille ita reddidit. *Xenior ber done me voxa mer xee*. Et pro *Pater noster*, dicebat *Bader noxter*. Tandem quo casurum sit tantum ineptiarum, aduerte. Pacensem urbem solebant antiqui, nunc addito cognomine, *Pacem Iuliam* dicere, nunc remoto, *Pacem* tantum, sicut *Bracaram Augustam*, vel tantum *Bracaram*; *Emeritam Augustam*, vel tantum *Emeritam*. Mauri itaque, pro *Pace*, mutatis litteris, *Baxe* dixerunt, inde vocalibus transpositis, *Bexa*. Iam dudum arbitror, ex insidiis auscultas, vt meum intercipias sermonem, destruasque hoc totum, quod molitus sum, & dicas controuersiam de *Pace Iulia* non esse, quam *Genesius* Lusitanæ urbem esse, non neget, sed de colonia Augusta Pacensi Anæ fluuio adposita, quæ licet ex *Bæticæ* parte sita sit, adscripta tamen esset Lusitanæ, quemadmodum & colonia Metallinensis. De *Pace Augusta*, statim. Fingamus tamen interim esse *Badiozam*. Sed quum, *Strabone* excepto, qui Lusitanæ Australe latus amne *Tago* determinat, reliqui omnes qui Geographica scripsere, vtramque prouinciam Anæ fluuio discerni tradiderint, neque urbem ex *Cisnani* aliquam, in *Tranfananam* prouinciam, aut contra in illam ex his contributam meminerit, vnde id probat *Genesius*? A Metallinensi colonia, quæ in eadem Anæ ripa sita est, quæ ad *Bæticam* spectat, & tamen inter quinque Lusitanæ colonias numeratur? Non ne? Coniectura igitur adauguratur, non autem valida quam *Genesius* ratione coarguit. Sed hanc ego coniecturam non tam leuissimam, quam vanissimam esse, iam ostendero. Adii ante aliquot annos, celeberrimum illud religiosissimumque tota Hispania Virginis Dei matris ad *Aquas Lupias* delubrum: Vnde votis quæ susceperam, rite persolutis, quum redirem, vestigandæ antiquitatis causa Metallinense oppidum deueni. Sumptisque indidem qui comonstrarent, quum cernerem situm esse oppidum ex parte *Bæticæ*, magnopere admirabar, hæsitabamque essetne ea Metallinensis olim colonia. Inde conscensa arce, subiectum agrum circumspectans, aduerti longo limite depressum locum in speciem sicci aluci, ad Australe ipsius oppidi latus. Super qua re rogati commentatores responderunt, vbi paulum excreuisset amnis, redundantia illac etiam meare. Euestigio subiit animum illud *Horatii* nostri,

*Cursum mutauit iniquum frugibus amnis,
Doctus iter melius.*

Idq; quum apud me pro non ambiguo iam esset, non audebam tamen adseuerare, donec è re nata sententiam eam corroboraui. Ex eodem enim latere, à medio arcis colle ad imam planiciem, brachium duplici muro, ac opere fornicato, ductum olim, nunc rudibus pœne obrutum, inueni, per quod ii qui in arce essent, tecti & inuisi aquarentur. Manifestum indicium illa parte fluxione perenni antiquitus iuisse fluuium, oppidumque ipsum re vera in prouincia fuisse Lusitania, quod nunc mutatione fluenti, *Bæticæ* parua quædam est adcessio. Videsne iam non tantum labasse, verum corruisse etiam *Genesii* rationem, subruo firmamento quod tamquam validissimum ad adprobationem ille adsumpserat, *Badiozam* attributam Lusitanæ, quemadmodum & Metallinensem coloniam? *Pacem* iam Augustam adgrediamur, & apud quem auctorem, quæue in terra sita fuerit, consideremus, *Pacis Augustæ* nomen apud vnum *Strabonem*, & quidem corrupte, legitur. Quuius verba, vt vulgo in latinam linguam conuersa circumferuntur, adponam. Ita enim de *Tarresto*. *Verum regionis felicitate, mansuetudine, simul & urbanitate, adcedit proxime ad Turdetanos & Gallos, propter vicinitatem cognationemq; vt testis est Polybius. Caterum illis minor. Vt plurimum enim vicatim habitant, & viuunt. Nam Turdetani, præsertim qui circa Batim loca tenent, in Romanos penitus ritus transformati sunt, nec propria memoriam lingue seruant amplius, plurimiq; Latini facti, secum adcolas adcepere Romanos. Itaque parum abest, quin vniuersi Romani sint. Et nunc habitant in urbibus, & in Gallia Pezaugusta, & alia in Turdulis Augusta Emerita, & in Celtiberis Cæsarea Augusta, & alia coloniarum quedam, permutatos dictarum ciuitatum ritus demonstrant.* Heic inuenimus potius quam reprehendamus interpretes, qui tamquam aliud agentes. ita Celticos qui Anam adcolunt, Gallos, & eorum regionem Galliam adpellant, quasi non de Hispania, sed de Gallia ipsa *Strabo* ea scribens loqueretur. Et quod maioris videtur esse negligentia, *Strabo* ita scripsit. *καὶ τὸ ἡμερῶν, καὶ τὸ πολιτικὸν, σωηκελθθησε τοῖς τερδαινοῖς, καὶ τοῖς κελτικῶν.* id est, & mansuetudine ac ciuilitate correspondent Turditanis & Celticis. Item οἶτε νῦν σωηκεσμέναι πόλεις, ἢ τε ἐν τοῖς κελτικῶν πεζαυγῆσα. siue vt legendum magis arbitror, *παζαυγῆσα.* id est, Et nunc coactæ siue coadunatæ ex pluribus ciuitates (id enim significat græca dictio σωηκεσμέναι.) in Celticis quidem *Pax Augusta*. Nec excusari poterit interpres, quod

supra legatur ita. ὁ δὲ ἄνας πρὸς νότον ἐπιτρέφει τὴν μεσοποταμίαν ἀφορίζων, ἢ κελτοὶ
 νεμονταὶ τὸ πλεόν. Id est. *Atqui Anas, sese in Austrum conuertit, interamniam regionem illam
 distermians, quam Galli maiori ex parte possident.* Nam sine dubio legendum esse κελτοὶ,
 id est *Celtici*, non κελτοὶ, id est *Galli*, adparet ex iis quæ de Artabris circa Nerium incolenti-
 bus, paulo post scribit. ὡς οἰκῆσι δὲ αὐτῶν κελτοὶ, συγγρηῆς τῆς οὐν ἄνα. Id est, *circum ha-
 bitant eam Celtici, consanguinei, aut si ad verbum vertendum est, congeneres eorum qui ad Anam
 sunt.* Quum audis Celticos ad Nerium, eorum esse consanguineos qui ad Anam sunt, non-
 ne clarum est, & hos & illos Celticos vocari, non Gallos aut Celtas, tamen & Celtici Gal-
 lica gens sit, & à Celtis profecta? Scio Gallos omneis, id quod etiam Strabo libro quarto
 scriptū reliquit, siue propter Celtarum claritatem siue propter Massiliensem vsū cœpisse
 à Græcis vocari *Celtas*, vel potius *Celtos*, qua forma multum vsus est Polybius, & nōnun-
 quam Strabo, quamquam Celtæ tertia tantum sit Galliæ pars, Cæsari, & reliquis Latinis
 scriptoribus, & ipsimet Straboni. Sed tamen conferendis ambobus, quæ citauimus locis, po-
 tuisset interpres admoneri. Quod non carpendi, sed rei ostendendæ causa dictum sit. Ve-
 ra igitur ac germana verborum Strabonis interpretatio erat, *In Celticis quidem, Pax Augusta.*
 Aiebat ergo Strabo Tartessios mansuetudine & ciuili viuendi ratione adcedere proxime
 ad Turdetanos, hoc est, ad veros Bæticos, & ad Celticos Anæ adcolas, quos supra ex
 Ptolemæo Lusitaniæ esse populos esto stensum, ad illos, propter vicinitatem, ad hos, pro-
 pter cognationem, quin & propter vicinitatem. Neq; enim multum inter se distant, sed
 inter Celticos & Tartessios solum Turdetani Bætica interiecti mediique sunt. Et quidem vitæ
 humanioris causam iis populis fuisse Romanorum consuetudinem, à quibus & linguam,
 & mores & ciuilem viuendi in vrbeis rationem ac modum adcepissent. Ob eam quo-
 que causam, sprete pristina vicorum habitatione, vrbeis iam frequenteis coli, in Celticis
 quidem Pacem Augustam, in Turdulis vero Emeritam Augustam, & in Celtiberis Au-
 gustam Cæsaream. Hos autem, quos diximus, Celticos etiam Straboni esse, liquet ex ipsius
 verbis, quæ antea retulimus. Nam vbi continentem ad Sacrum promontorium, inter A-
 nam Tagumque describit, ὁ δὲ ἄνας, πρὸς νότον ἐπιτρέφει, τὴν μεσοποταμίαν ἀφορίζων, ἢ
 κελτοὶ νεμονταὶ τὸ πλεόν, καὶ τῆς λαισιταίων πινες ἐκ τῆς περὲς τῆς πάγου μετοικίς γενέτες ὑπὸ
 Ρωμαίων, id est, *Atqui Anas sese in Austrum conuertit, Interamniam regionem illam distermians,
 quam Celta, (vel vt ego legendum puto, Celtici) maiori ex parte possident, & Lusita-
 norum nonnulli, ex vltiori Tagi regione in coloniam traducti à Romanis.* Audis heic Lusitanos
 deductos in coloniam à Romanis ad Celtas, siue potius ad Celticos, illeic audisti in iisdem
 Celticis esse Pacem Augustam. Obscurum ne etiam est coloniam hanc Pacem Augustam
 esse? Quod si colonia Pax Augusta in Celticis est, Celtici vero Lusitaniæ populi, vtique
 & Pax Augusta Lusitaniæ ciuitas. Ad hæc, Straboni Pax Augusta Lusitanorum colo-
 nia, in Celticis est, Ptolemæo Pax Iulia Turdetanorum Lusitanorum vrbs in confinio Cel-
 ticorum Lusitanorum ponitur; ex vetere inscriptione Pax Iulia colonia esse ostenditur,
 Plinio autem quinque tantum coloniarum in Lusitania numerantur, Emeritensis, Metallinen-
 sis, Pacensis, Norbensis, Scallabitanæ, Nonne id conficitur, eandem esse Pacem Augustam
 & Pacem Iuliam? Vel ostendat Genesius duas in Celticis colonias, alteram Pacem Augu-
 stam, Pacem Iuliam alteram. Neq; vero quemquam moueat, quod Ptolemæus & Plinius,
 etiam in ea Bætica parte quæ à Bæte ad Anam est, & proprie Bæturia adpellatur, ponunt
 Celticos, ad Hispalensem conuentum pertinentes, quemadmodum & Turdulos, qui iu-
 ra Cordubam peterent. Nam aiente Plinio Celticos hos aduenisse in Bæticam à Celticis ex
 Lusitania (sic enim legendum, non à Celtiberis) perspicuum est, Celticos Lusitanos & vetu-
 stiores, & famæ fuisse maioris, parentisque non modo Celticorum Bæticorum, quorum
 nulla est apud Strabonem mentio, neq; alibi, neq; quum de Bæturia parte Bæticæ, ab ipso
 Bæte ad Anam tendente dixit, τοιαύτη δὲ καὶ ἡ βαγτουεῖα, ἐπεὶ ἴθνη πεδία τὰ παρήκοντα
 ἕνα, verum etiam eorum Celticorum, qui Nerium promontorium ad Artabros tenuere.
 Strabo vero quum Turdetaniam Bæti fluuio mediam diuidi, Ana terminari ad Septen-
 trionem & occasum, deinde ab Ana ad Sacrum promontorium Celticos & Lusitanorum
 plerosque habitare tradiderit. Pacem autem Augustam in Celticis conlocet, dubium non
 est, intellexisse eum Celticos Lusitanos, non Bæticos, quorum ipse non meminit. Præter-
 ea, quum Strabonis Pax Augusta adeo inlustris fuerit, vt vna cum Emerita Augusta &
 Augusta Cæsarea in argumentum Hispaniæ illo tempore mansuetudinis & vitæ politioris,
 propter Romanorum consuetudinem, ab ea inducatur, si hæc Pax Iulia nostra non est, co-
 lonia & iuridicus conuentus, in Celticis posita, vt Strabo ait, inter Celticos & Turdetanos

Lusitanos, ut Ptolemæus, quam dicemus esse alteram? In Celticis Bæticis unā quampiam, dicit Genesius. Ut hoc ratione aliqua niti videatur, duo illi ostendenda necessario erunt. Alterum, Badiozam quam ipse Pacem Augustam esse vult, in Celticis Bæticis esse sitam. At hoc non euincet, quum potius in Turdulis Bæticis esse multo sit probabilius. Nam Celtici Bælici qui Bæturiæ partem Lusitaniam prætensam ab Anæ ostio quinque tantum ciuitatibus Ptolemæo, aliquanto pluribus Plinio adcolebant, non tam late patebant quam Celtici Lusitani. Turduli vero Bælici Lusitaniam Tarraconensemque attingentes, erat gens amplissima, multarumque ciuitatum, quarum erat Corduba metropolis, quam in Turdulis esse Ptolemæus testatur, ut merito Plinius hosce Turdulos iura Cordubam petere dixerit. Eoque factum mihi videtur, ut Emerita ab his Turdulis solo amne Ana intercedente diuisa, in iisdem Turdulis esse Straboni dicta sit. Atqui Badioza quam non amplius quam triginta passuum millibus distet ab Emerita, quum magis Celticis quam Turdulis, Hispalensi conuentui potius quam Cordubensi adseribatur, huic propinquier, ab illo remotior? Discriminet arbitrio suo harum duarum gentium terminos Genesius, & Badiozam, quam Pacem Augustam esse contendit, referat ad Celticos, peram iam alterum illud è duobus quæ ostendenda ab illo esse dicebam, nempe ut auctorem proferat, qui liquido Pacem Augustam in Celticis Bæturiæ conlocet, quorum uti superius est ostensum Strabo non meminit. Nam Ptolemæo, Celticorum Bæticorum vrbes hæc tantum nominantur.

Βαυτικῶν κελτικῶν, ῥοῦκι, ῥοῦνδα, κέρμα, ἀκειπλή, οὐάμα. Plinius quoque Celticorum Bæticorum recensens oppida, quos ex Celticis Lusitanis aduenisse manifestum ait, sacris, lingua, oppidorumque vocabulis, quæ tamen cognominibus in Bætica distinguerentur, nullam omnino Pacis Augustæ mentionem fecit. Oblitus vterque est, inquit, Egregium vero Geographum vtrumque, peruerseque diligentem, qui quum in ignobilibus oppidis recensendis operam prope dicam luserint, nobilissimam coloniam prætermisere. Atqui non ita est. Sed nobilis illa Strabonis Pax Augusta in Celticis posita Pax Iulia Ptolemæi, ac Plinii est in Celticis quidem iuxta Strabonem posita, inter Celticos vero ac Turdetanos Lusitanos iuxta Ptolemæum, quoniam tractum hunc ab Ana ad promontorium sacrum, quem totum à Celticis possideri & Lusitanorum plerisque ab vltiori Tagi regione eo traductis Strabo dixit, hic alter mi-

nutus exposuit, Celticis Strabonis bifariam in Celticos ac Turdetanos diuisis. Quod si interrogas, si una eademque est, quum ergo ab Strabone cognominatur Augusta, quæ ab aliis Iulia? Interrogabo ego similiter, Gaditana vrbs, quum & Augusta, & Iulia Gaditana appellaretur, confirmante id Plinio in fine libri quarti. Cognominis enim vel huius vel illius rationem, causamue nisi diuinando, in tanta rerum antiquarum obscuritate, nos reddere non valemus. Sed si diuinationi locus vllus est, causa quum Pax Iulia vocaretur adsignari potest, quod Iulio res in Lusitania gerente, hæc Lusitaniam regio inter Anam ac Tagum, quam interamnam ideo Strabo vocat, domita ac pacata auspiciis illius fuerit. In quibus situm quum ex Transstaganis Lusitanis eo traductis urbem constituerit (nam à Iulio se conditos Pacenses ipsi fatentur, & vetus fama obtinuit, cui Rasas etiam Maurus attestatur)

40 boum capita ex marmore plerisque locis intersperfit, quæ adhuc extant, Pacemque à se Iuliam appellauit. Non tamen protinus nouæ vrbi coloniam Romanam ius, aut iuridici conuentus dignitatem tribuit, quum nondum rerum omnino potiretur. Ad quam forte sub Augusto prouecta, Iulii cognomen in Augusti mutauit, quod tamen diu non retinuerit, quum prius in gratiam conditoris inualuisset. Verum hæc diuinantes. Nobis satis est, si maneat incolume illud, quod conlatis inter se scriptoribus confeceramus, eandem esse Pacem Iuliam, & Pacem Augustam, Lusitaniam urbem, & iuridici conuentus coloniam.

Reliqua est parua quedam perleuisque obiectio, qui factum ergo sit, ut Badiocensis Epidiscopus multos iam annos Pacensis sibi titulum induerit. Sed in hac propellenda longe admodum minus laborandum nobis est, cognita etiam vulgo, post funestam illam Hispanis rebus inlatam à Pœnis cladem, sacerdotiorum mutatione. Nam vrbes prius claræ, ut quæque vel maiorem plagam adceperunt, vel ægrius reualuerunt, ita pristinum suum decus aut recuperarunt serius, aut penitus amiserunt. In nonnullarum locum alibi suffectæ aliæ.

50 Vbi nunc Emeritæ Augustæ Lusitaniam totius metropolitana quondam ἐπισκοπή? Quam multos annos Bracara Augusta Callæciæ metropolis, quum semel pessum isset, obruta iacuit? Granata innoobile quondam oppidum Iliberitanæ Dioceseos, quum de interitu suæ metropolis, per Maurorum tempora, ad immensas creuisset opes, & molem hanc hodiernam, tandem à Fernando rege non vno tantum nomine maximo, feliciter victa, & Christianis initiata sacris, in aderetionem, & si mihi per Ciceronianos liceat ita loqui, auctarium

nobilitatis, pontificiam dignitatem adcepit, & quidem inlustriorem quam olim habuisset *Ilberis*. Mentefa, in parum frequentis pagi redacta est forma, & pontificatus honorem habet Geena, siue, ut ipsi malunt, Gyena. Neque fortunatior fuit Ossonoba, spoliata sacerdotio, quod etiam Siluenibus nouæ mutationis rumore indies congelat. Sed harum trium, translatis alio dignitatibus, etiam tituli interiire. Sunt etiam quæ translato pontificali iure, apud nouum possessorem solum nominis sui titulum reuinerint, quasi quum solebant venditores non nequam, in iis quæ mancipio darent, rutis cæsis recipiendis sibi cauere, aut quemadmodum fecit Mænius, qui in venditis ædibus saltem columnam vnde spectaret, exceperit. Ad istum modum, translata Compostellam Episcopali sede, quæ Iriæ Flauix ante fuerat, nihilo tamen scelus episcopus Iriensis eatenus adpellatus est, quoad metropoli constituta, etiam is titulus obsoleuit, sicut à nobis explicatum est, quum de translatione corporis Apostoli Iacobi ageremus. Sic etiam Igæditanorum ecclesia translata in urbem Gardiam, veterem adhuc adpellationem retinet. Longum est omnia ad hoc exemplum persequi. Hoc igitur pacto, Pax Iulia, quæ pontificem olim habuit, ut, tum ex subscriptionibus aliquot Hispanorum Conciliorum videre est, tum maxime ex concilio duodecim Prouinciæ Lusitanæ episcoporum Emeritæ congregato, sub Recefuintho rege, æra DCCCIII. quod in vetusto codice apud me habeo, quum & ipsa in Hispaniæ euerfione corruisset, amissum eius decus possidet quidem Badioza, sed Pacensis tamen conseruatus titulus, tum aduersæ Pacis Iuliæ fortunæ nos admonet, tum explicat veteris & prope exoletæ memoriæ recordationem.

Hæc habui Vasæ, quæ pro colonia Pacensi ad te scriberem, quæ etiam Genesis probatum iri non diffido. Nam ut prima laus sit, ea dicere, quæ veritate vndique fulciantur, certe proxima primæ est, sine pertinacia rationem ad veritatem ipsam reuocare. Magni quoque est animi, & hominis ingenue docti, quum ab erratis, reuicto ab aliis errore tuo, non iracunde contra niti, sed æquo aut potius lubenti animo, conuulsam veritate opinionem remittere. Quod ad me attinet, si Genesis ipse aliquid melius veriusque, quod pro Badioza adferat, etiam habuerit, idque nobis, ut erudito homine dignum est, non inuideat, tantum abest, ut meas has rationes verioribus confutari vel doleam, vel indigner, ut etiam ea remagnam initurum illum apud me gratiam iam nunc pollicear. Etsi enim diligentis nomen & amo, & quodammodo videor meo mihi iure sine adrogantia vindicare, tamen non tantum mihi sumo, ut aliis multa non concedam. Verum hæc hæc. Erant præter hæc, quæ communicata te eum vellem. Sed ea, quod nondum satis maturuerunt, commodius alias. Mitto ad te oratiunculam, qua nostræ urbis nomine, aduentui Ioannæ Caroli Augusti filix, principi nostro desponsæ, publice sum gratulatus. Mitto autem Lusitanæ scriptam, ut ad Semilusanum. Sin tu iam omnino Hispanus factus es, scito etiam Hispanis adeo placuisse, ut supra viginti exempla primores eorum à me extorferint. Vale.

Postquam hæc ad te scripsi, quum in tuis libris iterum urbium, quæ siue olim habuerunt, siue nunc Episcopos habent, catalogum legerem, hæsi ad Tabetanum Episcopatum, quem te ex tertio Toletano Concilio adcepisse arbitror, in quo subscribit, *Muttose Tabetana Ecclesia Episcopus*. Et suspicaris eum Episcopum Africanum fuisse, ex eo quod apud Cyprianum in Carthagenensi Concilio legitur, *Martyr Secūdianus à Tabeis, dixit*. Sed nihil opus est, ea causa trans fretum peregrinari. Nullus enim Tabetanus, seu ex Africa seu aliunde gentium, Episc. in Toletano illo Concilio fuit: sed electio peruerse posita fefellit. Legendum quippe, *Mutto Satabitana Ecclesia Episcopus*. Nam Satabis, etiam Episcopum olim habuit, ut patet ex subscriptionibus Toletanorum Conciliorum, quinti, octauæ, & vndecimi. Et tu Satabi sedem Episcopalem fuisse, etiam adnotasti. Huius te rei visum est admone-
re, si forte eum locum recudere non graueris, Etiam vale.

Eboræ, quarto Nonas Februarii.

M. D. LIII.

L. ANDR.

L. ANDR. RESENDII, PRO
SANCTIS CHRISTI MARTYRIBVS VIN-

CENTIO OLISIPONENSI PATRONO, VINCENTIO,

Sabina, & Christhetide, Eborensibus ciuibus, & ad
quædam alia Responſio.

AD BARTHOLOMÆVM KEBEDIVM,
sanctæ Toletanæ Ecclesiæ sacerdotem, virum doctissimum.



VAM non parum studiis meis debeam, si antea, neq; semel, expertus non essem, ex tuis modo ad me literis Kebedi eruditissime, satis superque potui animaduertere. Satis enim amplum ex iis fructum me cepisse confiteor, non modo ex ipsa rerum notitia, propter quam sedatus illa sum, qualis qualis mihi ea contigerit, verum etiam ex doctorum grauiumque virorum, quam mihi domi ac foris conciliarunt, amicitia. Fuerint sane aliis studia sua ad rem amplificandam lucrosiora, mihi vnum hoc emolumentum ad hoc ætatis, fuit semper, eritq; propositum. Quuius,

percupidum esse me, nequaquam pœnitet. Sed doleo, quasiq; subiraſcor, has ad me literas ex ante diem calendarum Iunii anni superioris Toleti datas, vsq; ad eîdus hæſce Ianuarias iter paucorum dierum vix tandem confecisse, aut mihi redditas non esse, præſertim quum eo tempore ego minime latuerim, vt illis aliquot annis, quibus tu meum congressum frustra, vt ais, expetisti. Perpetuum siquidem eum annum Olisipone egi, palam mediaque in luce. Nempe eo vocatus à meo principe, ad prouincialis concilii decreta scribēda, & quotidie itabam ad summum templum, ad Episcopos. Quod nisi tam diu illæ obdormiuissent, iam haberes ad ea quæ à me quaesisti responſionem. Et, si satis tibi esset factum, ad quiesceres; sin non esset, commodius ipse aliquid excogitares, ac commentareris. Refarciam tamen iacturam hanc, si iactura vocari mereatur, prolixissima responſione, vt mea verbositate ad fastidium vsq; satur, incipias minus nostra esurire. Sequarq; in respondendo propositum à te quaesitorum ordinem. Beati confessoris *Gundisalui* officium à me compositum mire extollis. Gaudeo sane, & ita vere adfectum esse te, non solum gaudeo, sed exulto. Modulationem tamen cantus valde improbas. Quid ni improbes? quum tam deprauate typis excusa sit, vt ego eam nec adnoscam, nec saltem cantare me posse villo modo sperem, qui eam composueram. Spero tamen te, ipsam typographi culpam à me præstandam, pro tua æquitate, non existimaturum. Ego, vir doctissime, autographum meæ manus in comitiis sacerdotum Predicatorii instituti *Scallabi* habitis, quum obtulissem, scriptura comprobata, eantus examen commissum est fratri *Isidoro*, homini veſtrati, musicæ compositionis bene perito, & quatuor aliis, qui choragium in suis agerēt cœnobis. Qui quum semel atq; iterum inoffense cantassent, retulerunt patribus, non modo se modulationem probare, sed illa etiam mirifice fuisse delectatos. Quumq; vno consensu dictum esset placere recipi, in comitium vocato, publice actæ gratiæ, & ab omnibus omnia mihi felicia exoptata. Adde amplius. Quotquot inde Olisiponem redierunt, vna cum prouinciali præfecto, in naui officium ipsum cantillando, nauigationis tædum iucunda cantus voluptate sese propulisse, gloriati apud me sunt. Data post id imprimendi prouincia monacho viro hercle docto & probato, sed impressoriæ artis inexperto, neq; scio quam canendi perito. Qui tum typographo insigniter eius rei ignaro, ad hunc modum rem gessit, vt nisi denuo ad autographi ipsius fidem modulatio recudatur, posse cantari mihi sane videatur impossibile. Neq; hoc dico, quasi culpam vniuersam à me ablegem, & in typographum reiectam velim. Neq; tu, si alioqui, præter deprauationem, absq; compositione est, culpam à me transferas. Si quid peccatum est, & minime ex arte factum, id ad me pertinere peccatum profiteor. Nam tamen non omnino rudis eius artis fuerim, eatenus tamen in ea laboraueram, quatenus opus erat homini choro & altari destinato. Cæterum literarum studiis amplius delectatus, scriptoris non indiligentis nomen aliquod, & sermonis nitor ē, quoquomodo potui, cōlectatus sum. Quam feliciter, viderint lectores. Musici exquisitoris decus non ambiui. Tantum, quum officia nonnulla huius nostræ Eborensis Ecclesiæ à mea officina prodierint, ex eadem, cantum adieci duobus, alteri *Reginæ sanctæ Elizabethæ*, alteri huic *Diui Gundisalui*, nimirum offensus cantu ab aliis in aliquot mea alia officia composito, per diuersa systemata euagante, nullaque ἀρτων ἔξ ἡστων ratione modo fastigato, modo depresso, Atqui ego

dederam, vt putavi, operam, ne *μελοποιια* sensui ac literæ non conueniret. Et si ad Gregorianæ compositionis me normam adigis, si quidem hic exordium & antiphonarum cantus, quem omnes Ecclesiæ sequuntur, Gregorii est, possum ostendere me nihil sine exemplo fecisse. Vitauit tamen longiorum pneumaticum perplexitatem, & super breuibus syllabas ad centum destitutas morosam multarum notarum inculcationem. Sed vereor ne tu me iam ineptum arbitrere, qui hæc apud te, virum, vt nihil amplius addam, inter Ecclesiæ Toletanæ symmetas celebrem. Quare ad illa quæ tibi placere magis significasti, iam pergam.

Viscella fluuius, Lusitanæ *Viscella* dictus, in Auum maioris famæ fluuium, paulo infra Neruæ Traiani Cæsaris memoriam, in ipsa *Auri* ripa perdurantem ingreditur. Intra quorum fluuiorum confluenteis, *Vimaraniensis* est ciuitas, sancti Pontificis Damasi quondam patria, si per vestros liceret. Tametsi nondum decennium est, quum prodiit Onuphrii Veronensis viri diligentissimi, de Pontificibus Romanis liber, omnibus Urbis templis, archiuis, bibliothecis, perquisitis, adcuratissime compositus. Is penitus Lusitanum ac *Igeditanum* eum facit. *Sanctus*, inquit, *Damasus, Antonii filius, Egitanensis, Lusitanus Hispanus*. Sed ego Eborenensis Ecclesiæ vetustum codicem sum sequutus, quum eius vitam Breuiario inserui, A Vimaraniensi ergo ciuitate interstitio sedecim milliū passuum, hoc est leucarum ad nostram rationem quatuor, oppidum est *Athanagilde* *Viscellæ* impositum, *Athaagilde* Lusitanæ vocatum, è regione oppidi *Sancti Verissimi*, in altera fluuii ripa locati. Non procul ab *Athanagildi*, secundo flumine, *Vimaranium* versus, oppidum & templum *Sancti Pelagii* est, quuius Gundifalvus rector fuisse perhibetur, antequam Hierosolymam petit. Fueritne *Athanagilde* id nomen à Gotthorum rege sortitum, an aliam ob causam, adseuerare modo non possum. Exstant vestigia quædam non contemnendæ antiquitatis, & ædes semidirutæ *Palatia* vulgo adpellatæ, structura plane Gothica, non Romana.

Tamaca fluuii nomen, quod Lusitanum petis, *Tamaga* est. Oritur is amnis non procul à Monte Regio Gallæciæ oppido, inde *Aguas* adluens *Flauias*, de quibus alibi, *Amaranthum* descendit, mediamq; secat, vt duplex oppidum efficiat, duplici foro, duplicique iudicio. ponte nobili lapideo à Gundifaluo exstructo vtrinque iunctum. Idque est, quod in Hymno dicitur. *Nec capit duplex Amaranthus amplas sepe cateruas*. Quod quam vere dictum sit, liquere hinc potest, quod paucis ante diebus quam hæc ad te scriberem, certior factus sum, ipsius dicato die, quarto eidus Ianuarii, supra quatuordecim millia sexus vtriusque *Amaranthum* ad sancti viri sepulchrum conuenisse.

Quod interrogas de sanctæ Regiæ *Elizabeth*, officio, & an ante meum hoc aliud existeret, quod tamen apud solas Claraleis Conimbricensis Parthenonis virgines, vbi ea Diua sepulta est, festo eius die ad quartum nonas Iulii celebraretur, quæue id auctoritate, sic accipe: Felicis memoriæ Emmanuel rex, ab Leone decimo Rom. Pontifice impetrarat, vt in Parthenone sepulturæ eius, & in ipsa vrbe & diocesi Conimbricensi, sancta hæc Regina, vti Diua coleretur, pingeretur, & inuocaretur, eiusq; annua memoria inibi celebraretur. Canebaturq; tunc officium illud quo me offensum in præfatione sum testatus. Eaque fuit causa, vt nouum ipse facerem. Crescente indies propter miraculorum frequentiam fidelium adfectu, & propagata per totam Lusitaniam sanctitatis eius fama, piissimus Ioannes hoc nomine tertius, erga quem gratitudinem animi tui & probo, & magni equidem facio, non satis pietati suæ esse putauit, tam angustiis terminis eum cultum circumscribi. A Paulo igitur quarto summis precibus contendit, vt sicut ea Diua toti olim regno præfuerat, sic à toto modo *beatam* coli, celebrariq; permetteret, Adnuente pontifice, factum est, vt Diuæ memoria anniuersaria vbiq; iam celebrior habeatur.

Moues deinde controuersiam, neq; sane exiguam, inter Lusitanos nostros, ac Gallos prouinciæ Aquitanæ, de reliquiis corporis *Diui Vincentii* leuitæ & martyris, in quibus Lusitanis Olisipone in summo templo haberi, vbi religiosissime colitur, vt ipse testis oculatus es, Gallis contra, ad *Castrense* oppidum Aquitanæ delatas quondam à monacho, qui Valentiam deueniens, Mauri quuiusdam indicio inuentas furatus sit. Cum quibus etiam *Valentinos* facere adseueras, & irridere solitus qui secus sentiant. Quemadmodum & *Petrus Antoninus Beuter* iocatur in nostros, quasi Vincentii corpus dicant natatu deuenisse ad promontorium Sacrum, quod ab illo postea Sancti Vincentii nomen sortitum sit. Facetum hominem. Sed si facetos & ipsi nos faciamus, non deest ingenium ad facetias aduersus sannionem Beuterum cōminiscendas. Verum potius citra vel iocos, vel iracundiam, sedato quietoque animo, dispiciamus vtri veriore ac probabiliore se tueantur historia. Venit quidam monachus Valentiam, quadam motus reuelatione, regnante apud Gallos Carolo Caluo. Qui nimirum regnum auspiciatus est, circa annum Seruatoris octingentesimum quadragesimum primum. Is monachus mysterio quodam, industriaq;

Saraceni quuiuspiam, sanctum corpus inuenit, & furatus est. Iam ergo Valentia in potestate erat Saracenorum, & sancti martyris corpus desertum ac sine custodia. Pergamus. Quumque clam illud abstulisset, deueniens Cæsaraugustam, præda illa nobili spoliatus est. A quibus? A Saracenis, an à Christianis? A Christianis arbitror. Namque custoditus ibi est. Vnde post annos plerisque quibusdam ambagibus deportatum tandem est in Gallias ad Castrense oppidum, sub Pontifice, vt Platina dicit, Ioanne Anglico, quem ipse octauum facit, hoc est, anno Christianæ salutis octingentesimo quinquagesimo quarto, aut quinto, vt Beuter autem adfirmat, anno à Christi natali octingentesimo sexagesimo tertio. Quo tempore, non Ioannes, sed Nicolaus, erat Pontifex. Vtroquumque modo sit, non paucos annos Cæsaraugustæ retentum corpus fuisse adstruunt, indeque postea deportatum. Quod si Christiani auferri sibi siuerunt, immane quam male meriti fuerint, parumque pii, qui diuum indigenam, suumque ciuem, & qui, vt sacer ait Prudentius, *peregre necandus, Martyr his terris tenui notarat Sanguinis rore specimen futuri Morte propinqua*, oblatum sibi tam opportunè, quasi iure postliminii redditum, sic abire permiserint. Nisi se etiam furto alterius monachi circumuentos esse querantur. Eos tamen antequam Lusitanos audierimus, nequaquam arguamus. Non proferemus monachia furta, sed regni publicos annaleis, & Alphonsi Henrici, primi Lusitanorum regis historiam, non modo hanc quæ Lusitana lingua circumfertur, à Duarte Galuano viro nobili & eruditionis variæ, non tam compositam, quam in epitomen redactam, sed antiquam ab ipsius regis temporibus Latine, vt illa ferebant tempora, scriptam, quæ à Sanctæ Crucis Conimbricensis, vbi idem rex sepultus est, canonicis reuerenter adseruatur. In his ergo legimus Alphonsum Henricum in Orichienfi agro memorabili prælio Ismarium, aliosque quatuor Saracenorum reges fuisse, & exutos castris, multis milibus interemptis fugasse. Cui Conimbricam reuerso, obcurrisse sanctum Theotonium gratulandum. Qui quum inter captiuos vidisset aliquam multos, qui se Christianos esse dicerent, *Muzarabas* vocatos, hoc est, vt interpretantur, *mixtos Arabas* petiisse à rege, vt libertate donarentur. Quos ad se vocatos, quum interrogasset rex, qui nam, aut vnde gentium essent, respondisse, origine quidem se Valentinos, incolas vero promontorii fuisse illius, quod in Algarbii finibus mari prominet. Eorum maiores Valentia simul cum corpore sacratissimi martyris *Vincentii* aufugisse, metu aduentantis Abderamenis, illoque in promontorio confedisse, domosque ibi pauperes inædificasse, iuxta facellum, vbi sancti martyris corpus custodirent. Illique eos mansisse, donec Maurus quidam potens venationis causa eo deueniens, eorum parentis obeidisset, se pueros captiuos fuisse abductos. Signum rei certæ illud se posse dicere, si domunculæ permanerent, aut corui saltem, qui facellum illud familiariter frequentarent, à tempore quo martyr beatissimus illuc adplicuisset, vnde factum esset vt Mauri promontorium illud *Coruorum montem* adpellarent, id etiam dum pristino more facerent. Regem his auditis, incensum cupiditate, iniisse consilium, probasseque fieri aliquot dierum inducias. Eoque quum iuisset frustra, loci facie situ iam deformata, infecta re tunc quidem reuertisse. Verum debellatis postea paulatim Saracenis, captaque Olisipone exarsisse desiderio inueniendi martyris, eaque gratia construxisse canonicorum cœnobium. Diuoque *Vincentio* nuncupasse. Anno tandem à capta Olisipone vigesimo sexto, Allibo Iacobo Hispalensi regi inducias in quinquenium postulanti, sola huius rei gratia concessisse, ac misisse ad promontorium Saracenis iam vacuum viros armatos in nauem, vnaque ex Muzarabibus illis seniores, qui locorum melius recordarentur. Ibi suppliciter adorato numine: domuncularum ac facelli, coruorum indicio, tandem reperisse vestigia, multisque fossionibus aperta terra, & ruderibus expurgatis, inuenisse ligneum facti corporis conditorium, subtus dirutam facelli aram. Quumque inter colligendum semiputre conditorium, ex iis qui aderant vnus clam paruum os abscondisset, lymphatum ac cæcum cœruisse, donec quod in sinu absconderat, deprompsisset. Inde corpus impostum nauem quum esset, coruos duos, alterum in prora, alterum in puppi confedisse, tanquam familiaris Diui alumnos, neque inde reuolasse, verum comitatos in nauem sanctas patroni reliquias. Tandem adplicuisse Olisiponi, iuxta fanum Duarum *Iustæ & Rufinæ*, quo loci porta vrbis etiam nunc est, *Sancti Vincentii* adpellata. Eo enim vsque mare tunc erat, quod paulatim postea propulsum, ampliandæ vrbis locum reliquit. Tunc noctis silentio, vitandi tumultus causa, deportatum corpus ad fanum Iustæ. Orto tamen die quum increbuisse fama concurrisse armatam multitudinem, diuersis studiis, parumque abfuisse, quin ventum esset ad arma. Adcurrisse tunc Consaluum Viegam militiæ regiæ præfectum, & seditionem composuisse, expectandamque regis eo tempore absentis voluntatem persuasisse. Robertum denique summi templi decanum, suo & Capituli nomine, secreto conuenisse Munionem Diuæ Iustæ rectorem, impetrasseque vt corpus ad summum

templum deferri permetteret. Regem quod factum esset, non improbasse, licet in animo haberet in Canonicorum cœnobio Sancto martyri à se nuncupato illud conlocare. Nec quicuisse illum, sed misisse denuo ad promontorium, qui numquid adhuc superesset solertius scrutarentur. Inuentam adhuc caluarix partem, & conditorii fragmenta aliquot Regem ob gestæ rei memoriam Olisiponi vrbi insignia dedisse, nauem iuxta malum Diui martyris imaginem gestantem, ac duos coruos, alterum in prora, alterum in puppi confidenteis. Et in loco vbi sanctum corpus diu latuerat, curasse templum nobile ædificari, & nomen promontorio immutasse, atque vt *Sancti Vincentii* post id vocaretur effecisse. Hæc summa est historiæ Lusitanorum, quam te arbitror, quum apud nos esses, didicisse, insignia passim vidisse, picturam gestæ rei vetustissimam, vestibus, calceis, capillitio, præ se atatem illam pristinam ferentibus, adhuc recordari. Confer nunc vtrorumque rationes, & num credendum magis putes monachi furto, an regni annalibus, Castrense in oppido, an Olisiponensi v. bi, totique Lusitaniæ regno, & indito ex eo tempore promontorio nomini. Quod si parum adhuc egimus, suppetias petamus à nostræ religionis hostibus, & veritas vnde quumque eruatur.

Rafes Maurus, Dalharab Marrochiorum Miramolini, ac Cordubæ regis historicus, Hispaniæ vetustates scribere est adortus, vt regum Saracenorum: qui in Hispania regnarunt, annaleis, qui etiam nunc exstant, concinnaret. Libri titulus est. *Incipit liber Raza, historici Dalharab Marrochiorum Miramolini Cordubæque regis, quem ipsius iussu composuit.* Versus est in linguam Lusitanam ex Arabica, per me magistrum Machometum Saracenum notabilem architectum. Et scribebat mecum Ægidius Petri, clericus Domini Petri Ioannidæ Portellenis, patris Domini Ioannis Auolini. Is igitur Rafes, de montibus, fluminibus, & vrbibus Hispaniæ, de priscis Hispanorum regibus ante Romanos, de Romanis ac Gothis, nonnulla commode, per multa inepte, quo pacto ethnici scriptores atque poetæ, de rebus sacris diuinæ scripturæ, quasi per somnium, loquuti sunt, omnia fabulis inuoluentes. Vt tamen ad Saracenorum regum compertiora sibi tempora deuenit, non contemnendus scriptor iudicandus est. Ergo de Abderamene huius nominis quarto Saracenorum regum vnde vigesimo, hæc ad verbum.

Æra Arabum centesima trigesima octaua, Abderrame Moaba filius, in Hispaniam venit. Et debellato interfectoque Ioseph, regnum Hispaniæ inuasit. Dixit Abdemelich filius Abib, se interrogasse nutritium Abderamenis, & de illo veritatem exquisisse, quo patre quoue ortus esset genere. Nutritium respondisse. Patrem Abderamenis fuisse Moabiam virum rusticum agricolam. Ad quem quum casu Miramolinus diuertisset, hospitio hilariter adceptum, motumque hospitis humanitate, cum secum duxisset. Moabian tam industrie ac sapienter se gessisset, vt breui inter Miramolini familiares & amicos primus fuerit. Deinde interiectis nonnullis, quæ ad rem non faciunt, sequitur. Hic Abderamen vrbeis omnes & oppida quæ Saraceni habebant in Hispania, in suam potestatem redegit. Bellum quoque intulit Christianis. Ac Hispali profectus, expugnauit Bexam, Eboram, Sanctirenem, Olisiponem, totumque Algarbium. Adfluxitque mirum in modum Hispaniæ Christianos. Nec fuit ciuitas, aut oppidum munitum, quod se tueri aduersus potentiam eius posset. Sed habitatores desertis ciuitatibus confugiebant ad Asturiæ Montes. Hic omnes Hispaniæ ecclesias, quas adhuc integras inuenit, destruxit. Erant autem multæ & egregie fabricatæ, tam à Græcorum, quam à Romanorum temporibus. Hic omnia corpora illorum in quos Christiani credunt, quosque venerantur sanctosque, adpellant, rapta de Ecclesiis comburi faciebat. Quo viso, Christiani, vt quique poterant, cum talibus his rebus fugiebant ad montes, & tuta atque inadcessa loca. Itaque plerumque omnia quæ in Hispania erant, secundum Christianorum fidem religiose culta, ad Asturiæ montana sunt deportata. Quum autem adpropinquasset Valentia, Christiani qui ibi habitabant, habebant ibi corpus quiusdam hominis mortui, cui nomen erat Vincentius. Et ipsi adorabant illum, quasi Deum. Et qui corpus in potestate habebat, persuadebant vulgo, quod ille homo cæcos faciebat videre, mutos loqui, & claudos recte ambulare. Ac sic dementabant stultam gentem. Quum autem cognouerunt de Abderamenis aduentu, timuerunt ne hæc fallacia detegeretur, & fugerunt, corpus illius hominis secum portantes. Et dixit Allibohaces eques ille bonus Facensis, se quum die quadam cum suo comitatu venationis causa venisset ad oram maris in Algarbio, in fine montis qui mare illud ingreditur, inuenisse ibi corpus illius hominis, cum iis qui cum illo fugerant à Valentia, qui ibi domunculas fecerant, in quibus habitabant. Et homines quidem occidisse, pueros autem duxisse captiuos, corpus vero hominis illius ibi reliquisse. Hæc Rafes.

Videsne, vir eruditissime, quanta veritate nitantur Lusitani, & quam non fictam, aut hesternam sui patroni historiam proponant? Omitto Saraceni blasphemias, quas propter detestam veritatem æquiori animo tolerabimus. Sed quod ait, Christianos maxime sub Abderamene afflictos, destructa templa augustissima, multa sanctorum corpora scelerato igne combusta, multa à piis in montana tutioraque loca deportata, quod in laudē impuri

Abderamenis impurus scriptor commemorat, non potuit quidquam ad cognoscendas tempestatibus illius miserias adferre ad commodatius, nihil verius narrare. Alioqui, disquirendum nobis, quonam modo tot sanctorum Hispanorum reliquæ perierint, quoue à suis sedibus demigrarint. Ut de cæteris perquam multis fileam, nostræ Eboræ Apostolus ac martyr Mancius Christi discipulus, quo pacto ad *Nouum Pagum*, iuxta Methynnâ ad Riuum Siccum deuenit. Quo *Enlalia & Iulia* Emeritenses ad Eunos in Gallia? *Leandro* illo celebri Hispalensi episcopo, quid factum sit? Imo etiam vestra *Leucadia*, qua ratione Tagi flumen Rheno commutarit? Suum hoc, suoque nomine vocatum, totaque Hispania celeberrimum templum deseruerit, vt *Colonia Agrippinæ* peregrinaretur, tantumque hospes habeatur? Vester etiam *Ildephonsus* ille, sanctæ Dei matris amasius, & perpetuæ virginitatis eius propugnator, quor sedc in qua cœlesti dono muneratus est derelicta quum ad Asturias Ouetenseis portaretur maluerit Zamoram incolere? Vnus Rases Maurus breuiter rationem reddidit. *Abderamen*, inquit, *corpora Sanctorum quæ Christiani venerabantur, comburebat. Quo alii metu permoti, cum talibus his rebus fugiebant ad Asturiam, & tutiora loca.* Perge Rase, Quid Vincentio Valentia culta accidit? *Fugerunt*, inquit, *cum eo, ad montem qui in fine Algarbi mare illud ingreditur. Ex dixit Alibohaces.* Quid dixit? Iam superius explicauit. At Castrenses dicunt venisse monachum Valentia. Nescio. Sed si venit sub Carolo Caluam olim ablatum inde erat Vincentius. Et si Saraceni se commisit industriæ monachus, certe monacho Punica fide inludit Saracenus, cui pro Vincentii corpore, vtinam non aliquotius Saraceni corpus colendum dederit, quo plane Saracenum ageret. Verum miraculis res comprobata est. Et hoc nescio. Si tamen miracula vlla ibi contigerunt, Dei hoc clementiæ adscribendum, hominum fidem respicientis. Nec similia desunt exempla.

Animi causa, narrabo tibi Eborensium meorum fabellam non inlepidam. Octauo ab v. belapide, Salaciensi via, lapidibus enim viarum trium Emeritensis, Pacensis, ac Salaciensis, millia passuum distinguuntur, fanum est Virgini Christi matri sacrum, inter diruta à Romanis vsque temporibus ædificia. Locum *Turegiam* vocant. Manent adhuc aquæ ductus vestigia, & aquarum diuersa conceptacula. Vnum cæteris capacius, *Agonem*, seu martyrum *Caucam* adpellant. Aiunt illic obcisos sine certo nomine martyres non paucos, vna cum episcopo. Duas episcopo fuisse sorores virgines, alteram *Columbam*, quæ ibi iuxta interfecta sit, vbi etiam nunc sacellum exstat illius nomine. Alteram metu fugisse insequutumque episcopum, puellam de perfidia increpasse. Illam respondisse, non mortis se metu, sed ne barbaris ludibrio haberetur aufugisse. Orare tamen fratrem, vt virginali imbecillitati id condonaret, ipseque sororem sua manu martyrem faceret, quando fugæ nulla spes esset reliqua. Episcopum sororicidium auersatum, verum satellitibus venientibus innuisse, qui puellæ caput amputarint. Vbi corruit, promanasse fontem aquæ dulcissimæ, qui nunc vulgo *Fons Sanctus* nominatur, lippientibus salutaris. Puellam tamen in fugæ pœnam, mansisse innominatam. Hoc peracto, episcopum rediisse ad Agonem, & martyrium consummasse. Sepulchrum eius lapideum, si tamen eius est, visitur in ipso Dei matris fano, vacuum atque apertum. Supra quod mensa exstat lapidea inscripta, columellis suffulta quatuor, ita vt pateat sepulchrum à dextro in sinistrum cornu ingredi, & transire volentibus. Mensa tamen minor est, quam vt monumenti opereulum existimari debeat. Arbitrorque inuentam inter ruinas, in aræ vsum ad commodatam. Solebant illac meare, quibus lumbi dolerent, martyris episcopi auxilio implorato, & absque dubio iuuabantur. Super aram etiam eandem, celebrabantur mysteria in martyris Episcopi honorem. Exstat & pictura, & *Viarum* nomen Episcopo adscriptum. Vnde id, mox aperiam. Hæc vetus fama. Quæ si historia est, ea nimirum obsoleuit, omnia confundente & obliterante barbaria. Mihi, quum Diuorum historias ad Eborensis Ecclesiæ Breuiarium concinnarem, contigit illuc ire, indagandæ antiquitatis causa. Fani eius paræcus reuerendus admodum sacerdos, ac loquutuleius non inuenuste ad vocem gestum ad commodans, vt qui Romæ plures annos fuisse, quum me per humane excepisset, & cognita itineris causa, martyrum siue historiam hanc, siue fabulam denarrasset, oro te, inquam, vir egregie, exstatne scriptura quæpiam quæ id attestetur? Eccam, inquit ille, & quidem luculentam. Duxitque me ad aram. Et abiatis mappis quibus tegebatur, inscriptionem ostendit istiusmodi.

D M S

Q. IVL. MAXIMO. C. V. QVÆSTORI. PROV. SICILIÆ.
TRIB. PLEB. LEG. PROV. NARBONENS. GALLIÆ. PRÆT.
DESIG. ANN. XLVIII.

CALPURNIA. SABINA.

MARITO OPTIMO

Q. IVL. CLARO. C. V. IIII. VIRO VIARVM CVRANDARVM.
ANN. XXI.

Q. IVL. NEPOTIANO. C. I. IIII. VIRO. VIARVM CVRANDARVM.
ANN. XX.

CALP. SABINA. FILIIS.

Protenso itaque digito ad verba illa, VIARVM CVRANDARVM, ecce ait, nomen proprium *Viarum*, Illud autem CVRANDARVM, perinde est, quasi diceret *Curarum Curarum*. Cura vero Curarum *Episcopus* est. Cætera, inquit, nomina, opinor aliorum martyrum esse peculiaria. Continui erumpentem risum, atque vt vere dicam, stomachum pudore motum cohibui, ne hospiti viderer parum ciuilis. Rem tamen ad Alphonsum S.R.E. 10 Cardinalem principem meum, tunc Eborensem pontificem, detuli. & interpretis bellissimi narrationem, ac vnde *Viarum* nomen effectum esset: exposui. Is imperavit obcludi sepulchrum, ne peruium esset. Mihi vero qui auctor fuerim, non semel vulgus non tam adfectos lumbos, quam lumbifragium est imprecatum. Quod si Diui aut Diuæ quuiuspian sepulchrum illud est, mihi vtrumlibet propitium esse velim, qui non fecerim, vt sanctitati detraherem, sed vt fabulam à sacro dimouerem, & vt ne homines ethnici *Viarum curatores* pro Martyribus colerentur. Iuuabantur tamen, vt prius dixi, *Viarum* supplicantes.

Dionysii Episcopi & Martyris sui corpus Parisienses ostendunt. Ostendunt id etiam monachi Benedictini, cœnobii Sancti Hemerami, extra muros Rætobonnæ, ad Danubium, in Germania, & quo pacto Imperator Rudolphus, si satis memini, integrum corpus 10 ad eos transtulerit, vetustissima pictura, & scriptis non male ad rem facientibus comprobant. Alteros tamen mentiri necesse est. Vtrobique autem miracula & olim, & nunc, facta prædicantur. Quid, quod etiam Iacobi Apostoli nostri caput Tolosæ ostenditur, iactantibus Gallis à Carolo Magno eo ex Callæcia deportatum, votumque susceptæ peregrinationis, *Compostella* nequaquam solui, nisi Tolosæ finiatur? Poteram huiusmodi rebus longos implere commentarios. Cæteroque, non ignoramus quam Gallica natio ad similia comminiscenda præba sit artifex. Lusitanis subrudi, vt perhibemur, genti, neque tanta inest solertia, neque tam venalis reliquiarum sanctarum cultus populo exhibetur. Adfatim tamen suppetunt rationes, quibus Castrensium istam, siue confictam non ita pridem, siue 30 temere ab illis creditam monachilis furti historiam, expugnemus atq; refellamus.

Atqui, Valentini Castrensibus subscribunt. Si monachus industria & indicio Mauri clam corpus abstulit, Valentinis insciis, quantum momenti habere debet istiusmodi subscriptio? An non similis illi erit testimonio, quod à militibus Iudæi coemerunt, *Venerunt nocte discipuli eius, & furati sunt eum, nobis dormientibus*? Exspectemus quid respondeant Valentini. Resciuimus hoc postea. Quam mox postea? Nuper vtique. Nam qui hoc adfirmer, ante octoginta, aut summum, centum annos, nemo est. Lusitanorum vero adsertio resque gesta, superat quadringentos.

Rases autè quum librum suū scripserit Dalharab Miramolino, qui regnare cœpit anno Arabum CCC. LXVI. hoc est, anno Christi DCCCC. XC. nimirum æquat annos quingentos septuaginta. Valentini autem dissipatam à Castrensibus famam sequuti sunt, nostris non- 40 dum scripturientibus, sed contentis suum sibi domi habere, Optimam vero Castrenses Valentinis commenti sui fautoribus gratiam retulerunt, dum publice in templis canunt.

*Hoc thesauro spoliatur
Valentini, dum fœdantur
Idolorum scelere.*

Quod quam verum sit, ipsis expendendum relinquo. Miseros eque fuisse, ac Hispanos reliquos arbitrabar, Idololatriæ deditos non putabam.

Cæterum, turbat te Platina auctoritas. Ne turbet. Nam quum eius hæc verba sint, *Sunt qui dicant huius temporibus beati Vincentii corpus è Valentia Citerioris Hispaniæ ciuitate, à quodam monacho in pagum Albiensem Vltioris Gallia deportatum*. Quid heic inest, quo magnopere 50 commoueare? *Sunt qui dicant*? Qui sunt isti qui dicunt? Castrenses, opinor. Atqui, sunt qui non dicant, quique veriora dicant. Platina igitur nihil adserit, tantum esse ait qui dicant. Præsertim quum in Ioanne IIII. contrarius ipse sibi videatur. Vbi etiam prudente is expendisse velim, qui quadret, Anastasii in Perfide passi corpus, quod Veneti ex Constantinopoli translatum possident, cum Vincentii corpore coniungere: non addito vnde, aut quonammodo factum id fuerit, vt iam neque heic, neque illie pondus vllum habeat Platina adnotatio. Tu vero, non pluris facies Diuum Bonauenturam in beati Antonii Olisiponen- sis historia, quam omnia Romana præferunt breuiaria, ita adserente? *In Hispania, ciuitate Vlyxbona, quæ ad occidentaliè regni Portugalia plagam, in extremis terra sinibus sita est, quædam prægran-*

prægrandis ecclesia in honore gloriosæ virginis Dei matris fabricata consistit, in qua pretiosum beati Vincentii martyris corpus honorifice requiescit. Si scriptorum tempora componas, hic multo antiquior est. Si personas, quanto hic illo grauior nihil attinet dicere.

Arbitrabar iam me Labyrinthum hunc egressum, quum relegens epistolam tuam, de nouo hæsi ad id, quod te in chronico Prædicatorum reperisse commemoras, Mariæ Magdalenzæ, & beati martyris Vincentii reliquias esse Massiliæ. At ego me iuuenem commoratum fuisse aio Massiliæ, vltra biennium, & ibi apud *Aquas Sextias* hypodiconatus, & diaconatus ordinem suscepisse, neque vnquam audiuisse Vincentii martyris ibi esse reliquias, aut Magdalenzæ; si reliquias corpora intelligas. In Massiliensi, apud oppidum *Sanctum Maximinum* vocatum, Magdalenzæ corpus scio adseruari, religione celeberrima: Non parua Massiliæ, Lazarum Episcopum & Martyrem. Præterea Victorem militem indigenamque martyrem; quuius festum solenni cæremonia ibi agatur. Vincentium vero neminem, nisi natus postmodo ibi sit. Quod etiam Bracarensem Ecclesiam Vincentii Translationem ad quartum nonas Maii celebrare dicis, patronumque suum eum adpellare, facilius ab hoc, quam à supposititiis illis Vincentiis me extricauero. Bracarensi Archiepiscopo data particula sancti corporis à Rege est. Ea quo tempore in Bracarensi Ecclesia est conlocata, solennem Translationis diem fecit. Quæ res etiam historiæ nostræ suffragatur, quum duæ tales Ecclesiæ vna conueniant, atq; ipsum quod est, manifestum faciant. Puto me satis respondisse pro Lusitanis, de Olisiponenfi Vincentio.

Adgrediar nunc Eborensem meorum decus Vincentium, Sabinam, & Christhetida. Quorum ex vestris quidam, contra historiæ fidem, patriam, non tam ratione, quam libidine, conantur interuertere, & à nobis alienare. Quorum temeritas, ioco potius, quam stiliacumine explodenda esset, nisi tu eruendæ veritatis causa, sicuti præ te fers, multo illis neruosius, argumenta quædam in nos congeffisses, quibus occurrere necesse mihi sit. Age, Braulio sanctus CæsarAugustæ Pontifex, vt ais, horum trium martyrum historiæ posteritati mandauit, & Braulionis nomen liber Toletanzæ ecclesiæ *Smaragdinus* adpellatus, ostentat. De auctore certi nihil habebam, nec Ecclesiæ nostræ Eborensis lectionarius, sane ante annos trecentos viginti scriptus, nomen auctoris præfert. Credo tamen libro isti Smaragdino, oppido non inuitus. Opuscula enim, & vitam *AEmiliani* monachi scripsisse illum testatur *Sanctus Ildephonsus*, in libello *de inlustribus viris*, quam ego in hoc Eborensis Ecclesiæ lectionario reperi, tamen imperfectam, videlicet, vsque ad principium capitis, quod incipit, *Sed referam quod etiam latrones pertimescant*. Ex qua tamen, & ex epistolis eius ad Sanctum Isidorum, quæ in libris *Etymologiarum* exstant, & in additamento quodam ad librum Isidori etiam *de viris inlustribus*, non paulo castigatiore ac limatiore fuisse styloprehenditur. Vt quumque tamen sit, quantumquunque longo parumq; necessario vsu fuerit exordio, seculo illi indulgeamus, & quid scripserit, non quo stylo scripserit, expendamus. *Datiannus* ait, postea quam Hispaniam ingressus, *Felicem, Cucufatem, Eulaliam Barcinone, & alios grauissimis tormentis interfecisset, & CæsarAugustam sanguine polluisset, Compluti Iustum & Pastorem ferali immanitate sustulisset, & Toleti Leucadiam virginem custodiri fecisset, Elboram profectum, conscendisse in aulam, officiumque præmonuisse, vt indagine præmissa Christianos quosquumque inuenissent, tribunali suo præsentarent. Statimque repertum adolescentem nomine Vincentium, satellites Præsidi stitisse. Quem diutius interrogatum, quum à Christi confessione amouere non posset, iussisse duci, vt Ioui sacrificaret, lapidemque ante aram simulacri emollitum vt cretam figularæ, pedis vestigium expressisse, qui vsque ad eam diem perseueraret. Ex quo prodigio, quum ortus esset tumultus, domum fuisse reductum, datis in triduum induciis, custodia remissione, neque prohibitum conueniri. Eo triduo, Vincentium multarum lucrum fecisse animarum. Tandem germanarum stribus deuitum, cum illis noctu fugam adripuisse, & alacri profectu, cornipedum euectatione (vtar enim iisdem auctoris verbis, postea mihi ad respondendum necessariis) *Abulam* contendisse. Fuga cognita, quuiusdam sacrilegi iudicio, immisos qui fugienteis persequerentur. Qui eos *Abula* comprehensos tormentis adfectos variis, inliso tandem fustibus super lapides cerebro martyres effecerint & quæ sequuntur reliqua.*

Controuersum modo scriptores quidam vestri faciunt, apud te, quænam vrbs sit, quæ heic *Elbora* dicatur. Respondeat tibi Romana Curia, ecquem Episcopum hætenus, modo Archiepiscopum norit Elborensem, ecquod Breuiarium, ecquem ritualem sacrificiorum librum ad sanctæ Elborensis Ecclesiæ vsu admiserit. Ecquam Sanctus Antoninus Florentinus pontifex, ecquam vester Rodericus Toletanus intelligant, ipsorum scripta iis qui in media luce caligabunt, palam testificentur. Neque enim ignota est Ecclesia, quuius reditus tam opimi sunt, vt annua sola pontificum quinquaginta ducatorum millium, nostratis monetæ sint, fabricæ annuus reditus octo millium, sacerdotiorum qui *Canonicatus*

vocantur, vnumquodque mille ducentorum ducatorum, interdum mille ac trecentorum summam exæquet. Vt præter Toletanam vestram, haud sciam, an alia in Hispaniis ditior habeatur. Quod nõ multum sane ad rem facit de qua agimus, ita non parum tamen ad notitiam. Quum itaq; Datianus Elboræ conscenderit in aulam, vt libellus ait, quam putemus Elboram, nisi que *Elbora* & est, & vocatur? vbi incunabula sanctorum Martyrum fuere, vbi fanum est, quæ domus illorum fuit, vbi adseruatur lapis ille, qui pedis vestigium expressit, vbi etiam dum manet Cogominiorum familia, quæ ad illos pertinere memoratur, ab illa vetustate etiam inter Arabes aliquatenus religioni habita.

At ex vestris, obscuri quidam & ignobiles, vt Diuorum originis possessione nos euerant, *Talaueriam* dicentes vestræ oppidum *Elboram* fuisse olim vocatam fabulantur. Adfertionis tamen suæ testem aut auctorem ex probatis & vetustis aliquem neque latidant, neq; proferre vnquam poterunt. Neq; ostendent *Talaueriam* Episcopum habuisse peculiarem, quum toties in Conciliis plerisque Toletanis, & in Iliberitano, atque in vetustissimo Emeritenfi quod apud me est, *Elborensis* Episcopus & interfuerit, & subscripserit. Neq; saltem Inscriptionem antiquam aliquam producent, ex qua colligi idem possit, quum talibus iis nostra hæc referta sit. Et si satis *Talaueria* recordor, nam iuuenis eam vidi, nulla ibi sunt antiquitatis indicia, sed omnia Maurorum tempora præ se ferunt, quum nostræ urbis interior murorum ambitus, porticus excellentibus columnis Corinthiis, Aquæ ductus olim à Sertorio exstructus, à Diuo Ioanne. III. nostra ætate restitutus, Inscriptione sq; variæ, & statuar, nostram proclamant antiquitatem. Rases ille à me superius citatus, quum de termino Toletano loquitur, *Talaueriam* ait conditam super flumen Tagum, in diuisione limitum inter Mauros & Christianos. Et muros laudat ab altitudine & turrium frequentia, additque Miramolinum postea Machometi filium, sub æra Saracenorum. CCCXXV. ibi castrum iussisse ædificari. Neque hoc dico, vt *Talaueriam* minoris quam æquum est, faciam. Scio insigne esse oppidum, nobiles familiis decoratum. Admodum esse vetustum non scio, nisi hoc ostendat vetustatis indagator aliquis, & quo nomine adpellandum sit, nõ vt ariolus, sed vt verus disceptator, ex tenebris obliuionis eruat. Nam *Elboram* fuisse, nemo vnquam euerit. *Talabrigam* Nebrissenfi Antonio adserenti nequaquam credas, quum *Talabriga* ex Plinio, & Antonino Pio, ad flumen Vaccam, non procul ab Auariensi oppido situm sit, vt ex Refendii seriniis candide communicatis, non candide vsurpatis, *Gaspar Parre-rius* noster satis ostendit. Sed prodierunt ait, modo in *Ptolemaum* scholia quædam, cum locorum aliquot nominibus vel mutatis, vel declaratis. vbi legitur, *Libora*, *Elbora olim*, *Talabriga hodie*, vulgo *Talaueria*. Quid istis scholiastis credas, qui ex imperitorum relationibus, sine vilo sitis examine, in typographorum gratiam, quo vendibiliorem librum faciant, ita ludunt? Etiam eadem scholia *Iuliam Myrtilin Vahenam* interpretantur, & *Lancobrigam Conimbricam*, & *Scallabin*, *Iulium Præsidium* Plinio cognominatam, *Trogillum* somniant, & pleraque alia delirationi similia, atq; vbi Ptolemæus *Oliosipon* scripsit, addiderunt, vulgo *Libona*, *Salacia* Plinio, *Vlyseia* Straboni, Vadiani hallucinatione decepto scholiasta. De qua re in Vincentii mei scholiis, satis differui. Prætereo Gesneros, & Calepinos, aut in Calepinum additiones, Lucam Tydensem, & nebulonē Marinæum, vniusmodi notæ homines. Quid enim attinet istos inculcare, qui nullo veritatis fundamento nituntur? Imitabimurne bellum illum scriptorem, qui pro gestis Sanctæ *Marine* virginis & martyris apud Aquicaldenseis ad Limiam passæ, *Sanctæ Margaritæ* à primo principio ad extremum vsque finem gesta nobis obtrusit, se Theotimum faciens, & Antiochiam ad quam Olibrius venierit, Tyden Callæciæ ciuitatem somnians? Nihil audacius imperitia. Instituti Diui Francisci monachus, homo vestras, qui se cognominabat *Valentiam*, linguacissimus concionum actor, firmis lateribus, neque parum multitudini iucundus, cordatis ob nimiam adrogantiam & vanitatem non perinde gratus, quum aliquando Conimbricæ de suggesto concionaretur, *Totus*, inquit, *ciues gaudio perfundor, quum urbem hanc antiquissimam, & campos hos intueor, vbi ciuium vestrorum auxilio, Pompeii filios Caesar memorabili prælio superauit. Hac enim est Munda illa famigerata, de qua Lucanus cecinit.*

Vltima funesta concurrant prælia Munda.

Nec defuerunt, quibus hac vaniloquætia persuaderet, Conimbricam fuisse Mundam, præcipue non abludente fluuii nomine, quod etiam pridem Rodericus Toletanus in ambiguo reliquerat. *Valentiola* dixit, & in sacra concione dixit. Satis hoc est. *Venit Elboram Datianus*. Quis hoc dixit? Braulio vetustus & grauis auctor. Ita enim vocabatur, quæ nunc *Talaueria*. Quis hoc dicit? Non Braulio, sed *Valentiola* quispiam, & temerarius iste nescio quis. Satis id esse putemus? Nobis certe non est, qui *Elboram* incolimus.

Tenco te inquis Refendi, qui in *Eborensi* historia, *Elboræ* nomen repudiasti, *Eboræ* adse-

adseruisti. Ita certe. Ergo martyres tutemet alienos à vestra vrbe facis qui Elborenses fuerint, vestra autem vrbs *Ebora*. Si efficax argumentatio isthæc tua est, erit & ista similiter. *Diuus Antonius Patavinus*, ex *Vlyxbona Lusitanix* vrbe fuisse passim scribitur. Ego urbem quam vulgo *Lisbonam* dicimus, *Olysiponem* dicendam, non *Vlyxbonam*, contendo. Ego igitur *Diuum Antonium* alienum ab *Olysiponensi* vrbe facio? & me auctore, quærenda in Lusitania *Vlyxbona* est, quæ *Olysi* non sit? Nonne vides heic, vir doctissime, non agi de loco, de quo satis constat, sed de vero & antiquo nomine seculi eruditioris? Alioqui, sanctus *Isidorus*, *Hispalensis* non esset, quem in libris manu scriptis vbique *Spalensem* legimus, eumque ad *Spalenseis Citerioris Hispanix* populos relegabimus. Rudior ætas in nomine hoc principium mutilauit, *Olysiponem* vero, in *Vlyxbonam* inuertit, propter conditorum, iam inde ex *Sancti Isidori* temporibus, & retro, vt patet ex primo capite libri decimi quinti etymologiarum. Nostræ vrbi, literæ vnus adcessio, ex *Ebora Elboram* fecit, etiam ex mille & amplius annis, vt ex *Conciliis* à me supra memoratis liquebit, tamen si nuperrime, typographis quibusdam alterum illud ac vetustius nomen magis adriferit. Nomen igitur quo politiores vtantur rediuuium facio, non diuersas vrbeis const. tuo. Fecerunt idem *Legiones*, vt ipse etiam fateris, vbi reliquæ horum martyrum modo esse dicuntur, id negante *Abulensi* populo, addito insuper; *Quæ ciuitas est regni Lusitania*, *Ioannes* quoque *Maldonatus Burgensis*. *Apud Eboram ciuitatem*, inquit, *Vincentius adolescens comprehensus est*. Siue itaque *Elboram* dicas recentiori vocabulo, siue *Eboram* prisco ac proprio, quo vsi sunt

Pomponius Mela, *Plinius*, & *Antoninus Pius*, & habent inscalpta à Romanis vsque saxa, vna eademque ciuitas nostra est fauente etiam nobis *Muzarabum Ecclesiastico ritu*, qui in vestra vrbe ex illa vetustate superest. Quuius tu si magni auctoritatem pendis, facis quidem recte, & mecum sentis, atq; ego vicissim tecum. *Elbora* igitur, *Ebora* nostra est, quam *Ecclesiæ* iam ante *Constantini Magni* tempora, *Elboram* vocare maluerunt, vt peruulgatum nomen hoc aliubi quærere, hominis nequaquam sani merito esse videatur.

Pergis deinde argumentari, ab itinere *Datiani*. Et interrogas, quinam itineris ordo sit, à *Toledo* proficiscentem prius *Elboram* hanc nostram deuenisse, quam *Emeritam*, quum rectum esset iter à *Toledo Talaueriam*, oppidum iam tunc nobile, inde *Emeritam*? Tunc quænam loquutionis ratio, profectusq; *Elbora*, *Emeritensem* adgreditur ciuitatem? quum potius dicendum esset, regressusq; *Elbora*. Videri igitur, non mala niti ratione, istos qui *Talaueriam Elboram* dicunt. Sic enim, rectum itineris seruari ordinem, neq; vim inferri loquutioni, sed sponte fluere, *Profectusq; Elbora, Emeritensem adgreditur ciuitatem*. Si aliud non haberem expeditius, responderem, iterum me *Datiani* neq; mensorem, metatoremue eius fuisse, neque cogendum rationem reddere, quur prius *Eboram*, quam *Emeritam* venisset, præcipue quum non solius *Lusitanix*, sed *Hispanix* vniuersæ præses fuerit. Equidem nescius non sum, *Hispaniam* diuisam primum in prouincias duas, *Citeriorem & Vleriorem*. Per bellum postea *Macedonicum*, in vnam tantum redactam. Rursus, *Q. Alio*, *M. Iunio* coss. censuisse patres, vt duæ fierent, quod refert *Liuius* quintæ decadis libro quinto. Treis inde factas, *Tarraconensem, Lusitaniam, ac Baticam*. *Tarraconesi* post id in treis diuisa, propter magnitudinem, creuisse prouinciarum numerum, & factam quartam *Callæciam*, quintam *Carthaginensem*. De *Lusitania* quoq; diuisa, paulo inferius. Omitto *Baleareis* insulas, & adnumeratam *Hispanix* *Tingitaniam*. Ex his quinque prouincijs, *Baticam Lusitaniam, ac Callæciam* consularibus fuisse, *Tarraconensem & Carthaginensem*, præsidibus gubernari, ante omnino corruptam reipublicæ administrationem, & nouum Comitum inuentum, quorum alicubi in *Iustiniani* Codice fit mentio. Sed quum *Præsidis* nomen generale sit, vt *Martianus Iuriscultus* adfirmat, *ff. de officio Præsidis*, complectaturq; & *Proconsules, & Caesaris legatos*, & omneis, qui quoquo modo prouincias regerent, nec vnam tantum, sed multas, vt eodem Titulo testatur *Vlpianus*, hisce verbis: *Qui vniuersas prouincias regunt, ius gladii habent, & in metallum dandi eis potestas permissa est*, nos quum *Datianum Hispaniarum Præsidem* vbiq; legimus, vel *Augustorum* legatum intelligamus, quemadmodum *Papinianus* interpretatur, vel *Præsidem* vicaria ac plena gladii & in metallum dandi potestate. Talis certe fuit carnifex ille. *Hispaniarum Præsidem* cum vocat *Martyrologii* auctor, siue sit *Hieronymus* ad *Chromatium*, siue presbyter *Bedas*, vt alii habent libri. Sufficiat locus vnus, x i. Cal. Februarii, *In Hispanis, ciuitate Valentia, sub Datiano impiissimo Hispaniarum Præside, &c.* *Hispanix* igitur vniuersæ Præses, poterat à *Toledo* hac illac euagari per conuentus, antequam *Emeritam* deueniret, pro re nata, vel arbitrio. Verum diuerticula non quæramus, donemusque tibi non tamen necessario, recta venturum fuisse illum *Toledo Emeritam, ac Talaueria* transiturum oppido nobili, quod tu tantum abest vt ostendas, vt neque si iam erat, probare possis. Dixi superius recentius ædificium videri. Fuerit tamen, & fuerit

quantum velis nobile, *Elbora* certe non fuit. Neq; Antoninus itinera duo ab *Emerita Caesaream Augustam* quum proposuisset, alterum alia, alterum *Toletum*, nullius siue *Ebora*, siue *Elbora*, inter *Emeritam* ac *Toletum* meminit, non prætermittitur utique, si vlla exstaret, præsertim quuius esset habenda ratio, propter nobilitatem. Recta ergo *Emeritam* venisse concedo, & inde *Elboram*, *Elboram* tamen nostram hanc intelligo. Quir igitur prius *Elboram* venisse legitur, quam *Emeritam*? *Braulio* itinerarium *Datiani* scribendum non suscepit, sed sanctorum martyria & agones. Atque ut quique præcesserant, ita narravit prius. Aliorum summam, nominatis tantummodo locis, horum trium explicatius. Integer enim contextus est. Et si dicas dissipatam postea fuisse historiam in singulos quosq; potero abs te querere, quur longissimum illud exordium, *In diebus* dum post corporeum *Saluatoris* aduentum, *illis*, in solis his repetatur, non utique necessarium, ac non item in *Felice* non in *Cucufate*, quamquam hic sub *Rufino* legitur effectus Martyr, non in *Barcinonensi Eulalia*, de qua nihil me hætenus potuisse inuenire, doleo neque mediocriter, non in *Cæsaraugustanis* Martyribus *Vincencio*, *Encratide*, & duo de viginti eius sociis, in quibus *Braulio Cæsaraugustæ* Pontifex plus debuisset immorari, non in *Complutenibus Iusto atque Pastore*; *Leucadiam* quoque obiter commemoravit, sic inquit, *vinclis recludens Toletum Leucadiam virginem Elboram properans*, &c. Quamquam in *Leucadiæ confessione* (sic enim codex noster habet titulum) idem exordium totidem verbis reperitur, addito dialogismo inter ipsam & *Datianum*. De quo quid sentiam postea. Transiit vero *Emeritam* *Braulio*, quoniam carnificinam tunc ibi non exercuit lupus ille. In *Eulalam* sæviit, inquit. Ego pace tua id inficio. Siquidem *Eulalam* *Datianus* martyrem non fecit, sed *Calpurnianus* *Provinciæ Lusitanæ* præses, qui à *Maximiano* imperatore & persequutore fuerat directus, ad Christianorum persequotionem, ut gesta ipsa testantur. Probabileque est, fuisse hoc post *Datianum*, *Diocletiano* orientale imperium gubernante, ob *Maximiano*. At *Datianus* à *Diocletiano* & *Maximiano* pariter missus legitur. *Laurentius Padilla*, *Calpurnianum* *Datiani* legatum facit. Quod equidem neque adfero, neque refello. *Proconsoles* habere solitos secum legatos, scribunt *Iurisconsulti*, ff. de offi. *Proconsulis*. Quod etiam ostendit *Marianus Scotus*, in *Notitia Provinciarum*. Sed quum legati iurisdicctio arctis admodum limitibus contineretur, ut neque animaduertendi, neq; coercendi, vel atrociter verberandi ius haberet, sed ad *proconsulem* eum oporteret, siquid grauius oriretur, referre, non mihi *Calpurnianus* tantum *Legatus* videtur potuisse muneris sui metas transilire, nisi extraordinariam à *Proconsule* mandatam singamus potestatem. Quod posse fieri negat *Vlpianus*. Gesta diserte aiunt *Calpurnianum* *Præsidem* fuisse *Lusitanæ* à *Maximiano* missum, non autem à *Datiano* legatum. Quod etiam si maxime fuisset, illud mihi abunde est, *Eulaliæ* martyrium ad *Datiani* præsentiam non pertinere. Ea; propter, & si *Emeritam* antequam *Eboram* venisset, aduentus ad *Emeritam* non meminisse *Braulionem*. *Reditus* vero meminit, quia tunc *Christianos* ibi adfixit.

Neque est quur offendaris loquutione, *Profectusque Elbora*, quum, *regressusque*, fuisset rectius. In scriptore non tam eruditæ dictionis, nimia exactio ista est. Et nescio an *Braulionis* sit coronis hæc, *historiæ Vincentii ac sororum*, eoque magis, quod in ea *Datianus Eulalam* martyrio consecrasset dicitur, neque plene, sed vix septem verbis, quod est contra gestorum fidem. In nostro hoc *Eborensis Ecclesiæ* libro, si non *Smaragdino*, saltem membranaceo, valdeque antiquo, ea certe coronis non est. Sed conclusa martyrum historia per basilicæ constructionem, additur. *In qua, si qui puro corde, fideli deuotione, & fide prompta orauerint, statim petita ultro adueniunt, & omnis infirmitas amouetur, per eum qui sanctos suos coronauit, per bonam confessionem. Cui est honor & gloria, virtus & imperium, & potestas, in secula seculorum, Amen.*

Appendicem vero illam in *Leucadiæ confessione*, quæ posteaquam in ergastulum illam detrusam dicit, statim verba hæc subdit. *Properans itaque Elboram, officium præmonet, ut indagine percurrente, Christianos quosquumque inuenissent eius tribunali præsentarent. Statimque repertum adolescentem quendam nomine Vincentium, quuius meritum nomini comitabatur suo, comprehensum eius conspectibus sistunt. Quem cum Sabina & Christheta eius sororibus in Abulensem urbem persequens, digna Christo munera consecrauit. Profectusq; ab Elbora, Emeritensem ingreditur ciuitatem, & illico tribunal sibi preparari præcepit, multosque sanctorum crudeliter fusos, transmisit ad dominum, inter quos, sanctam Eulalam multis verberibus adstrictam, igne adplicato, Domino consecrauit. Quumque in Toletanam urbem ad beatam Leucadiam percurrisset fama genibus in oratione positus, in eodem quo retrusa tenebatur confessionis loco, completa oratione, suum domino commendauit spiritum, qui martyres & confessores suos coronauit in pace. Ipsi honor & gloria, virtus & imperium, in secula seculorum, Amen.* Arbitrarer ego non à *Braulione*, sed ab aliquo alio,

alio, qui de eadem fidelia duos voluit dealbare parietes, fuisse additam, vt Leucadiæ confessio concluderetur. Aut si ad Braulionem referri placeat, vel hoc de Eulalia interiectum ab alio est, vel Eulaliæ martyrium Braulio ignorauit. Quam notam sancto & docto viro inuistam Medius Fidius nollem. Sed redeamus ad propositum, à quo pauxillum declinauimus.

Elboræ itaque, siue eo recto venerit itinere, siue flexo, prius fuit, quam in Christianos Emeritæ gladium exfereret. Sed instas. Quid opus erat Eboram, tamen si municipium, descendere? quum non venerit vt Præfectus municipii quuiusquam esset, verum vt Emeritæ, quæ Lusitaniæ erat Metropolis, & iuridicus conuentus, resideret. Hoc vnde colligas non video. Datianus, vt ante dixi, Hispaniæ vniuersæ Præses fuit. In Hispania autem, multi Iuridici erant conuentus, quos regionatim circum ire, ex officio teneretur. Quamquam si vnus prouinciæ Lusitaniæ Præses fuisset, non ideo Emeritæ residere, tanquam regem in regia, eum oporteret. Iuridici etiam cōuentus erant & *Scallabis*, & *Pax Iulia*, quæ eodem iure utebantur, quo Emerita. In *Lysitania*, inquit Iurisconsultus Paulus, *Pacenses* & *Emeritenses iuris Italici sunt*. Quum tres itaq; distincti Conuentus essent, quor Præsidi Prouinciæ Lusitaniæ sedē adsignes *Emeritam*? nedum præsi Hispaniæ vtriusq;? Quamquam autem *Eboræ* neq; colonia esset, neque conuentus, sed tantum municipium *Lati* veteris, nobilitate tamen & ædificiis, quorum alia etiam dum exstant integra, alia semidiruta, *Pacem Iuliam* vicinam, coloniam & conuentus dignitate inclutam, superabat. *Emeritam*, si theatrum, naumachiam

pontem, & Tropæi arcum excipias; pæne æquabat. De quibus alio egiloco. Et quum aliquando de agri finibus cum Pacensi colonia, contenderit, vt statim ostendam, videri mirum non debet, si litis componendæ causa, eo venerit Datianus. Testatur hoc meta lapidea, via Pacensi, in colle iuxta vetus, semidirutumq; oppidum Aureolam, quod ad Archidiaconum tertiz sedis Ecclesiæ Eborensis pertinet, quæ ex ea parte qua Pacem Iuliam spectat, credo coloniam & conuentus habita dignitatis ratione huiusmodi Inscriptionē habet.

Versus Pacem Iuliam.

DD. NN. ÆTERN. IMPP. C. AVR. VALER. IO.
IOVIO. DIOCLETIANO. ET M. AVR. VALERIO.
ERCVLEO MAXIMIANO PIIS. FEL. SEMPER
AVGG.

TERMINVS. INTER PACENS. ET EBORENS. CV-
RANTE. P. DATIANO V. P. PRÆSIDE. HH. N. M.
Q. EORVM DEVOTISSIMO.

HEINC PACENSES.

Ex altera vero parte Eboram versus, hæc tantum cernuntur in media meta literæ. HEINC EBORENSES.

Præterea quod de fuga argumentaris, tanquam vero sit similius à Talaueria Abulam propinquam urbem fugisse, donarem forte, si duas admitterem Elboras. Sed quum vna tantum sit, exigua, ac potius nullam vim habet argumentatio. Quasi vero necessario sequatur, ideo Talaueriam Elboram esse, quia illi quam Eboræ vicinior sit Abula. Vt impeditiorem profectioem eam singas, non euinces, vt Elboræ heinc Talaueriam demigret. Quod autem ad impedimenta fugæ attinet, non erant tam delicatæ Vincentii sorores illæ, quam modo nostræ sunt mulierculæ, quæ prius quam amoliri ceptent, integer transit annus. Et alioqui, fugere norunt etiam delicatæ, inquisitoresq; fallere. At carro vectas inquis. Id enim ex illis verbis intelligi vis, *Cornipedum euectatione*. Quonam pacto? *Cornipedes*, equi sunt, vt eos vocat Maro, dictio poetis quam oratoribus aptior. *Equo vehi ac vectari*, bene Latine dicitur, vel dorso nudo sine stragulo, vel ephippio. Vbi heic *carrus* lateat, nondum video. Non ægre tamen id concederem. Nam nostra etiam ætate, carrucis contactis vsque ex celtiberis, Vardulis, & Carpetanis, ad urbem hanc mercatores nonnulli veniunt citato mularum carruciarum cursu multum itineris quotidie conficientes. Quod si illo tempore ita fiebat, sane & fugere celerius, & commodius latere potuerunt, negata curiosis introspectendi facultate. Ad hæc. Etiam si insequuta die cognitum de fuga esset, incerto quo quæve abiissent, retardanda erat insequutio, donec indicium fieret. Quod satis illis erat ad longius euadendum.

Neque moueor, quod Talaueriæ quoque dicatum illis templum est. Adde, si placet, nostro quod hætenus fuit nobilius. Nam modo, incentore me, elegans admodum ac capacious nostra vrbs exstruit. Neque item, si domestici eorum lares effingantur, ostendaturque in lapide pedis vestigium, sicuti apud nos. Ei enim qui Talaueriam in Eboram transformare potuit, quantum erat domus vnus facere metamorphosin, & vestigium ad simu-

lare? Quuius mendacio recepto semel, facile fuit templum ciuibus creditis, in oppido nobili atq; opulento ædificare. Quod autem vestigium & heic & istheic dicis plantæ pedis formam non satis exprimere, isthuc quidem ita apud nos est. Sed pro hoc nostro respondebo. Ante quadraginta ab heinc annos, ad prime expressum visebatur. Feminarum postea pia sed inconsulta religio, ramenta quædam atq; puluisculum inde, quæ ægrotantium collo suspenderent, eradentium, formam abstulit.

Porro tua illa sollicitudo, Talaueriam Elboræ vel Talabrigæ nomine exclusam, aut *ἀνώρουμον* omnino mansuram, aut necesse esse Liboræ ei nomen adaptare neque enim probas *Aquis* nomen fuisse, quod illi vester Archiepiscopus tribuit, quodque vbinam inuenir, te dicis ignorare, illud item, quod postea leuiter, quasique aliud agens, iniecta corrupti nominis suspicione, diffusus, vt adparet, Elboræ nomen Talaueriam posse trahi, cardinem quæstionis verti dicis in nomine vel Eboræ vel Liboræ in Elboram deprauato, non parum mihi displicet. Est enim hoc hominis inferre iniuriam meditantis, & litem nobis alteram ex altera constituentis. Iamne non placet parenthesis, quam historiæ vestri interspererunt, *Elboram vocatam olim, quæ modo Talaueria sit?* Iamne vel ab Eboræ, vel à Libora, calumniæ male textæ, penitusque ieiunæ, suppetias petendas etiam ipse decresti? Etiamne *Talaueria Eboræ* vocata olim est: Gratiam Braulioni habeo, quod Elboram dixit, & si minus erudite, minus tamen parti nostræ fautorus, si Eboram dixisset. Fuit vetus Carpetaniæ vestræ oppidum *Ebura*, per quintam vocalem, & secunda intenta syllaba, ad quod, vt decimo quartæ decadis libro Liius auctor est, Q. Fuluius Flaccus Prætor, memorabili prælio, ad viginti tria Celtiberorum millia, die vna cecidit. Quuius oppidi inter Carpetanas vrbeis etiam meminit Ptolomæus. Fuit quoque *Eboræ* Castellum, in Gaditano litore, inter Bætis æstuarium, Pomponio & Plinio, licet Hermolaus Barbarus *Coram* legat, non *Eboram*. Sed ego Melæ terræ eius indigenæ adcedo. Srrabo lib. tertio Eburam eam vocat. *Ἐπιπέθεν δὲ ὁ τῆς Βαίτιος ἀνάπλους ὄβρι, καὶ πόλις ἑβῶρα, καὶ τὸ τῆς Φωσφόρος ἱερόν.* Vtrumque tamen oppidum hoc vetustate intercidit. Est & nostra *Eboræ* quæ vetustati non cessit; imo longe auctior est, in *Elboram* Ecclesiastico vsu mutato iam pridem nomine. Quas turbas igitur conciuisset nomen tribus eomunicatum, si vni tantum peculiare in has nos deduxit difficultates, inuadentibus in alienam gloriam iis qui ne vestigium quidem vel tenue, nominis huius possunt proferre? Vertant se refractarii in alias atq; alias formas, omnē moueant lapidem, Elboram venisse Datianum, librorum omnium consensu, scripsit Braulio. *Elboræ* præter nostram, nusquã comparet. Agite, aliud commētamini. Tu modo rimam aperis, ad Liboram saltem confugiendi. O inopem semper consilii, & imbecillam apertæ varietatis inficiationem. Cui quasi nomine carituræ metuebas, in sex iam nomina concreuisse videtur, *Talabrigam, Eboram, Elboram, Liboram, Aquas, Talaueriam*. Septimum addas licebit, *Deobrigam*, quod non indocti quidam sunt opinati. Exiisque omnibus nullum illi proprium ostenditur, nisi id quod habet. Nam non esse *Talabrigam*, persuasus ipse iam es. *Eboram* excludit parenthesis à vestratibus interiecta, *Talaueriam Elboram fuisse vocatam*. De *Elboræ* confido me euicisse. *Aquas* ipse non agnoscis. *Deobrigam*, forte nouitium reputabis inuentum. *Liboram* videris anteponere, vt deprauationi viciniorem. Memineris tamen quonam pacto sis ratiocinatus. Si *Talaueria*, in quibus, in Tarraconensi prouincia sita esset, sicut & *Toletum*, non autem in Lusitania, amota esset omnis dubitatio. Vis itaq; in Lusitania sitam eam esse. Si in tua ratione persistas, iam Talaueria Libora non est. Libora enim, non Lusitaniæ, sed Carpetaniæ ciuitas est, id attestante Ptolomæo. At Carpetania, quuius caput Toletanos facit Plinius, pars vtique Tarraconensis est. Igitur & Libora ad Tarraconensem pertinet. Talaueria ergo, si Libora est, non ad Lusitaniam, sed ad Tarraconensem prouinciam est referenda. Quod & ipse postea confiteris. De hoc viderint antiquitatis curiosi, & ex tot nominibus seligant, quo Talaueriam vocari velint. Si oppidum vetus est, saxa inerūt non muta. Elboræ falsum nomen excipio. Quod si vnquam habuisset, nequaquam id tacitum præterisset Rodericus Ximenius Toletanus Pontifex, huiuscemodi rerum non dissimulanter adfectator & ambitiosus, neq; *Aquas* vocatum scriberet. At nomen hoc vbinam repererit, tu te ais nescire. Ego scio. Nempe ibidem, vbi Consules *Tolemonem & Brutum* Toleti conditores, centum & octo annis ante quam C. Cæsar rempublicam inuasit. Equidem Toletum non paulo antiquius existimabam. Nimirum quia Philippi Macedonum regis, & Annibalis antecedit secula. Legeram siquidem in quinto quartæ decadis Liiianæ libro, apud *Toletum* cum Vaccæis & Vettonibus ac Celtiberis dimicasse M. Fuluium, posteaq; vrbe ipsam tunc quidem paruam, sed loco munitam, ab eodem M. Fulvio, fufis Vettonibus qui subsidio venerant, expugnatam. De hoc tamē fortasse alias. Nunc ad rem.

Quod

Quod ais te neq; Toletanum, neq; Talaueriensem, neque Abulensem esse, sed ex veteri Castella, oriundum, videlicet, vt intelligamus simpliciore te ingenio, & moribus esse longe candidioribus, (Taleis enim veteres Castellanos & fama prædicat, & nos experti non raro sumus) facetum plane est. Sed nihil opus erat. Inter bonos & literatos viros istiusmodi vulgareis adfectus reperiri æquum non est. Aut certe si aliquatenus insint, ratione cohibendi ita sunt, vt veritas omnino præponderet, principemque locum semper obtineat. Ex eo tamen quod tantopere gloriosius & importunius se efferentis vulgatum gentis morem à te segregas, (à quo ego crimine semper nobilitatem exciperem,) videris mihi de industria radicem attigisse, vnde pullulauit atq; in promiscuum vulgus inrepsit parenthesi illa, *Talaueriam vocatam olim Elboram*. Qua propter ignosce veterem nostratium querimoniam repræsentanti.

Amplum læteque diffusum vestræ gentis est imperium, vrbesque quaqua Hispania est, celeberrimæ ac florentes, passimque memoriæ veteris res cognitu dignissimæ, vt nulli terrarum inuidere iuste possitis. Hoc quamquam ita est, vestrates quidam, nescio quo liuore, seu potius, quo maleuolo genio instincti, multum angulum hunc nostrum, ac *Portugaliolum*, vt contemptim adpellant, non modo laceffunt, verum fastidire etiam se ostendunt, nec persuaderi queunt, aut æquo animo patiuntur, quidquam apud nos esse vel mirificum, vel excellens. *A Nazaret*, inquebat ille, *potest aliquid boni esse?* Vestri isti similiter. *A Portugalia potest aliquid boni esse?* vt tamen clamemus, *veni & vide*, agamus paulo plus nihilo. Auctorum testimonia laudem nobis aliquam tribuentia, aut distorte interpretantur, aut malitiose inuertunt. Gestas præclare res aut supprimunt, aut fide referunt nequaquam bona. Sicubi vel inclinatio fortuna vsi sumus, vel minus honori nostro consulimus, ibi Thrasymachos ac plane *λογεδαδάλυς*, post terga relinquunt. Longissimum esset, isthæc omnia persequi. Sed vt breuiter, atque ex multis pauca dicam, heinc Damaso nostro patriam commenti sunt *Madritium*, siue ea *Mantua Carpetanorum* est. Quin & *Viriatum* finxerunt *Zamorensem*.

Bambæ regis humilitatem generis, atque originem, non ob aliud inter fabulas reiecerunt, quam vt Lusitanum fuisse ne faterentur. Esto sane, insit fabulosi aliquid in illa historia, vt plerunque solet in similibus, atque vt accidit in *Ciddi* bellatoris strenuissimi historia, quibus fortissime gestis rebus intermixta sunt quædam male facta deliramenta. Sed non ideo negandus erat natiuitatis locus, ei quem alicubi natum esse necesse sit, nisi alio probabiliter adsignato. Atqui in tot seculis postea exactis, nec aliam illi patriam, nec natalis alios comminisci potuerunt, præterquam equitem ignotum nescio quem, ex Gothorum sanguine fuisse. Vetus autem fama abolita nondum est, & in *Igeditanorum* agro prædium & arbor ficus, & fons quadrato constructus lapide, etiam dum regis *Bambæ* adpellantur. Quæ possessio eius fuisse perhibetur.

Victoriæ de Saracenis ad flumen *Salsum*, quum maxima pars, imo pæne omnis ad Lusitanos pertinuerit, fuso Granatæ rege, captis & interfectis regulis tribus *Allibohacæ* filiis, antequam suas copias Castellæ rex loco promoueret, hoc tamen superficie tenus leuissime attingunt historici vestri.

Quantum attulerit momenti ad Tunetensem expugnationem Lusitana classis, & princeps Ludouicus, palam fatebatur Carolus Cæsar. Qui eam expeditionem literis & memoriæ mandarunt, dissimulanter ista prætereunt, tanquam nostri vel non interfuerint, vel tantum egerint spectatores. Certe illa classe, illoque bellico adparatu, ac sub tali principe nostra in Africa prouincia Mauritania Tingitania fines latius promouisset. Saltem *Laracium*, & *Tituanum*, duo improba Maurusiorum piratarum receptacula ablata essent, ac in potestatem redacta.

Audiui aliquando Salmanticæ *Alphonsum Castricum*, monachum, anniuersariis Diui Antonii Olysiponensis solemnibus, è suggesto concionantem. Erat autem multitudini gratus, & quem ego post Laodiciensis episcopi tubam illam sonoram mihi imitandum proposueram Quumq; opus esset patriæ meminisse. *Olysiponensis*, inquit *fuit*. Et caput subinde quassans, non sine stomacho, tandem tandem ait, *nostrer Antonius Portugalsis exstiruit* quasi portentum aliquod denunciaret.

Areius Lusitanus quadraginta, & eo plus, annos Salmanticæ tum Latinas literas, tum Græcas magna eum laude professus est. De quo illud exstiruit Antonii Nebriffensis elogium, in præfatione *Introduktionum Græcarum* vt in autographo eius Salmanticensis bibliothecæ non semel vidi, & in Cantabrica editione incorrupte adhuc perseuerat, hisce verbis. *Ego vero quum in meis introductionibus multos locos ex Græco inchoatos reliquissim, communicata re prius cum Areio Lusitano, à quo vno, siquid usquæ Græcarum literarū apud nos est, emanauit,*

ausus sum facere quod ille harum rerum peritior facere debuisset. Hoc ad istum modum deprauarunt. Ego vero quum in meis introductionibus multos locos ex Græco inchoatos reliquisset, communitate re prius cum iis à quibus siquid vsquam Græcarum litterarum apud nos est, emanauit, ausus sum facere, quod alius harum rerum peritior facere debuisset, Areii expuncto nomine, hominis de Hispania tota quam optime meriti. Nisi si Antonius tam leuis fuit, vt eum consilii sui prioris, & relatæ viro semper amicissimo gratiæ postea pœnituerit. Nec abhorret hoc ab ingenio illius. Ex Vernandi Catholici regis, & Elizabet excelssæ reginæ historia, quam & Latine & Hispanice scripsit, vbi vbi nos tangit, quam effuso mentiendi studio feratur, nemo, non intelliget. Atqui ad id quod efficere cupiebat, non minimum intererat verecundius ac tectius reginæ adulari.

M. hi quoq; non nihil accidit incommodi. Scripseram ad Vasaëum Belgam epistolam de *aræ* nomine atque origine. Eam ille ostendit *D. Didaco à Casis Rubris* (Hic *Didacus à Leina Conasruuias* est, I. C. egregius, Salmanticæ doctor, scripsit in iure varia, quæ doctis mire placent ob singulare iudicium.) Quali vero? Si genus spectes, nobili? Si literas, iurisconsultissimo; Si famam, scriptis iam noto; Si auctoritatem, paulo post Rodericopolitano Episcopo; & nunc Oxomenfi. Visam non modo laudauit, sed correxit opinionem suam pristinam, ac vulgarem, mihi que id debere ingenue fassus est. En produit tertia eius editio aliis iam verbis, quasi non ego prior rem eam disquisserim, sed ab illo prius disquissæ adhæserim ad stipulator. Tam nihili apud vos sumus. Sed vos, estote beati, estote felices, muneribus à Deo concessis gaudete, lateque dominamini. Sinite nos pauillo nostro etiam frui; Hispani omnes sumus, magnis inuicem propinquitatibus, ad finitibusque cognati, ac familiarum mutua vtrimque permixtione consanguinei. Verum de his, nimio plusquam constitueram, sed fere necessario, vt ostenderem ab hoc seminario subcreuisse nominis *Talaueria in Elboram* inuersionem, non ferentibus istis, trium martyrum nostram urbem fuisse matrem, nostram gentem altricem.

Cæterum Legionensis Breuiarii lectionem, in qua, non *Elbora* sed *Ebora* legitur, & subiungitur, *Quæ ciuitas est regni Lusitania*, eatenus probas, quatenus facit ad explicandam Martyrum patriam. Improprietatem vero loquutionis non probas, quum non dicamus, inquis, *regnum Lusitania*, sed *provinciam*, sicut neque *provinciam Portugalia*, sed *regnum*. Hoc iam extra controuersiam nostram est. Poteram que à respondendo superfedere, nisi & ipsi *Lusitania regnum, & regem Lusitania* similiter diceremus. Improprie dices, quum titulus *regni Portugaliæ & Algarbiorum* sit. Imo tam proprie, quam vos *Hispania regem* vestrum appellatis, quum titulus sit, *Castella, Legionis, Aragonia, atque Nauarra*. Omitto breuitatis causa cæteros, *Toleti, Murta, Granata*, & si qui sunt alii. Omnia ista enim vno *Hispania*, aut *Hispaniarum* nomine continentur. Et nos breuitati studentes, ne *Portugalia, Lusitania, & Algarbiorum* dicamus, *Lusitania* tantum dicimus, videlicet à maiori regni ipsius portione. A Durio enim vsque ad Sacrum promontorium Lusitania protenditur. At *Portugalia*, vel vt magis proprie & vetuste dicam, *Portugale*, à Durio tantum, vsq; ad Minium.

Incunabula nostri regni tibi homini antiquitatis studioso explicabo. Sunt qui *Portugalliam*, quasi *Gallia portum* confingant. Sed ii in certo errore feruntur, aut in adulationem Gallorum etymon extorquent. Nos vetustum nomen *Portugale*, vel si blandius loqui placeat, *Portugalam*, præponimus. Oppidum vetustissimum est ad ostium Durii fluminis, *Cale* ab Antonino vocatum. Quod quia situm in monte est, difficilemq; habebat vsui hominum seruitutem, loco plano in ripa fluminis cœptum habitari, factò à piscatoribus initio. Creuitq; paulatim multitudine habitatorum locus, vocatusq; est *Calis portus*, vel vno nomine, *Portuale*, & ex frequentia, in ciuitatis dignitatem deuenit. Quuius Episcopus *Portucalesis* in antiquis Conciliis nominatur. Nota vero est cognatio litterarum C. & G. præcipue Hispanis nostris. Ad solam igitur vrbis huius diœcesin *Portugalis* nomen proprie pertinet. Diffusum inde ad Bracos *Callæciæ* partem. Crede hoc saltem vestro Roderico Toletano, in cap. de morte *Ranimiri*. Interea, inquit, *Alcorexi rex Agarenorum*, eam partem *Gallacia*, quæ nunc *Portugalia* dicitur, & vsque ad *Sanctum Iacobum non veritus Apostolum*, deuoluauit. Et paulo post, quum agit de morte *Almanzor*. Igitur anno terdecimo, *Almanzor* resumpto exercitu ingressus est per eam partem *Gallacia*, quæ dicitur *Portuale*. Et in cap. de monarchia Vernandi regis *Quumq; tranquilla securitate gauderet, congregato exercitu processit, vt Portugalam & Lusitaniam obcuparet*. Adducerem de hac re inscriptiones plurimas, nisi prolixitatem vererer, & nisi alibi ea dere disseruissem. Hoc nō omittam. Vbi *Portugalis* nomen cœpit ultra diœcesin suæ vrbis exire, & ad alias proximas extendi ciuitates, Episcopos, qui prius *Portucaleses* dicebantur, vitandæ amphibologiæ causa, vocatos ex inde *Portuenses* tantum. En tibi *Portugale* vix quartam regni nostri partem.

Non dicimus, inquis, *Lusitaniae regnum*, sed *provinciam*. Et Hispania *provincia* fuit, & *provincia*, & tamen belle *regnum* adpellatur. At non totam Lusitaniam rex noster possidet. Neque totam Hispaniam vester.

Expostulat hic locus, ut quod de diuisione Lusitaniæ supra sum pollicitus, modo perfoluam. In treis conuentus Lusitaniam diuisit Plinius, *Emeritensem*, *Pacensem*, & *Scallabitanum*. Duos nos habemus, & ultra Anam ex Batica oppida aliquot neq; ignobilia. Adhuc expressius. *Lusitania*, vna fait *provincia*, tribus distincta conuentibus. Diuisa postea est propter magnitudinem. Et conuentus duo, hoc est, *Pacensis* & *Scallabitanus*, nomen retinuerunt Lusitaniæ. Vnus *Emeritensis*, amisso Lusitaniæ nomine, *Vettoniæ* nomen, à gente, fortitus est. Testatur hoc cippus Emeritæ in domo Petri Messæ.

D

M

P. ÆLIO. VITALI AVG. LIB. TABVL. PROVINC. LVSITANIÆ.
ET. VETTONIÆ STEPHANVS. LIB. ET HERES. PATRONO.
FECIT.

Heinc illud sacri Prudentii in Eulalia.

*Nunc locus Emerita est tumulo,
Clara colonia Vettonia.*

Heinc etiam *Vettones* iam separati à Lusitanis reperiuntur, tametsi & ipsi prius inter *Lusitanos* censerentur. Domi meæ ingentem cippum marmoreum habeo, quuius meminit Reuerendus Dominus Didacus à Leiuua Couafruiuis Iurifcons. nunc Oxomensis Episcopus, in libris *Variarum Resolutionum*. Is ita habet: Nisi quod literarum inuicem complicatarum compeadii causa connexiones, ob characterum inopiam, exprimere non potuimus.

L. VOGONIO. L. F. Q. VIR. PAVLLO ÆD. Q. II. VIR. VI. FLAM. ROM.
DIVORVM ET AVGG. PRÆF. COH. I. LVSIT. ET COH. I. VETTONVM.
J. LEG. III. ITAL. OB CAVSAS VTILITATESQ. PVBLICAS, APVD
ORDIN. AMPLISS. FIDELITER ET CONSTANter DEFENSAS, LEGA
TIONE QVA GRATVITA ROMÆ PRO. R. P. SVA FVNCT. EST.
LIB. IVL. EBORA PVBLICE IN FORO.

Quum itaq; duas veteris Lusitaniæ parteis possideamus, vna excepta, quæ ex prius Lusitania facta *Vettonia* est, sine iniuria, qui in duabus his partibus regnat, *Lusitaniæ rex* potest adpellari. Non igitur Legionensis Breuiarii conditores perperam *Lusitaniæ regnum* dixerunt. Neq; nos erigimur, aut inuasa Lusitania insurgimus, falsosq; nobis titulos induimus, ut à te ambitus, tametsi ioco, notari debeamus. *Insurgitis, ais, cum Lusitania. Sed nos heinc vobis illam cedimus.* Lepide. Sed vtrum nobis ceditis? Terramne ipsam Lusitaniam, an nudam adpellationem? Si terram dixeris, duas certe eius parteis vos nobis non cessistis, sed eas nostri maiores labore & sanguine infidelibus ademerunt. De tertia quæ apud vos est, quam *provinciam Vettoniam* dixi, vtinam decederetis. Sed vereor ne non velitis. Si vero adpellationem solam dicas, mirifice liberales vos. Est quæ gratiam magnam vobis habeamus, qui tanta nos nuncupatione donatis. Verum ista omittamus.

Miraris, in calendario Breuiarii Eborensis à me facti, quarta decima Februarii die *Valentinum* presbyterum & martyrem Barcinonensem reperi, & ignotum vobis esse ais *Valentinum* hunc Barcinonensem. Mihi quoque ignotus æque est. Sed quibusnam tu oculis hoc in meo Breuiario legisti? *Hyalinis*ne, an *tuis*? Si *hyalinis*, fefellerunt plane. Si *tuis*, festinabas. Dictio enim *Barcinonensis*, non additur *Valentino* presbytero & martyri. x v i. Cal. Martii, sed *Eulaliæ* virgini & martyri, pridie idus Februarii. Cui Diuæ lectiones ideo non adposui, quia quæ de illa circumferuntur, fere ex *Emeritensi Eulaliæ* sumpra sunt. Ætas annorum tredecim, habitatio in suburbano prædio, presbyteri Donati cruditio, spontaneus adcessus ad forum, libertas in respondendo, & denique Præsidis carnificina, fere sunt eadem, ut hoc forte nonnullis imposuerit, vnam tantum fuisse *Eulaliæ* existimantibus. De *Emeritensi*, existant & acta, & sacer ille *Prudentius*. De altera: viderint ciues *Barcinonenses*, & solertius inuestigent.

Redeo ad Kalendarium Breuiarii. Contuli data opera, supra centum volumina, heic apud bibliopolam reperta, & totidem fere per sacerdotum manus, mire consentientibus exemplaribus. Fieri tamen potuit, ut atramenti viscositate correpti laxius hærentes typi, euulsi fuerint, & ab ignavis operis loco non suo repositi, in pauca aliquot exemplaria. Credo te non ignorare typographorum, præsertim indoctorum oscitantiam, cui neq; tres Argi sufficiant. Sed arbitròr fatis me de hoc capite apud te esse purgatum.

De *Vasæo* quod scribis, fateor à me adiutum in plerisque ut æquum fuit, hominem benevolentem, quem in Gallia Belgica, *Nicolao Glenardo* viro doctissimo, ac pientissimo

facerdotio, in Hispaniam me impulsore v̄turo, profectiois comitem addideram, quem-
que postea quam Salmantica Clenardum abduxi, etiam in Lusitaniam aduocandum cu-
raueram. Sunt itaq; non pauca, & fere quæ ad *antiquitatem* pertinent, vel à me data, vel cer-
te communicata mecum. Reliquorum omnium conlector ipse fuit, & omnino *Chronico-
rum* suorum auctor. De altero quem promisit Tomo, nihil habeo quod respondeam, nisi
apud me non esse. Tantum petierat à me, vt quos nam *Deos* ante Christi susceptam gratiam
peculiariter Hispani coluissent, ad se scribere ne grauarer, & quædam alia. Quæ dum com-
mentarer, ingratus de morte eius nunciuſcōmentationem meam illā hætenus interrupit.

Librum τῶν γενέσεων, aut *profapiarum*, si mihi permittant Ciceroniani prisco vii voca-
bulo, nobilium Hispaniæ familiarum, quem *Gaspar Barrerius* in sua *Chorographia* promittit, 10
antiquum esse scito, auctoremque eius Petrum Comitum Batcellensem, regis nostri Dio-
nyſii nothum. Liber est, et si stylo rudi, vt illud erat seculum, lectione tamen non indignus.
Comptiorem eum facere poterat *Barrerius*, cui non deest ingenium & sermonis vsus, no-
uum facere non poterit, nisi plagio se inuoluat aduersus auctorem, simile ei quod in *Choro-
graphia* plerisq; locis aduersus me, commisit. Vsq; adeo verum est, quod ait *Martialis*.

Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

Aliquam tamen illi gratiam debeo, quod mea sic tractauit, vt aperre domini fidem im-
plorare videantur. Sed hæc latius in expostulatione cum illo mea. A *Barrerio* vero nescio
quam circa familiarum notitiam versato, quid expectare possis non video, præcipue post
mutatum vitæ prioris institutum. Quæ res vt illi bene & feliciter, atque ad animæ salutem 20
vertat, Christum omnipotentem quæso. Tractat idem argumentum, ex aulica nobilitate
D. Antonius Limicus, materiæ susceptæ non paulo ad commodatior. An summam impofue-
rit manum, equidem modo non scio.

Sancium posteriorem Lusitaniam regem, qui ob socordiam, non quidem regno priua-
tus, sed motus regimine exstitit, quum ignominiam non ferret. Toletum ad Hispaniæ re-
gem consanguineum, auxilii petendi gratia se contulisse, vbi aliis atq; aliis causificationi-
bus, quum esset de spe deiectus, mœrore ac tædio vitam finisse, ibique sepultum, scriptores
nostri omnes commemorant. *Flectium* autem Conimbricensis arcis & vrbis præfectum,
quum nullis conditionibus adduci posset, vt vrbem fratri subcessori traderet, mortuumq;
nunciante non crederet, postulasse vt explendæ fidelitatis suæ causa, Toletum sciscitatum 30
de morte eius adire permitteretur. Interea, ab vrbis oppugnatione abstinerent milites.
Quum placuisset hominis postulatū, permissum adire Toletum. Vbi sepulchro adaperto,
Conimbricæ clauis mortuo regi in manu posuisse, taliq; vsu oratione. Quam diu Rex
Sanei, viuum te arbitrabar, extrema omnia sum perpeſsus. Coriis famem, louio sitim tole-
raui. Ciuium animos consilia de deditioe agitantium, ad malorum patientiã erexi. Quid-
quid à me homine tibi ligio, atq; in verba tua iurato, præstandum erat, præstiti bona fide.
Mortuo, tuę tibi vrbis clauis trado, sacramento me soluo. Ciuibus decessisse te nunciabo,
ne pertinaciter in suam perniciem subcessori resistent. Hæc *Toleti* facta scribunt historici
nostri. Ex vestris quoq; ea tempora qui attigerunt, idem confirmant. Satisq; sit, gestorū
Alphonſi regis vocati *Sapientis* caput septimum indicare. Arbitrabar me quum iuuenis 40
Toletum deueni, in altero cellæ summi templi latere, infra Magni Alphonſi mausolæum,
huius nostri vidisse conditorium, statuamq; super porrectam, in schemate monachi ex *Di-
ui Francisci*, in quod propensus fuerat, instituto. Verum corona regia sepulti olim digni-
tatem attestante. Nescio an sefellerint tunc oculi, an γεροντικὸς vacillet ipsa memoria, an
potius ablatus inde, & alio translatus sit. In tota certe Lusitania nusquam sepulchrum eius
exstat, nec vel tenui saltem fama.

De cognomine Legionensis vrbis, quod post *Vasæum* me interpellas, respondebo ad-
huc timidiuscule. Non enim temere vetustiorum auctorum lectionem soleo inuertere,
nisi ipsa ratio conuincat loci corruptionem. *Ptolomæi* codex ita habet. ἀπὸ ἀνατολῶν 50
ἢ τέττατον, παρὰ ἡδὲ τῆς ἀστυρίας, καὶ πόλεως ἐν αὐτῇ, &c. λεγίων ζ γερμανική. id est, *Legio
septima Germanica*. Quam lectionem sequuntur interpretes, & noster *Nebrissenſis*. Mul-
tum tamen moueor *Antonini* auctoritate, vbi scribit iter à *Mediolano* *Vapinquum*, trans
Alpeis Cottias, atque inde ad *Callæciam*, ad *Leugas VII. Geminam*, quod legendum me
dixi arbitrari, ad *Legionem septimam Geminam*. Nec parum incitamenti addit *Inscriptio*
ista inuenta in pago Legionensis agri, quam adcepi lateritiam esse, quasi defuerint ibi la-
pides. Quuius exemplum neque *Vasæus*, neque tu modo ad me misisti. Quod maluissent
perconsendę rei causa, quam ad notationem illi modo adiectam. In *Claudio*, *Luperco*, atq;
Victorico, in hanc partē iam ante inclinaueram, sed tamen reuerebar *Ptolemæum*. Verum
si inferi-

si inscrip̄tio ista ad Antonini itinerarium adcedat, audebo forsitan manum Ptolemæo ad-
mouere, & illud, λεγίων. ζ. γερμανική, emendare, vt sit. λεγίων ζ. γερμανική.

Grati muneris loco mihi fuit commentariolus Translationis nuper factæ *Sancti Eugē-
nii* primi Toletani Episcopi, & martyris, si modo *Toletanus Episcopus* ille fuit. Neque dubi-
tationem meam de nihilo prouenisse arbitreris. Vester *Ildephonsus* in *Catalogo virorum in-
lustrum*, & maxime eorum qui Toletanæ ecclesiæ præfuerunt, duos tantum Eugēnios re-
censet, alterum Helladii discipulum & Iusti confortem, sub Chintilla, Tulgane, & Chin-
daluintho regibus, alterum, cui se Ildephonsus subcessisse testatur, sub eodem Chindalu-
intho & Recesuintho, Eugēnii prioris subcessorem. Hunc *Iulianus*, qui libello illi addita-
mentum fecit, secundum vocat Eugēnium, de Ildephonso ita scribens. *Præsul post secundum
Eugēnium*. Et de Iuliano altero: *Iulianus*, inquit, *Eugēnii secundi discipulus*. Tam Ildephonsus
igitur, quam Iulianus, sanctissimum hunc martyrem Eugēnium Toletanum Episcopum
non agnoscunt. Si in tanta nostrarum rerum ignoracione locus coniecturæ sit dandus,
prædicasse Euangelium Toletanis non abnuerim, credendum enim antiquitati, sed quum
non multum forte promotisset, in Gallias, vnde venerat, videtur verisimile rediisse, pa-
rum alioqui officio Episcopi functum, si primis illis initiis bonum prædicationis successum
solo videndi magistri desiderio reliquit.

Imo si veritas patefacienda est, Quid enim oportet falsis nos titulis gloriari? & *Euge-
nii* hic qui primus vestræ vrbi Christum adnunciasse perhibetur Dionysii Parisiorum
Episcopi ac martyris existit discipulus, quum is Dionysius nō Areiopagita ille fuerit, quod
nobis persuadere nituntur Galli, sed alter circa annum Seruatoris nostri ducentessimum
quingagesimum tertium, Decio & Grato Cos. Romæ ex presbytero cum aliis sex Epi-
scopus ordinatus, atq; in Gallias ad prædicandum missus, vt auctor est S. Gregorius Turo-
nensis in primo historiarum suarum libro, Gallus ille quidem, atq; in suam alioqui gentem
propensus, reuocanda ad calculum, & ineunda iterum tuæ tibi supputationis ratio illa est,
post quadringentos quinquaginta supra mille annos, ex quo passus sit, esse translatum. At-
que etiam si Episcopum fuisse donemus, neq; seuerius disquiramus, an à solo Dionysio ordi-
nari potuerit Episcopus, & ab eo in Hispaniam delegari, quod factum in eius legitur histo-
ria, expendendum, an in illum conueniat id quod ais, *Toletanæ vr̄bis, ac totius Carpetaniæ pri-
mum fuisse* antistitem, non ad tempus, sed ad dignitatis prærogatiuam referas. Quod
si ad tempus referendum dicas, explices, oportet quæ tam Ildephonsus, quam Iulianus
Toletanæ ecclesiæ alumni duorum tantum Eugēniorum meminerint. Propter vetusta-
temne & exoletam seculorum memoriam? An quia omissio Toleti grege recessit? An ma-
gis quia vere Toletanus Episcopus non fuerit, licet ibi Christianæ religionis fundamenta
iecisset? Et quidem memoriam vsque eo obsoleuisse, putandum non est, quum à Decio &
Grato Cos. ad Christianorum persecutionem quæ sub Diocletiano facta est, post quam
Toletanam cœpisse ecclesiam mox aperiam, anni tantum intercesserint quinquaginta,
vno plus minus, quumque inde ad Constantinum & Iliberitanum concilium, quo tempo-
re Toletanam Ecclesiam Episcopum iam habuisse etiam ostendam, pauci admodum anni
prætorierint. Non poterat igitur memoria tanti Martyris, si Episcopus fuisset, ex Episcopo-
rum serie interiisse.

Sin quum primum dixisti, prærogatiuam sedis intellexisse te inquis. hoc quonam pa-
ticipo possis tueri, non video. Nondum enim illo tempore Toleti erat Ecclesia constituta,
quum neque dum, eo veniente Datiano, esset, verum pauci atque latentes susceptam non
ita pridem ab Eugēnio religionem formidolose seruarent. Post martyrium vero sanctæ
virginis *Leucadiæ* videlicet à puellæ fortitudine animosiores factos, Ecclesiam instituere
cœpisse, testatur Rases, hisce verbis. *Diocletiani tempore, Christiani qui Toleti in Hispania erant,
Ecclesiam construere cœperunt, quæ postmodum regum dicta fuit. Christiani vero Sanctam adpellant
Leucadiam.*

Nec puto, non dico iam Toleti, sed etiam in tota Hispania Episcopum posse iustum,
ordinariumue ostendi, ante Constantini Magni tempora. Si qui autem ad id tempus ali-
cubi fuisse legantur, quum inter paucissimos profiteri religionem persequutorum metu
vix audentes, præter ordinem, prædicationem, & ad martyrium expositam mentem, Epi-
scoporum nihil habuerint, talibus quæ prærogatiua conueniat, ipse videris. Imperio itaque
Constantini Episcoporum dignitas, & sedium emerfit prærogatiua. Is enim optatam Chri-
stianis pacem reddit, & Episcopos Archiepiscoposq; fieri per Hispanias edixit, & metro-
poleis ordinauit, per iuridicos Hispaniæ conuentus, iuxta *Diui Clementis* præscriptum, in
Epistola ad Iacobum fratrem Domini, quod citatur à Gratiano, 80. distinctione. De qua re ita
Rases, *Constantinus diuisit Hispaniam sex Episcopis qui religionem Christianam populos docerent.*

Primum fecit *Narbonensem* Episcopum, cui dedit alias ciuitates sex, quibus in animarum cura, iuxta Christianorum fidem, praesset, videlicet *Blitteras* siue *Beterrin*, *Tolosam*, *Magolonam*, *Nemasum*, *Agatham*, & *Carcassonam*,

Secundo dedit etiam bonas ciuitates, *Bracaram*, *Dumiam* Portugale, *Auriam*, *Tuden*, *Lucum*, *Iriam*, *Britaniam*, *Ouetum*, & *Asturiam*.

Tertio, *Tarraconem*, *Barcinonem*, *Cesaraugustam*, *Ilerdam*, *Ausonam*, *Dertosam*, *Oscam*, *Calagurrin*, *Oriollam*, & quatuor alias, tam barbare in scriptura deprauatas, vt quænam fuerint, ex barbaro hoc auctore non intelligam, nec animus sit hoc aliunde supplere.

Quarto, *Carthaginem*, *Lorcarn*, *Bastam*, *Toletum*, *Alharam*, *Oxomam*, *Saguntiam*, *Valentiam*, *Valeriam*, *Castulonem*, *Mentesam*, *Oretum*, *Secobrigam*, & quinque alias quorum nomina non intellexi.

Quinto *Emeritam* *Pacem*, *Olysiponem*, *Ossonobam*, *Abtaniam*, *puto* *Igeditaniam*, *Conimbricam*, *Lamecam*, *Eboram*, & *Cauriam*. Sexto, *Hispalim*, *Italicam*, *Cordubam*, *Xeritium*, *Sadunium*, *Neuolam*, *Malacam*, *Iliberim*, *Astygim*, & *Agabram*.

Sub Constantino itaque *Toletana* ecclesia non pridem instituta, Episcopum sane habebat, vt patet ex *Iliberitano* Concilio, in quo septimo loco subscripsit *Melanthius* Episcopus *Toletanus*. Erat tamen sub metropoli *Carthagine noua*, in qua, auctore *Plinio*, conuentus erat, quæque, vt ait libro etymologiarum decimo quinto *Isidorus*, à Romanis colonia facta, nomen etiam prouinciæ dedit. Nunc autem, inquit, à Gothis subuersa, atq; in desolationem redacta est. *Rodericus Toletanus* à *Gunderico* *Vandalorum* in *Callæcia*, & *Sueuerum* rege euerfam dirutamq; ait, ibiq; antiquitus dignitatem ciuitatis fuisse, antequam à *Vandalis* esset euerfa, confitetur. *Gothorum* tempore, dignitatem ad *Toletanam* ecclesiam esse translata, & adhuc *Carthaginensem* dici prouinciã. Sit sane à *Vandalis* euerfa. verum, etiam *Vandali* *Gothi* erant, vt testis est *Procopius*. Alioqui satis nobis erat *Isidorus*, qui à *Gothis* euerfam dicit. Mallet tamen, vt *Rodericus* explicatius diceret, ecquam ciuitatis dignitatem *Toletum* translata intelligat. Nam si episcopalem tantum sedem intellexit, ex *Iliberitano* concilio prius ostendi, iam ante euerfam *Carthaginem Toletum* episcopalem dignitatem habuisse. Quanto erat simplicius, metropolitanam dignitatem translata dicere?

Euerfa ergo *Carthagine*, quum *Gothi* *Toletum* ob loci situm, & soli commoditates comprobassent, & urbem fecissent regiam, eo metropolitano dignitas est translata, verum manente prouinciæ *Carthaginienfis* titulo. Adparet hoc ex primo *Toletano* Concilio, ab vnde viginti episcopis prouinciarum *Tarraconensis*, *Carthaginienfis*, *Lusitanicæ*, & *Bæticæ* celebrato, sub *Honorio* & *Arcadio* A v e c. circa tempora *Anastasio* *Papæ*, præfidente *Patrino* *Tarraconensi* metropolitano, subscribente sexto loco *Asturio Toletano*, quem sanctus *Ildephonsus* *Audentio* in *Toletana* vrbe metropoli prouinciæ *Carthaginis* subcessisse dicit, & ob inuentos diuina reuelatione in *Complutensi* municipio *Christi* martyres, redire in sedem suam noluisse, sed in sanctorum ministerio atq; complexu, diem obiisse. Eoque factum, vt *Asturius*, qui apud *Toletum* nonus erat sacerdos, apud *Complutum* primus haberetur. Vides quam recens erat *Episcoporum* *Toletanorum* origo, vt *Asturius* nonus numero perhibetur? Nec sane plures esse poterant centum fere annis, ab *Ecclesiæ* *Toletanæ* primordiis, hoc est, à fine imperii *Diocletiani*, vsq; ad *Arcadium* & *Honorium* A v e c. & *Stiliconem* eos. quo tempore fuit *Asturius*. Vides etiam translata iam *Toletum* metropolim, nondum *Carpetaniæ*, sed *Carthaginienfis* titulum prætulisse? Processu inde temporis, inrepsit paulatim *Carpetaniæ* appellatio, vt in tertio *Toletano* concilio, sub *Rearedo* principe, in quo secundo loco, hoc est, post *Mausonam* *Emeritensem* prouinciæ *Lusitanicæ* metropolitanum, subscripsit *Euphemius*, in *Christi* nomine, ecclesiæ *Catholicæ* *Toletanæ*, metropolitanus Episcopus, pro *Capitanicis*, quod emendandum est, prouincia *Carpetania*. In quinto rursus. *Eugenius* prior: se *Toletanæ* ecclesiæ Episcopum, prou. *Carthaginienfis* metropolitanum vocat. Et sic fere in cæteris. Nec aliter *Ildephonsus* & *Iulianus* vtuntur, in illo de *uiris illustribus* libello. Atq; hæc non eo dicta à me sunt, quo *Toletanis* de sua quidquam antiquitate detractum velim, Sed quia *inlustria* *Diuorum* *martyria*, falso rum admixtione contaminari non probem.

Ex paulo ante dictis intelliges *Ildephonsi* de *illustribus* *uiris* libellum esse apud me, cum superioribus eiusdem argumenti scriptoribus, hoc est, *Hieronymo*, *Gennadio*, *Isidoro*, *Braulione*, post quos sequuntur *Ildephonsus* & *Iulianus*. Est etiam in nostra *Eborensi* Ecclesia liber ipsius *Ildephonsi*, de *perpetua* *sanctæ* *Dei* *matris* *virginitate*, non parum quidem antiquus. attamen non parum etiam mendose scriptus. Interq; nonnullos bibliothecæ meæ vetustiores manu descriptos, Conciliū extat *Emeritense*, à duodecim prou. *Lusitanicæ* Episc. celebratum,

anno decimo octauo Recesuinthi regis, æra DCCIII. simulq; *Homilia beati Leandri episcopi Hispalensis*, habita in tertio Toletano cōcilio, pro conuersis ab Arriana impietate Gothis. Quibus meminit Rodericus Toletanus in Reccaredo.

Julianum Pomerium iam olim desidero, eoq; magis quod sanctus vester pontifex *Iulianus Eugenii secundi* discipulus, *Quirici* subcessor, multum illi tribuit, in libris quos *de prognosticis futuri seculi* ad *Idalium Barcinonensem* conscripsit. Eos mihi furto à Parisiensi quodam hospite ante annos viginti sublato, adcepi postmodum typis excusos, non tamen satis mendis quibus passim scatebant, purgatos. Vidi aliquando in Germania *carminum eius libellum*, sed apud hominem qui neque vnus diei vsuram prestare voluerit. *Isidorum Pacensem* citat alicubi *Vasæus* in *Chronicis*. Non dubito in Ecclesiæ vestræ, quæ prima ex Saraccnica inluuione & respirauit, & pristinum splendorem recepit, instructissima, vt ais, bibliotheca, merces has posse reperiri. Quibus si nos participes, opta vicissim heinc aliquid, quo tibi nos gratificemur.

Concilium Toletanum statim vt prodiit, delatū ad me est. Nostrum *Olisiponense* absoluius circiter Saturnalia, vel, vt potius Christiane loquar, instante Seruatoris nostri natali die, sex Actionibus distinctum. Creuit in iustum volumen, vt quod *Decreta* contineat superprætercentum. Nondum exiit, turbato apud nos nonnihilo Ecclesiastico statu, siue circa iurisdictionem, siue nescio quor, & si scio, non tam longe vterque distamus. quin eorum quæ heic geruntur, ad vos rumor celeriter pertingat.

Delassauit te arbitror, verbosissima epistola, aut si mauis, libello. Sed boni consules prolixitatem hanc, vbi attenderis, ad litterarum tuarum capita vix potuisse me pro materiæ dignitate respondere, nisi tot verba necessario funderem. Bene vale, & huic homini, quem sponte ad amicitiam prouocasti, indies amicio, mutuam amicitiam serua. Eboræ, 4. Nonas Maii, M. D. LXVII.

AMBROSIVS MORALES

CORDVBEN. ANDREÆ RESENDIO. S. P. D.

AMo te, Resendi doctiss. amo te, & vnice profecto diligo: vel de tua nobilitate, quam mihi ego in bonis semper suspiciendam & colendam existimaui: vel de tua ista insigni eruditione, & eximia Hispanæ antiquitatis cognitione, qua nostrates omnes præcellere, & longo intervallo videris anteire: vt carminum tuorum iucunditatem, mihi poetices amantissimo dulcissimam, orationum grauitatem eloquentia professori commendabilem interim taceam. Accedit insignis tuus candor, & in iuandis aliorum studiis benignitas, qua nunquam grauis libenter alius impertiri, quicquid ingenio & singulari iudicio fueris assequutus, aut indefessa diligentia aliquando eruisti. Quis non hoc amare? Quis non plurimi facere debeat? Ego vero & amo, & admiror, & bonorum & eruditorum omnium nomine, humanitatis huius tua ergo, ingentes tibi gratias ago. Offensus nimirum & pessima & frequenti multorum apud nos tenacitate, qui si quid vel exiguum antiquitatis monumentum adepti sunt, ita occultant, ita alius denegant: vt perire sibi omnem eruditionem putent, sicum quoquam id communicauerint. His de causis cum te iam pridem amem, & iuari abs te magnopere studia mea posse intelligam, scribere ad te constitui: vt tu me vicissim pro ingenua tua humanitate ames, mihi rescribas, & me opem tuam enixe poscentem libenter adiutes. Scripsi enim Hispaniæ totius historiam ad Roderici Regis tempora, quinque Floriani libros septem aliis continuato opere prosequutus. Non quod mihi eius hominis scripta perplacerent, vel quod tibi displiceant: sed quod iustis de causis mihi fuit, indidem vbi ille desit incipiendum. Urbium origines, situs, nomina, & quæcunque ad illarum antiquitatem pertinebant, historia non admiscui, sed peculiari commentario seorsum adnexui: quia liberiora spatia ad hunc cursum plenius conficiendum mihi patere cuperem. Atque vti nam vtrunque id opus coram tecum relegere, & te admonente, atque adeo educeute corrigere mihi licuisset: tunc demum mihi met ipse in meo opere satisfacerem, & doctis omnibus satisfacturum sperarem. Nihil, ita me Deus bene amet, quantum ad studia spectat, libentius unquam in vita fecissem, quam vt hoc iter caperem: vt tecum aliquandiu versarer, multo abs te doctior recederem, opusq; nostrum t ali iudice castigatum innocens iam & plane absolutum reducerem. Sed quoniam tuum ingravescentis ætatis senium, tum etiam peculiaris valetudinis imbecillitas hoc ipsum vetat optare: quod v-

num datur, tuaque benignitas tribuit sperare, te de multis per literas percontabor. Vides enim, mi homo quantis & quam multis in rebus, suppetias mihi possis adferre. Ego vero hic iam mature, opem tuam, quo magno opere indigeo, implorare, & de multis interrogare te incipiam.

1. Qualiter putes intelligenda postrema illa verba, quæ pontis Alcantara delubro post epigramma leguntur. C. IULIUS. LACER: &c. Nam mihi nisi reconditum aliquid subsit, difficilia videntur intellectu. Quæ ego in historia dixi, cum his literis accipies.

2. Quæ apud authores leguntur de oppidorum nominibus, quæ in eodem ponte recensentur, mihi sunt percognita. neque tamen inde satis possum quippiam certi & perspicui afferre. Tu qui vicinior has regiones incolis, non dubito quin aliqua planiora & indubitata magis peruestigaueris: Ea mecum obsecro communicato.

3. Ecquid habes, quo rationem reddere possis, & assumpti & continuati in regibus Gothorum prænominis Flauii. Ego enim in hac parte nihil habui quod dicerem, præter unam coniecturam emulationis imperatorum. Nam cum ab Constantino, & retro etiam, imperatores omnes Flauii prænomen continuarent: Gothi toties imperat. victores, emulatione successi, id ipsum etiam prænominis sibi videntur desumpsisse.

4. Ecquid insigne & memorandum legeris alterutrum Reccaredum regem in vestra urbe Eboresi fecisse? Nam si quid eiusmodi protuleris: omnem ego iam tuam illam cum Quebedio de Elbora nomine concertationem diremero. Interim scias proximo Augusto Quebedium Toleri obiisse, opusque suum de sanctis Hispaniæ, vix dum inchoatum reliquisse.

5. De Aosta Rege si quid certum alicubi reperisti, id magno opere cupio intelligere. Quidam enim uti scis, regnasse negant, quidam affirmant. Nummi, qui tanquam regis huius sint, ostentantur, ego adduci non possum, ut credam eius esse regis.

6. Si quos habes Gothorum Regum nummos non graueris obsecro descriptos ad me transmittere.

7. Scire cupio concilium illud Emeritense, quo mense, quo die, quibus cum episcopis sit celebratum. Tum præterea si quid insigne in eo sit decretum.

Onero te multis questionibus? Tuæ isti singulari eruditioni succenseto, quæ sola hæc nosse, & potest docuisse: tuæ humanitati irascere, quæ aditum ad percunctandum patefecit. Tu vero vicissim à me si quid habeo quo tibi gratificari possim, requirito. Pauperis est numerare pecus: sed tamen quid à me possis optare significabo. Nummos antiquos cum oppidorum Hispanorum nominibus præfiscis plus quadraginta diuersos congregaui. In his sunt. Saguntos, Castulo, Valentia, Graccurreis, Obulco, Sacili, 30 Vlia, Carmo, Eboræ, Claritas Iulia, Corduba, Colonia Patritia, Ercanica, Cascantum, Hispali, & quadam alia.

Gothorum regum nummi hi sunt apud me.

Diui Ermengildi aureus, quo tempore cum patre bellum gerebat percussus. Bone Deus, quem thesaurum nomino.

Fratri eius Reccaredi aurei quatuor, argenteus vnus, diuersi omnes.

Liua huius filii aureus.

Suintilani aureus.

Reccefuinti aureus.

Eruigii aureus.

Witerici aureus.

Wamba argenteus.

Wittiza & Egica aureus.

Inscriptionum antiquarum ex multis Hispaniæ regionibus magnam copiam comparavi. Ex vetustissimo Ouetensis Ecclesiæ codice Sancti Desiderii martyris vitam transcripsi, ab Rege Sisebuto conscriptam. Multa alia inde habui. Eiusdem Regis epistolas aliquot, & eorundem temporum alia nonnulla. Chindasuindi Regis priuilegium, quo patrimonium monasterii ab Sancto Fructuoso in Bergido ad Compluticam erecti adauget. Post Regem Pelagium antiquissimorum regum nostrorum priuilegia quamplurima, leges item antiquas (fueros nostri vocant) quarundam ciuitatum nostratum undecumque corrafi. Sed hæc nihil ad te. Aliorum omnium, quæ te oblectare, aut quaqua ratione tua interesse poterunt, quiduis optato, quiduis petito, descriptum quamprimum remittam. Doctor Ioannes de Sancto Clemente Badaicensis ecclesiæ canonicus Theologus, qui has ad te mittet, tuas ad me transferendas tuto recipiet. Eum ego hominem multis de causis, tum amo mirifice, tum etiam plurimifacio. Neque ideo solum quia mecum sit aliqua propinquitate coniunctus: neque quia pene à paruulo eduxerim in litteris, amauerim pro meo, & in eo me oblectem, sed quod in eo ingenium, virtus, doctrina, magna omnia, ita decertent, ut non cuius facile sit, quid præcellat iudicare.

Ego semper vitæ innocentiam & sanctitatem præfero. Per eundem cum his litteris librum nostrum de sanctis Iusto & Pastore accipies: quem eo consilio misi ut si quid in eo sit, quod te legisse iuuat, ea te pia & erudita voluptate minime fraudarè. Potui fortasse errare, quia templum illud horum martyrum cū
inscri-

inſcriptione, ad Salacia in eſſe ſcripſi. Nam F. Alphonſus Chaconus Dominicanus, qui abs te mutuatã eam inſcriptionem ad me miſit, perperam titulum addiderat, vt ego quo loco reperiretur, plane non poſſem intelligere. Interim ſcire peruelim, probes ne noſtram in perueſtigandis urbium antiquitatibus rationẽ cuius exemplam in Complutensibus antiquitatibus cernere poteris. Ibi tu mihi nominari non potuiſti. Vbicunq; interuenis, hominis & tibi amiciſſimi, & eruditionis tuæ non vulgaris æſtimatoris officium non requires. Tu vale, meque ama, & amanter reſcribe.

Compluti. xxx. Ianuarii. M. D. LXX.

Vincetium tuum fac ad me mittas, quem ego cum legere magno opere iam diu cupierim, nunquam datum eſt inuenire. Iterum Vale.

L. ANDREAE RESENDII,
LVSITANI, AD EPISTOLAM D. AMBRO-
SII MORALIS VIRI DOCTISSIMI, INCLYTÆ ACADE-
miæ Complutensis Rhetoris, ac Regii historiographi
Reſponſio.

D. AMBROSIO MORALI, VIRO ERV-
DITISSIMO, L. AND. RESENDIVS S.



De idus fere Martias, Ioannes à Sancto Clemente neceſſarius tuus, libellum & litteras à te amantiffimas, vna cum ſuis, etiam amantiffimis, ad me miſit. Quid ego vtrique veſtrum aliud reſpondeam, quam meæ me felicitati, ob taleis viros amicitiam meam ſponte ambienteis gratulari, nihil equidem intellego. Certe amanteis, quantum intendi amor poterit, redamabo, daboque operam, ne quod priores diligere cœpiſtis, in eo erraſſe videamini. Tibi vero cui has peculiater modo ſcribo, immortalis ago gratias, de tua iſta humaniſſima comitate, comi, vt comior eſſe non queat, humanitate. Nec vtiq; ob id, quod mirificis me laudibus euehis, an obruis? Neque enim tam elato ſum ingenio, vt quæ ſcribis mihi quaſi meo iu-

readrogem, ſed quod tua iſthæc laudatio quum ab incredibili animi candore proficiſca-
tur, non poteſt lucunda mihi non eſſe. Pudefacit igitur multum me, multum tamen dele-
ctat. Lætus ſum, laudari me abs te pater, laudato viro, inquit apud Næuium Hector, & v-
ſurpat, Catoni reſpondens, noſter Cicero. Sed de his dicam modice. Vereor enim ne mu-
tuum reddere conatum eſſe me quiſpiam ſuſpicetur. Quod tamen potius deinceps ſpon-
deo, atque in me recipio. Nunc ad epiſtolæ tuæ præcipua capita. Eſt fane quod ais, mea ſatis
procliuis in communicandis quæ vel ingenio, vel ſedulo nauata opera, deprehẽdi, inueni-
que facilitas. Quæ mihi nonnunquam obeſt, inſidiantibus meo labori plagiariis quibuſdã
qualis fuit in plerisque amicus olim meus Barrerius, qui locos ſupra viginti candide imper-
titos, ſuæ immiſcuit Chorographiæ, non habita commonſtratori gratia. Quorum tamen
non paucos ea dexteritate tractauit, vt mihi illud Martialis in eum iure liceat detorquere.

Quem recitas, meus eſt ò Fidentine libellus,

Sed male quum recitas, incipit eſſe tuus.

Ingenue magis Vaſæus, tametſi neque ſemper, neque alicubi, maxime expoſcente lo-
co, non diſſimulanter. Ei certe quæ de Romanis tribubus, ſiue legendis libris, ſiue inſcri-
ptionum veterum monumentis, compereram, additis auctorum priſcorum testimoniis,
communicauit. Compleueramque vnus & quadraginta numerum, hoc eſt, ſupra triginta
quinque conſeſſas atque receptas, ſex alias. Non enim plureis eatenus diſerte inueneram,
præter treis, litteris quamque tribus. CAM. CLV. HOR. ſæpe in marmoribus adnotatas,
quarum integra nomina neque apud idoneum ſcriptorem aliquem legeram, neq; ſine ve-
terum testimonio, ſola trium literarum coniectura, Camillam, Cluentiam, Horatiamve,
pronunciare ipſe audebam. Nam CLV. pro CRV. hoc eſt, Cluſtuminam pro Cruſtumi-
na diei, nondum ſatis eram, neque adhuc ſum perſuaſus, quum ciuitas vnde nomen habet,
Cruſtumium vocetur, non Cluſtumium. Mihi autem non contigit marmor videre, vbi
CLVS, vel CLVST, ſcriptum eſſet. Hærebam igitur in ſcriptura, CLV. eſſetne inter-
pretandum Cluſtumina, vt bene docti quidam exiſtimant, an Cluentia, quæ extra nume-
rum, ſicut CAM. & HOR. tribus eſſet. Omneſque has apud me in ſchediis conlectas, ne-

que dum stylo ordinatas eo consilio reprimebam, ut si lectione assidua certius tandem aliquid essem adsequutus ea in re studiosis antiquitatis mea diligentia non deesset. Ecce autem in libris variarum resolutionum Reuerendi D. à Fossis Rubris, Rodericopolitani Pontificis, prodit de Romanis tribubus opusculum, in quo inter multa alia, quæ vir ille eruditissimus & ex veteribus, & ex neotericis congeffit, quæ ego peculiariter lucubraueram, vna reperi, à Valæo, sicut postea rescui, prodita, tantum cippi. L. Voconii, L. F. QVIR. Paulli, qui domi meæ est, facta obiter mentione, videlicet ut indicio esset, illuc scrinia mea, non meo consensu, peruenisse. Quod ægre minime equidem tulissim, imo vltro egissim gratias, si treis illas, quas pro ignotis adhuc habeo, etiã expediuisset. De quibus neque verbum vllum fecit, neque excessit triginta quinque numerum, neque rem omnino ad amul-¹⁰sim dolauit. Vicit ea in re, & nos, & illum, & ceteros qui nostra ætate id attentarunt, Onuphrius Panuinius, quanquam neque in illo exactius aliquid nõ desideres. Sed ad rem. Valæo homini quo ad vixit beneuolenti, leuem hanc pleni officii prætermisionem, libenter condonamus. De fraude, cum Barrerio, neque sane iracunde, expostulauimus. Neque propter illum simileisque, restrictiori animo in aliorum iuuandis studiis, si forte potero, equidem sum factus. Minus autem posse, vehementer doleo. Non enim pudet incertitiam meam fateri. Nam à peruestigandis eruendisque antiquitatibus, ad quam rem videbar ab natura propensus, maiora me studia, & necessariæ quædam compedes retraxerunt, atque semotum à doctorum hominum quotidiano congressu, quo & erudiebar, & delectabar, ad rudem compulere inuitum, & in hoc patriæ angulo, quasi in ingloria senectute delite-²⁰scientem, retinuerunt. Sed qualis ista quumque eruditio nostra est, ad quam velut ad grauioris itineris diuerticulum, nonnunquam animi causa deflectimus, non enim nostri nos omnino pœnitet, certè doctis ac tui similibus, semper erit obnoxia. Quare omissis ambagibus, quod in epistola tua petis, ut te vicissim amem, etiam si non petisses, ipse vltro pro-uocatus, eram facturus. Atque ut initio testatus sum, maximo te opere profecto amo. Ut vero de studiis tuis loquar, probo consilium tuum, quod vrbium origines & vetusta nomi-³⁰na historiæ rerum gestarum non admiscuisti. Impedisset enim hoc ipsum historiæ quasi corpus, & narrationis cursum remoraretur, ac perplexiorẽ reddidisset. Separato vero commentario, antiquitatis studiosis eo melius, quo liberius satisfiet. Sed per tuam te fidem oro atque obtestor, ut in reddendis originibus, si nondum opus emisisti, religiosiorem te præ-³⁰stes, quam fuit in comminiscendis Florianus, multæ alioqui lectionis homo.

Quæris à me quonam modo intelligenda putem postrema verba inscriptionis eius fani, quod ad pontem est Alcaniaræ. C. IVLIVS LACER, & cæt. nec integram eorum verborum lineam misisti, quod equidem maluissem, quum verbum quod statim sequitur, semiabrasum sit tribus tantum, ut adparet, litteris in sculptum. D: : Os. Ego ante multos iam annos, quum scalas loco adhibuissem, horam integram, eoue plus, etiam plente celo, legendæ inscriptioni impendi, præcipue propter octauum carmen, quod falsissime translatum, nullo penitus sensu, circumferebatur, etiamq; dum circumfertur. Quod ex ductu ab abasarum literarum vestigiis, me puto ad germanum verumque sensum restituisse, comprobantibus multis, quibus id postea communicati. Sed hæsi, hæreoque adhuc in tribus⁴⁰ illis litteris, D: : Os. non hesurus si duæ tantum essent. D. s. Quæstio vero tua non est nisi in verbis quæ sequuntur, F. ET DEDICAVIT. AMICO CVRIOLACONE. IGÆDITANO. Et sciscitaris an probem lectionem tuam & expositionem, quam extra epistolam in commentariolo Hispanice confecto misisti, fecit, & dedicauit, amico curione Lacone Igæditano, ad hunc sensum fecit, & dedicauit dedicationis munus obeunte amico Lacone, curione, id est, sacerdote Igæditano. Verbū autem CVRIO, concisione dictum existimas, pro CVRIONE, id est sacerdote. Ita, ut curio Igæditanus, hoc est, Sacerdos Igæditanus, Laceri amicus, delibrum dedicauerit, quum nefas, ut ais, esset, sine sacerdote hoc fieri. Et curionem pro sacerdote, apud bonos auctores reperiri, verbo, nõ re, confirmas. Dicam libere, bona tua venia. Mihi argutius, quam verius, esse hoc videtur. Primo, quia tametsi donarem curionem pro⁵⁰ sacerdote reperiri, vim facis latinitalis contextui, Amico curione Lacone Igæditano, pro eo quod esse debuisset, iuxta tuam sententiã, AMICO LACONE CVRIONE IGÆDITANO. Imo neque sic, ostendebat curionem, hoc est, sacerdotem Igæditanum dedicationem peregrisse, & templum solennibus verbis fuisse effatum. Si enim hoc esset, ita significari debuisset, effante, vel dedicante, vel præeunte, amico Lacone, curione Igæditano, non autem distortissime, amico curione, Lacone Igæditano. Deinde, ut velis corrigere, quod dixisti, curione municipii Igæditani, & dicas, amico curione, id est, sacerdote, Lacone Igæditano, ut curio non intelligatur sacerdos eius municipii fuisse, sed id municipium patria fuisse Laconis, restat tunc in-
quiren-

quirendum, apud quem veterem auctorem legeris, id quod fidenter adseris, *curionem* pro sacerdote, aut potius flamine in prouinciis, & extra urbem Romam. Romam enim à principio Romulus in treis diuisit tribus, & tribum quamque in decem curias. Tribuum triū præfectos, tribunos adpellauit, Curiarum triginta præfectos, vocauit curiones. Et qui curionum omnium princeps esset, is curio maximus est nuncupatus. Curiones autem hi, suæ quisque curiæ curam habebant, & in calanda, hoc est, vocanda ad curiam Calabram, vel alio, concione, & in sacris faciendis, & in procurandis curialium commodis. A cura enim nomen erant sortiti. Vnde illud Plautinum est.

Nam noster nostra qui est magister curia.

Diuidere argenti dixit nummos in viros.

Fuisseque id sacerdotium Romæ honestum, vel ex vno Liuiο potest liquere. At extra Romam, vbi nullæ curiæ fuere, quonam modo essent curiones? Inquies fortasse, ab illa Romana consuetudine, etiam alibi Curiones pro sacerdotibus vsurpare. Hoc ostendendū à te est. Ego sacerdotes, flamines, ac flaminicas passim inuenio, curiones eo quo tu vis modo, nusquam. Quod si ego in studiis non satis profeci, abs te peto, vt quod rectius ipse nosti, amice impertias. Ad hæc, CVRIO, pro CVRIONE, extrema breuitatis causa, mutilata syllaba, non magis admitto, quam admitterem. Sermo in sexto casu, pro Sermone, facilius admissurus, si tantum CVR. scriptū esset. Insuper, LACON, sine dubio cognomen est, non nomen. Sacerdotem autem per cognomen tantum, atque id obscurum, prætermisso priori nomine, contra Romanorum consuetudinem notari ac describi: in templo quod ipsemet dedicasset, minus certe conuenit. Quare duabus illis dictionibus CVRIO LACONE, nomen & cognomen Igæditani illius significari non dubito. Quomodo igitur interpretamur, F. ET. DEDICAVIT, AMICO CVRIO LACONE, IGÆDITANO? Nēpe sic. Si minus placet subaudi præpositionem CVM, vt simul cum amico Curio Lacone Igæditano fecisse, & dedicasse intellegatur, certe AMICO adiectiuum nomen erit. non substantiuum.

AMICO, id est, fauente, iuuante, operante, Curio Lacone Igæditano. Quem admodum apud Horatium *Dives amico Hercule*, siue CVRIVS LACON flamen fuerit, quod non multum curo, siue faciendo pontis operi, atque erogandæ in operarios stipi præfectus, præcipue quū Igæditanus esset, quuius municipes in pontis effectione primi recensentur, siue carminum illorum auctor. Quod pronunciare non possum. atqui, si *Curius Lacon* præfectus operi faciundo fuit, fauore sane illius indigebat architectus, vt permetteretur iuxta publicum opus fanum exstruere, quod quidem non tam religione ductus, quam cupiditate sui nominis posteris commendandi faciebat. Et quoniam ea in re facile habuerat forte *Curium Laconem Igæditanum*, id testificari voluit, ac quasi gratiā reddere, facta nominis eius & patriæ mentione. Fuisse quoque *Igæditano* illi prænomen *Curius*, verum videtur ex multis marmoribus in ipsis Igæditani municipii ruinis, vbi Curiorum familia frequens fuisse inuenitur, vt ostendemus, Deo bene iuuante, in nostra Lusitania, quæ modo in incude versatur. De nominibus municipiorū in eodem ponte recensitis, quæ neoterici tradunt, tibi nequaquam probari, nihil miror. Sunt enim magna ex parte mera somnia, & diuinationes, prope dixerim, ebriæ. Sunt exempli causa hæc, Coloniam Scallabin, Præsidium Iulium cognominatam, modo esse Trogilliū, Norbam Cæsaream, Alcantaram, Iuliam Myrtilin, Vaenam. Et similia, quorum commemoratio non modo fastidium, sed indignationē etiam mouet, quando istorum natiuitas non in Hispania nostra sopiuntur; sed peruadunt. & in Italiam, & in Gallias, & vsq; ad Germanos: atque illic homines sane doctos, sed nimium credulos, in errores puerileis inducunt. Ego non omnia illa, quæ in ponte recensentur municipia, percognita habeo. Quæ vero pro compertis possum adserere, propediem vt spero, proditura expectato. Nam ea epistolaribus cancellis concludi non possunt.

Exquiris ecquam rationem possim reddere, adsumpti & continuati apud Gothorum reges in Hispania Flauii prænominis. Nullam certam, vt verum fatear. Sed si diuinationi locus esse vllus poterit, ego ita coniecto. Flauium prænomen, quod à Vespasianis incepit, reliqui Cæsares, qui vel sanguinis propinquitate ad illos pertinebant, vel eo se nomine gratiosos fore putabant, sunt prosequuti. Quemadmodum & M. Aurelii Antonini Pii, magna ambitione nomen per multos decucurrit. Quin & Traiani nomen Decius quoque adamauit. En tibi post multos annos. FL. Valerius Constantius. FL. Valerius Constantinus. FL. Valerius Seuerus. FL. Valerius Crispus. FL. Valerius Constantinus iunior. FL. Iulius Constantius. FL. Iulius Constans. FL. Nepotianus. FL. Claudius Iulianus. FL. Iulianus. FL. Valentinianus. FL. Valens. FL. Gratianus. FL. Valentinianus iunior. FL.

Theodosius. FL. Arcadius. FL. Maximus. FL. Eugenius. FL. Honorius. FL. Theodosius iunior. FL. Ioannes. FL. Placidius. FL. Marcianus. FL. Auitus. FL. Leo. FL. Maiorianus. FL. Vibiu. Seuerus. FL. Anthemius. FL. Olibrius. FL. Leo iunior. FL. Glicerius. FL. Zeno. FL. Nepos. FL. Basiliscus. FL. Augustulus. FL. Zeno Isauricus. FL. Anastasius. FL. Iustinus. FL. Iustinianus. FL. Iustinus iunior. FL. Mauricius. FL. Phocas. FL. Heraclius. Vides ambitiosam Cæsarum, & inter Cæsares tyrannorum aliquot Flauiorum turbam? vt longam imperatorum reliquorum orientalium, seriem, vsque ad Palæologos, vt Stiliconem, aliosque militiæ magistratos, vt Odouacrum tyrannum, vt Narsen eunuchum, vt Belisarium, vt consulum centurias, silentio præteream. Vnde ad Gothos in Hispania regnanteis id prænomen defluxit? Nam eorum maiores Flauii adpellati non sunt. Arbitraris tu, æmulatione imperatorum, quos non raro vicerant, eos ita voluisse nuncupari. Potest hoc esse. Quamquam ab hac sententia ista potissimum ratione discedo. Nam si æmulatione id fecissent, illi maxime fecissent, qui de Roma vrbe triumpharunt, quasi sic, Romanis insultarent, vt Alaricus, vt Ataulphus vel etiam Gizericus Vandalorum Rex, qui ex Africa veniens Romam est deprædatus. Quibus Flauium adiectum fuisse prænomē, nusquam quod equidem meminerim, adhuc legi. Quare non pessima coniectura existimarem, potius ex adfinitatibus, & iam consanguinitate, vel ex benevolentia & obseruantia erga Cæsares ipsos, conseruandæque amicitiz causa, adulatione quadam esse id factum. Nam quum Ataulphus Alarici propinquus Placidiam Theodosii filiam in vrbe direptione captam iugali sibi vinculo sociasset, vt tradunt Orosius & Iornandes, atque Alarico mortuo, in Gotthorum regnum successus esset, paulatim Placidiaz moribus lenitus, ad pacem se, & Romanorum amicitiam conuertit, Honorioque adfina gratificari studebat. Post quem, Regerico, qui subcesserat, suorum fraude intere. npto, Vallia quartus ab Alarico sequutus est. Qui non modo pacem cum Honorio confecit, sed sororem illi etiam viduam, honorifice semper habitam, remisit, & bella plurima, etiam contra gentileis suos, pro Romano gessit imperio. Testatur hoc Sidonius Apollinaris, in Anthemii Panægyri.

*simul & reminiscitur illud,
Quod Tarthesiacis auus huius Vallia terris
Vandalicas turmas, & iuncti Martis Alanos,
Stravit, & obciduam texere cadauera Calpen.*

Simili modo Theodericus Vesogothorum rex, vt eum Sidonius Apollinaris, & Iornandes adpellant, siue Theoderedus, si magis Roderico Toletano adfenzariis, pacem cum Valentiniano, quam prius fregerat, tandem confirmauit, & cum Aetio in campis Catalaunicis, pro Romanis, aduersus Attilam potentem Hunnorum regem fortissime pugnans, obcubuit. Iam Amalafuintha magni Theoderici Amali filia, per obitum Eutharici mariti Hispaniæ regis vidua relicta, suam viduitatem, & Athalarici filii pueritiam FL. Iustino imperatori, quasi in tutelam commendauit, eo quod pater Theodericus Athalarici auus è vita migrasset. De qua re latius postea. Athanagildus vero contra Agilam, siue Agilanem, vt Gregorio Turonensi placuit, auxilia ab imp. FL. Iustiniano petiit. Herminigildus insuper, vt ab Ariano patre se defenderet, ad Tiberii imperatoris parteis se transtulit. Quod Gregorius Turonensis libro quinto, sexto, & octauo, memoriæ tradidit. Notum etiam est. Stiliconem Gothum, nempe Vandalum, genere fuisse, vel Orosio attestante, cap. 38. lib. septimi. Is Flauii prænomen tum sibi, tum Eucherio filio indidit, videlicet, vt Cæsariibus per quos ad immodicam illam potentiam erat euectus gratificaretur, ac præcipue maiori Theodosio, qui ei Serenam adoptiuam filiam, ex Honorio fratre natâ, in matrimonium dederat. Quam rem, quia ad Hispaniam nostram pertinet, aliquanto perplexam, latius explicemus, Theodosius Hispanus, ex prouincia Bætica, ciuitate Italica, dux egregius Valentiniani comes, qui & in Britannia res magnas gesserat, & Africam à Firmi tyrannide Romano adseruerat imperio, vt vigesimo octauo, & vnde trigesimo lib. narrat Marcel- linus, duos habuit filios, Honorium & Theodosiū. Hunc Valens insanus ac superstitiosus imperator fecit interfici, vt testantur Hieronymus, Orosius & Iornandes. Causa fuit, vel inuidia, quod adserit Orosius, vel quod Valens temeraria curiositate quum de imperii subcessore magice esset scrutatus, siue ipse, vt Socrates in historia Tripertita narrat, siue Libanius rethor & Iamblichus Procli magister, vt scribit Zonaras, adcepissetque subcessurum eum, quuius nomen per quatuor has literas ineiperet, Th. e. o. d. interim fecit multos ex nobilibus. Theodoros, Theodotos, & Theodosios, inter quos etiam Theodosium hunc virum optime de imperio meritum. Eo interfecto, Theodosius filius iam

iam

nam tum nominatissimus. Nemp̄e qui sub Valentiniano Valentis fratre dux fuerat Mœsiæ, prima etiam tum lanugine iuuenis, princeps postea perspectissimus, vt Ammiani Marcell. in calce lib. vigesimi noni verbis vtar, periculi euadēdi causa, vel vt parium declinaret inuidiam, quod Theodoreto placet, in Hispaniam rediit, vbi & ortus fuerat & nutritus, ac cum fratre Honorio priuatam quietamque vitam ducebat. Honorio tres erant filiæ, Flaccilla, Thermania, & Serena. Et quidem Flaccillam, quam Theodoretus, & Zonaras Placillam vocant, Theodosius patruus adhuc priuatus, vxorem duxit, ex qua Arcadium genuit atque Honorium, fratris iam mortui nomine illi imposto. Horum adstipulator est in laudibus Serenæ Claudianus.

gestabat Honorius arcto

Te pater amplexu, quoties ad limina princeps

Theodosius, priuatus adhuc, fraterna veniret.

Oscula libabat, teque in sua tecta ferebat.

Et quum Honorium iuuenem Serenam ad loquentem inducit.

ô patrui germen, cui nominis, heres

Subcessi, sublime decus torrentis Iberi,

Stirpe soror, pietate parens.

Tandem Theodosius Theodosii comitis à Valente interempti filius non Honorii, vt falso existimauit siue Sex. Aurelius Victor, siue qui cum in epitomen redogit. Tandem inquam Theodosius à Gratiano vocatus, & apud Sirmium Pannoniæ ciuitatem imperator appellatus, quum se Bizantium contulisset, fratris Honorii filias Thermaniam & Serenam, vxoris Flaccillæ sorores, adduci fecit, atque adoptauit. Confirmat hoc Claudianus his verbis.

Defuncto genitore tuo, sublimis adoptat

Te patruus. & statim.

Addidit & proprio germana vocabula nato,

Quæque datur, fratris speciem sibi reddit adepti.

Denique quum rerum summas delectus habenas

Susciperet, non ante suis impendit amorem

Pignoribus, quam te pariter, fidamque sororem,

Litus ad Eoum terris adiret Iberis.


Adductas igitur atque adoptatas patruus Theodosius, principibus viris dedit coniuges. Nam Serena ætate iunior, Stiliconi nupsit, ex qua nati sunt Maria & Eucherius. Maria, Honorio Augusto Flaccillæ materteræ, & patrui Theodosii filio, in coniugium est tradita. Hoc ita Claudianus:

Adstitit, & blande Mariam Cythereia salutat.

Salue sideræ proles augusta Serena.

Ad tantam igitur potentiam Augustorum beneficio, & suis eo tempore meritis, euectus Stilico. Flauii prænomen adsumpsit. Atqui Theodosius comes, à Valente interemptus & Theodosius eius filius, postea imperator, & Honorius huius frater, cum filiis Flaccilla, Thermania, atque Serena, vt dixi, Hispani & in Hispania orti educatique erant: vt ostendit idem Claudianus in laudibus Serenæ, & in panægyri de quarto Honorii consulatu. Non ergo erit absõnum suspicari ex iis mansisse gentem in Hispaniâ, quuius connubiis permixti Gothi, Flauium prænomen non modo non adspernarentur, sed etiam ambirent, præsertim vigente adhuc in imperio Flauiorum, Theodosii vtriusque atque Honorii progenie, quorum consanguinitatem ad finitatem ve Hispaniæ reges præ se ferrent. Summo argumentum ex subscriptionibus tertii Toletani concilii, vbi inter proceres qui ex Ariana hæresi resipuerant, ita legitur. Flauius, vir inlustis subscripsi, & ex Theodosia Seueriani provincie Carthaginienſis ducis filia. Quod nomen non Gothicum est, sed in Romanum vsu sum ex Græcia translatum, atque adeo Theodosianam præfert originem, Theodosiæ vero hæc Seueriani filia, Leonigildi Regis vxor fuit, & mater Flauii Recaredi. Quin & Seuerianus ipse Theodosiæ pater, à Luca Tudensi, & Roderico Toletano, Magni Theoderici Amali filius fuisse adseritur. Quæ res vt facilius intellegatur, Theoderici subcessus, ex Iordanande in Gethicis, saltuatim ac summotenus percurram. *Theodemirus ex Amala stirpe Ostrogothorum, rex, Valemiri & Videmiri frater, quum in Pannonia regnaret, pacis obsidē filiū, Theodericū adhuc infantulū imperatori Leoni Cōstātinopolim misit. Quē imperator nutrirī fecit, & pueri elegātia, bonaque indole delectatus, carū habuit, atq; ad suos liberaliter donatū remisit. Vnde adcepto paterno regno, à Zenone est vocatus, & inter aula aug. proceres adscriptus. Deinde ab imp. in filiū adoptat⁹, & cōsul ordi-*

varius factus, equestri quoque statua honoratus. Demum Zenonis permisso & voluntate in Italiam venit, ut Romam ipsamque Italiam à Turcilingorum Rugorumque tyrannide liberaret, Zenone illi Senatam. P. Q. R. commendante. Dominus itaque Italia factus, & vestitus, & insignia sumpsit, quasi Romanorum Gothorumque rex. Missaque ad Clodoveum, vel potius Clodouichum, unde nobis Lodouici prodierunt, Francorum regem legatione, Audefledam illius filiam uxorem duxit, ex qua filiam Amalasuintham suscepit. Genuerat vero Theodericus in Mæsia filias duas, quarum alteram rerum in Italia potitus, ante quam ex Audefleda liberos suscepisset, Sigismundo Burgundionum regi, ut præter Iornandem Gregorius Turonensis confirmat, licet Gulielmus Paradinus non Sigismundo, Sed patri eius Gundebado adferat, alteram Alarico Vesogothorum regi in matrimonium dedit. Ex Alarico natus est Amalaricus. Cui parentibus orbatò, Theodericus auus Thio- 10 dem, nostri Theudem adpellant, tutorem in Hispania regno adsignauit. Sed sublato in adolescentia Amalarico, Thiodes regnum inuasit. Hæc ex Iornande. Addamus ex sancto pontifice Isidoro, Theodericum hunc in Hispania quoque regnasse annos 15. Quod ita intelligo. Alarici generi comperto obitu, descendisse eum in Hispaniã, ut Amalarico nepoti infantulo regnum stabiliret. Inde adulto iam puero, sub tutela Thiodis regno tradito, Romam reuersum. Addit Lucas Tudensis, illum in Hispania uxorem adcepisse, ex prima Hispanorum nobilitate, & forte ex Honoriiac Theodosii familia, quorum summa erat nobilitas. Ex qua uxore Seuerianum genuerit, Theodosiæ patrem, Hermenegildi & Recaredi auum. In tanta rerum felicitate Theodericus, semper imperatores per quos creuerat, est veneratus, & summa reuerentia coluit. Quare ipse quoque, ut pote à Fl. Leone nutritus, à Fl. Zenone adoptatus, 20 ordinarius consul, Romanorum denique & Italiæ factus Rex, in imperatorum gratiam, aliorum multorum more, Flauii prænomen non prætermisit. Quod eius nepos Amalaricus, & pronepotes Herminigildus & Reccaredus suo sibi iure vindicare potuerunt. Ex hætenus dictis, habeo unde Fl. Amalaricus. Fl. Herminigildus, Fl. Reccaredus dici potuerint, nimirum ille ab auo, hi à proauo mutuato prænomine, & probabili coniectura, quod ad Hermenegildum & Recaredum, per maternam lineam à Theodosiis Honoriove, origine deriuata. Redeo ad Theodericum. Is quum nosset in Hispania parte regnare Eutharicum Viterici filium, Beremundi nepotem, ex nobili Amalorum stirpe descendente, iuuenem impigrum, ac strenuum, ad se vocato, filiam Amalasuintham in matrimonium collocauit, & consulari dignitate honestatum, Fl. Eutharicum Amalum nuncupauit. Ex eo coniugio procreati sunt Athalaricus & Ma- 30 thasuintham. Eutharico defuncto, Theodericus Amalasuintham filiam, Athalaricum nepotem, & nepotem Mathasuintham ad se recepit. Et senio confectus, quum non diu se victurum intelligeret, ac prolem masculam non haberet, Gothorum conuocatis primatibus, Athalaricum nepotem, vix decimum ætatis annum tunc agentem, pro se regem constituit, Fl. Athalaricum Amalum adpellatum, mandans, ut Senatam P. Q. R. amaret, & orientalem principem studiose coleret. Quod Athalaricus, & Amalasuintham mater quamdiu fecerunt, per annos octo, & aliquanto plus, quiete regnarunt. Mathasuintham Vitiges tyrannide occupata, vel nolentem, sibi fecit coniugem, Sed à Belisario debellatus, una cum uxore ad Iustinianum perductus est, ubi sine liberis fato concessit. Mathasuintham autem vidua, Fl. Germano patricio, Iustiniani Augusti ex sorore nepoti, imperatoris iussu denupsit, peperitque, Fl. Germanum vocatum. Hæc ex Procopio, qui sub Belisario dace militauit. Et heinc quo- 40 que habeo unde meam alam atque stabiliam opinionem, ad finitibus & cognatione, Augustorum Gothorumque regias sibi inuicem fuisse obnoxias, Gothorumque in Hispania reges, ad decus & honorem suum pertinere prænomen illud existimasse. Absque hoc, quod ita gratiores se facerent Hispanis gentibus, quæ in Romanos iam pridem mores abierant. Adcipe iam Fl. Recaredi, de solo enim eo breuitatis causa loquar, cum gente Flauia cognationem, Recaredus Theodosiæ fuit, filius, Seueriani nepos, Fl. Theoderici Amali pronepos. Amalasuintham. Fl. Theoderici Amali filia Seueriani foror, magna Reccaredi amita fuit. Fl. Athalaricus & Mathasuintham. Fl. Theoderici Amali nepotes. Fl. Eutharici Amali & Amalasuinthæ filii, Theodosiæ Fl. Recaredi matris fuere amitini. Fl. Germanus iunior, Fl. Germani & Mathasuinthæ filius, Fl. Iustiniani ex sorore nepos, & Fl. Recaredus, 50 inuicem sobrini, ut Amalarici Fl. Theoderici Amali, ex naturali filia, quam Alarico Vesogothorum regi nupsisse supra diximus, nepotis consanguinitatem omittam.



20 Verum hoc quod hactenus disputavi, si parum procedit, age alia via, atque indagine, rem istam peruestigemus. Langobardi Germanica gens, à Narse eunucho, sed ducè non instrenuo, propter Augustæ Sophiæ acerbum dictum, animo ex iniuria exasperato, in Italiam sunt sedibus suis euocati. Quam ita obcuparunt, vt supra cc. annos tenuerint. Horum, post annorum decem sub variis ducibus interregnum, in Italia rex fuit Autharus, siue Autharis, Clephonis filius, vt scribit libro tertio Paulus diaconus. Matthias Palmerius Daphonis, filium dicit. Tanta est in barbaris hisce nominibus varietas apud auctores. Sed ego Paulo ex eadem Langobardorum gente oriundo magis adcedo. Sic igitur inter ea Autharus siue Autharis quuius velis filius. Hunc, inquit Paulus, etiam ob dignitatem, Flauium adpellauerunt. Quo prænomine omnes qui postea fuere Langobardorum reges feliciter vsi sunt. En tibi & Langobardos Flauii prænominis amatores, sumpto ab Autharè principio, per Fl. Mauricii imper. tempora, ob dignitatem prænominis ipsius, quo Augusti, Duces, Comites, & consules utebantur. Quid ni ergo, etiam ob dignitatem, Hispaniæ Reccaredus rex, qui tam propinqua sanguinis communione gentem Flauiam contingebat, id prænomen adsumeret, quod in posteros hæreditario iure transmitti posset? Sed ve reor ne de Flauio prænomine longa commentatione tibi fastidium attulerim. Quam tamen ideo protraxi diffusius, quia Rodericus Toletanus pontifex, rei alioqui per se non satis apertæ, magnas ex negligentia tenebras obduxit. Nunc ad alia.

Postulas à me, ecquid insigne memorandumve legerim, alterutrum Reccaredum in nostra vrbe fecisse. Nam si quid eiusmodi protulerim, omnem iam meam cum Kebedio, de Elboræ nomine concertationem dirempturum te polliceris. De neutro apud nos quidquam adhuc legi. Miraberis forte id. Verum ego nolo, vt concepta maiore quam pro re de nobis opinione decipiaris. Ego vir doctissime, per paucos rerum Hispanicarum scriptores habeo, perque parum iisdem rebus operæ impendi, vitæ instituto ad alia me studia necessario trahente. Quare si id quod à me petis, tu potius mihi potes suppeditare, per amicitiam te quæso, vt eius rei participem me facias. non quidem dirimendæ controuersiæ gratia, quam pro satis dirempta ego habeo, sed vt eorum quæ ad meæ vrbis historiam pertinent nescius ne sim. Sisebuti regis tempore argentariam officinam cudendæ monetæ in hac vrbe fuisse adparet. Quod colligo ex aliquot argenteis nummis, apud nos ab heinc annos decem repertis. In iis, altera ex parte ipsius regis effigies est, cum hac Inscriptione. D. N. SISEBVTVS REX. ex altera vero, signum crucis ab extremo in extremum decussatim pertingentis. atque hæ in medio literæ. CIVITAS EBORA. per circumitum vero, hæ. DEVS ADIVTOR MEVS. Turres quoque vastissimæ duæ Sisebuto adscribuntur, à Reccaredis gestum apud nos nihil scimus.

Nec felicior ad respondendum sum de Acosta siue rege siue tyranno, percontanti. Quem an in mundo natus sit, haud quaquam adhuc scio. De Emeritensi concilio. respondebo expeditius. Titulus hic est, totidem iisdemq; verbis. In nomine patris, & filii, & spiritus sancti. Synodum quod gestum est in prouincia Lusitaniæ, apud vrbem Emeritensem, quæ caput eius dignoscitur esse, duodecim episcopis in vnū conlectis, die octauo iduum Nouembrium, anno 18. Serenissimi & piissimi Reccesuinthi regis, Era. DCCIV.

Sunt vero concilii capita viginti tria. Quæ quia diffusiora sunt, quam ut inferi heic possint, prætermitto, integrum consilium cum mea Lusitania, fauente numine, publicaturus.

Legi cum voluptate prisca oppidorum nomina, in antiquis nummis, ut adferis, inscripta, vellemque distinctius ista intelligere. præcipue quid sibi velit, EBORA, CLARITAS IULIA. Nam si ad nostram urbem referri id autumes, ea non Claritas Iulia, sed Liberalitas Iulia cognominatur, Plinio referente, & vetustis marmoribus palam attestantibus. Attubi, Astigitani conuentus oppidum, Claritatis Iuliæ cognomen habuisse, ex Plinio didici. Nec aliud eodem cognomine vsquam in Hispania legi. Oro ergo te, ut denuo ipsum nummum, vel mea causa, inspicias, & exacta diligentia inscriptionem recognoscas. Aduerte fatui palati mei fastidium. Gothorum regum numismata, non raro apud nos in veteribus ruinis reperiuntur. Quæ aliquando ad me adlata, propter barbaram litterarum distortionem, non magni hæcenus pendebam, quum tamē ab Romanis illis seculis, nummationem non mediocrem sedulo compararim. Eius me modo stultitiæ sero pœnitet. Tuam in congregandis antiquis inscriptionibus diligentiam, merito laudo. Nec opus esse arbitror, admonere te virum talem, ut non facile alienæ fidei credas, nisi tu te lapidem inspexeris. Multa enim adferri solent cōmentitia. Multa quoq; parū fideliter exscripta. Quod finxit, quisquis fuit, Cyriacus Anconitanus, dum antiquarii famā etiā ab eumentis, aucupabatur? Quā perperā pleraque, ut omittam ficta, non solum Petrus Apianus, & amicus meus Amantius, in libro cui, Inscriptiones sacrosanctæ vetustatis, nomen fecerunt, & ii qui Germanicas & Austriacas ediderunt antiquitates, sed qui Romanas etiam atque Italicas? Eruditium non vulgari-²⁰ ter, & prope ad superstitionem vsque religiosum oportet esse, eum qui vetusta monumenta describit. Adfecit me stupore Complutensium, pro receptis postliminio sanctorum martyrum Iusti & Pastoris reliquiis, simul publica hilaritas, simul profusa magnificentia. Ego nondum annos decem & treis excefferam, quum istheic, curante matre, nam patre orbatus pridem eram, Antonio Nebrißensi præceptori operam dedi. Sed coorto inter funebria iusta, quæ Cardinali academix patrono, per eos dies mortalitatem exuto, solvebantur, nescio quo inter municipes & scholasticos tumultu, abductus inde sum. Ea tempestate, neque tam validum, neque tanta opulentia oppidum esse videbatur. Verum ereuit academia, magistris semper eruditissimis florens, eoque confluxere lectissimi adolescentēs, summorum hominum liberi. Quo effectum est, ut nulli urbium Complutum³⁰ iam cedat. Sed ego videor tam magnifici adparatus quasi choragum, & instinctorem internoscere. Quæ de inscriptione templi eorum martyrum ab Alphonso Chiaconio ex me mutuata dicis, nihil miri est parum te explicare adcepisse. Nam ille, ut est earum rerum audus, biduo quod apud me fuit, dum schediæzein festinat, me neque urgente, neque ad sumendum quæ vellet horas præscribente, multa arbitrio suo conferfit, congeffitque potius, quam digessit. Rem si explanatius scire desideras, sic accipe.

Exarrama fluuius a nostræ urbis suburbanis, ac pæne ex pomerio primo tenuiter ortus, deinde emendicatis fluentis auctus, & mixtus Calipodi validiori flumini, in sinum Salacientem iam nauigiorum capax ingreditur. Iuxta fluminis huius ripam, antequam Calipodi misceatur, paulo infra Terranum oppidum, fanum olim fuit, Ioui sacrum. vbi cippi a-⁴⁰ liquot scripti etiam dum perdurant. id fanum inualescente Christiana pietate dirutum, & postea resectum, in sanctorum martyrum templum est commutatum. Nec veteres cippos pii homines aboleuerunt, sed addiderunt titulum huiuscemodi, quem cum suis solœcismis adponam. Petoque abs te, ut litteris supra titulum mutuo inter se complicatis, pauxillum operæ impendas. Ego enim extricare atque enodare minime potui.

† HVNC DENIQUE EDIFICIUM SANCTORVM
NOMINE CEPTVM, IUSTI ET PASTORIS MAR-
TIRVM QVORVM CONSTAT ESSE SACRA-
TVM CONSUMMATVM EST OC OPVS. ERA.
DCCXX.

Postremo scire expetis probemne tuam in peruestigandis urbium antiquitatibus rationem, capta ab iis quæ de Compluto fecisti coniectura. Si ad hoc exemplum urbeis cæteras prosequare, probō & quidem valde. Hoc enim est antiquitatem ab interitu vindicare, atque efficere, denuo ut iuuenescat. Non autem frigidissimis etymologiis, & male factis fabulis ariolari. Tu meam similiter rationem ex iis quæ pro Pacensi colonia disputaui, potes animaduerrere. Sermocinandi tecum desiderio, in loquacitatis vitium credo vix sentiens incurri. Sed ita restulit, ut alias in scribendo breuitatis amator, euitare nequie-
rim prolixitatem. Vincentium meum, quem desiderare te ais, mitto, & epistolam quam
Philipppo

Philippo clarissimo regi, per hos dies, à sacris Cineribus, scripsi. Carmen quo regi nostro ætate quidem tunc puero, verum indole excellēti non puero, permissam regni gubernationem sum gratulatus, vna mitto. Quod suppressi hæcenus, contentus soli regi animū meum significasse. Nunc partim importunis amicorum postulationibus, partim quia tibi, quantū ex te intelligo, poetices amator, gratum fore exestimo, edendum curavi.

A Kebedio, quem è vita decessisse ægerrime tuli, postularam Iuliani Pomerii, & Isidori Pacensis scripta, si in Toletanæ ecelesie bibliotheca forte reperirētur. Hæc eadem, quæ apud te maiori eruditione hominem, diligentem historiarum scriptorem, veterumque librorum supellectile instructiorem, reperiri non ambigo, forsitan inuerecunde, sed tamen enixissime peto. Vale, & quem ingenii tui bonitate amare cœpisti, eadem vicissitudine iam addictum, amare perge. Eboræ, 14. Kalend. April. M. D. LXX.

IO. ANTONII VIPERANI

DE OBTEŃTA PORTVGALIA

A REGE CATHOLICO PHILIPPO
HISTORIA.

SERENISS.™ PRINCIPĪ

Alberto S. R. E. Card. Legato.

ARCHIDVCI AVSTRIÆ, AC PRO

REGE PHILIPPO IN PORTVGALIÆ

regnis Gubernatori

IO. ANTONIVS VIPERANVS.



HISTORIAM Serenissime ALBERTE, quam de obtenta Portugalia à Rege Catholico Philippo, auunculo tuo, scripsi, quod res nouas, & varias contineat, bellicas & ciuiles, ac graues & inopinos rerū euentus, non solum profuturam, sed etiam satis delectaturam putauī. Continet enim miserabilem Portugalsium regis Sebastiani necem in Mauritania cum duorum regum Maurorum interitu; & Henrici S. R. E. Cardinalis, qui post Sebastianum in Portugalia regnauit, ad declarandum successorem suum acta; tum eorum iura, qui in petitione regni concurrerunt; deinde quorundam Portugalsium motus contra Regem Catholicum Philippum, cuius in Portugaliā ius optimum esse iudicabatur; postremo victum profugatumq; Antonium, quem aliquot Portugalses Philippi aduersarii regem creauerāt.

Nec de huius historiae fide quicquam dubitandum cuiquam est. quæ ita vere narrat omnia, ut nihil in ea falsum fictumq; sit omnium sententia, qui rebus ipsis interfuerunt. Debetur autem Serenissime Alberte tuo nomini huius historiae dedicatio vel ob hanc maxime causam, quod pro rege Philippo auunculo tuo ipsam Portugaliā summa cum prudentia & aq̄itate regis, auunculo pariter et Portugalsibus charus: atq; ipsam expectationem supera, quam de tuo ingenio, & virtute conceperamus.

Sed & mea fama consultum bene fuerit, si mei patrociniū pro tua benignitate susceperis.

IO. ANTONII VIPERANI
DE OBTEŃTA PORTVGALIA
A REGE CATHOLICO PHILIPPO
HISTORIA.



*Ana Gulgo
Guadiana.*

*Calis hodie Por-
tuga.*

PORTVGALIA est in extrema Hispania, quæ in Occiden-
tem vergit, ac magnam Lusitaniam partem continet, quæ est
10 tertia pars totius Hispaniæ. Nam Hispania omnis in tres di-
uisa est partes: quarum vnam Bæticam, alteram Tarraco-
nensem, tertiam Lusitaniam appellarunt. Quæ quidem à
Tarraconensi, qua parte ad Septentriones erigitur, flumine
Durio; à Bætica flumine Ana diuiditur, qua spectat in Ori-
entem; cæterum ab occasu Solis & meridie Oceano cingi-
tur. Est autem (vt Lusitanarum rerum scriptores prodide-
runt) à portu oppidi Calis sic appellata Portugalia, quod M.
circiter & D. pass. à litore distat, & Durio imminet, vbi in O-
ceanum influit. quippe ab eius portus celebritate ex frequen-
20 tia mercatorum vndiq; commeantium quod erat vnus loci proprium nomen in vniuer-
sum regnum deriuatum est. Vnde idem regnum modo Portugalia, modo Lusitania no-
minatur. Hæc Gregorio XIII. Pont. Max. sub rege Sebastiano huius nominis primo, reli-
qua Hispania sub rege Catholico Philippo II. erat, Caroli V. Imp. F. Sed in prælio à Mauris
interfecto Sebastiano, & Henrico S. R. E. Cardinale, qui post Sebastianum regnum obti-
nuit, vita functo, ad regem Philippum propinquitatis iure peruenit. Verum operæ pretium
est prius Sebastiani interitum, & Henrici acta breuiter enarrare, quam explicem quo mo-
do rex Philippus Portugalam adeptus sit. Sebastianus iuuenis natura ferox, magna vi cor-
poris, audax imperii (quam cupiditatem præceptorum cohortationes, & assentatorum
blanditiæ magis ac magis accenderant) ardebat animo vel in Indiam nauigare. vel in Afri-
30 cam se traicere, vt nationes à Christianorum moribus & institutis alienas suæ ditioni subi-
geret. quibus in regionibus olim multæ vrbes à Portugalensibus parua manu, magna cum
gloria captæ, & imperio Portugalensi adiunctæ sunt. Ac primo in Mauritaniam Tingitanã
cum paucis transmisit, vt regionem, ac loca, & oppidorum situs perspiceret: nec multo post
deinde à Mahomethe Marrochensium & Fessensium rege contra patrum suum Molu-
chum, à quo regnis spoliatus fuerat, rogatus auxilium ad bellum Mauritanicum toto pe-
ctore incubuit: ac contra Mahomethis sententiam & voluntatem arma contra Moluchum
suscepit. Nam Mahomethes tantum auxilia contra Moluchum petebat, & ne cum exerci-
tu in Mauritaniam transfret, enixe regem Sebastianum orabat, vt ne quid Mauri de eius ad-
uentu suspicarentur, quod non ad ferendum auxilium, sed ad occupandam Mauritaniam
40 veniret. qua Maurorum animis iniecta suspicione (porro facile credimus quæ timemus)
nec qui secum essent, contra Moluchum pugnarēt; nec qui cum Molucho, ad se vnquam transfu-
gerent. Spem vero recuperandorum regnorum se non solum ab his, qui secum erant, sed etiam
ab illis, qui Moluchum sequebatur, accepisse: quod ad se transfugere constituisset, si de-
fendendi sui vires aliquas habuisset. At Sebastianus bellum ipsemet contra Moluchum pro
Mahomethe gerere voluit, ratus occasionem occupandi vniuersam Mauritaniam sibi tunc
diuinitus oblatam: è qua Turcam excluderet, & religionem Christianam inferret, ac sibi
Marrochensium Imperatoris nomen acquireret. Nec multa disputatione res in Portuga-
lensium concilio agitata est, licet longa disputatione indigeret. quippe cum eius volunta-
tem obstinatam viderent, maxima pars idem velle cum rege, ac sentire simulauit; pauci,
50 quos regis, regnique charitas mouebat, bellum dissuasere: quod non parum metuendum
esset de Maurorum vana fide, de regis Sebastiani iuuenili furore, de regni orbitate, si quis
aduersus casus regi eueniret. Atque etiam rex Philippus ipsius Sebastiani auunculus, cui
vnam è duabus suis filiabus in matrimonium dare cogitabat, ad ædem S. Mariæ ad Aquas
Lupias in Castella: vbi reges ambo conuenerat, vt de multis inter se rebus differerent, plu-
rimis rationibus illius animum ab hoc bello retrahere conatus est. Monebat ne bellum te-
mere susciperet, quod est consilio, non casu gerendum; neue infidis fidem vllam haberet.
Mauros ingenio esse mobili & infido, quibus pulchrum est fallere, præsertim Christianos,
quos acerbè & penitus odere: non iurisiurandi religione tangi, non beneficiorum & ami-
citiæ

*Aqua Lupia
Gulgo Guada-
lupa.*

iticę memoria moueri, ſemper cum fortuna fidem murare. eundę, quem nunc amicũ pu-
 tat, mox ſibi hoſtem futurum: bellumq; totum poſtremo in ſe vnum conuerſum iri. Repu-
 tarer animo ſibi cum paucis contra innumerabiles copias in alienis ſedibus ſuo cum peri-
 culo pro alterius cõmodis pugnãdũ. Ne fortunã tentaret, & in diſcimẽ ſe, remq; ſuã incõ-
 ſulte cõiiceret: Euentus quidẽ belli incertos eſſe, ſed raro voluntatib. hominũ reſpondere.
 Quod ſi tandem in Mauritania bellum facere deſtinaret, Larachem expugnandam cura-
 ret, maritimum, & ad res multas oportunum oppidum: vnde piratas Mauros & Turcas e-
 iiceret, atque in Hispanias Afris tranſitum præcideret. ſe ad hoc bellum ei cum L. tri-
 remibus V. millia veteranorum militum Hispanorum miſſurũ. Nec vero tamen ipſe bel-
 lo intereſſet, ſed alicui ſtrenuo, & rei militaris ſcienti duci adminiſtrandum committeret:
 ipſe ſuo in regno remaneret, iuuenis, relictus vnicus regni hæres, necdum vlla ſuſcepta
 ſobole, nec ducta vxore. Iiſdem quoque rationibus alii regis Philippi aulae primarii, quos
 interdum Rex ſubmittebat, vt idem confirmarent, ab huius belli cura Sebaſtianum reuo-
 care moliti ſunt. At fruſtra omnis oratio. Nam quamuis diceret ſe Larachem tantum ar-
 mis oppugnaturum, tamen ſemper animo bellum contra Moluchum agitabat, vt aliqua
 illuſtri victoria ſe, nomenq; ſuum nobilitaret. Sed neque Henricus S. R. E. Cardinalis,
 patris patruus, neque regina Catharina auia monendo, ac rogando ne bellum ſumeret in-
 dignum ſe, neque neceſſarium, & importunum, iuuenis, ſine prole, ac belli neruis, quic-
 quam eius animum flexere: qui non tantum Mauritaniã, ſed vniuerſam Africã cogi-
 tatione inuaſerat: & cui ab aſſentatoribus perſuaſum erat neminem poſſe armorum Por-
 tugaleniũ impetum ſuſtinere, cæcus ad optatum bellum rapiebatur. Augebatq; ſpiri-
 tus Arzilla oppidum in Mauritania illi Moluchi odio ab Abdelcherino præfecto traditum.
 Ergo totus deinceps animo & opibus huic bello inſiſtens, naues inſtrui, nautas & guber-
 natores conquiri, milites ſcribi, exercitum cogi, arma, tela, tormenta, & quæ ad bellum
 vſui forent comparari iuſſit. Omnis nobilitas cum armis & equis regi præſto fuit. quan-
 doquidem Portugaleniſes fideliter & amanter ſuum regem colunt. M. D. equites, pedi-
 tes ad xv. M. coacti ſunt: ſed eorum maxima pars rudis & iners. Classis maiorum nauium
 onerariarum LX. triremium VII. præter alia diuerſorum generum minora nauigia nume-
 ro fere D C C C. Igitur rebus omnibus ad profectionem comparatis anno M. D.
 LXXVIII. ix. Kal. Iulii Olyſſipone ſoluit, ac Gadeſtenuit. vbi a ſapientioribus viris
 tandem ſibi perſuaderi ſiuit Larachem ſolum petere, non alio exercitum dũcere. Dein-
 de hac mente hinc recta in Mauritaniã traiecit, atque ad oppidum Tingim, quod
 in Portugaleniſum poteſtate eſt, claſſem applicuit. quo in loco Mahomethes cum
 paucis Mauris illi præſtolabatur: ac ſecundam nauigationem gratulatus eſt, & de al-
 latis auxiliis gratias egit; ſed rationem iuuandi ſe contra Moluchum reprehendit. Negabat
 enim regem ipſum in Mauritaniã venire oportuiſſe, quod eius præſentia ſuorum bel-
 landi ſtudio reſtrictura, & aliorum a ſe animos alienatura eſſet. quoniam Mauris o-
 mnibus a Chriſtianiſtis metus eſt, ne tandem ſocietatis ſpecie decepti hoſtile aliquid pa-
 tiantur. Quamobrem tantum vt aliqua ſibi contra Moluchum auxilia daret poſtu-
 lauit. Cui rex Sebaſtianus reſpondit ſe nihil niſi de conſiderato & explorato conſilio fe-
 ciſſe, atque facturum. Tum Mauris militibus Mahomethis iuſſis terreſtri itinere Arzil-
 lam ire (quod oppidum ab Abdelcherino regi Sebaſtiano traditum ſupra memorauimus) ipſi
 reges occidentalem Africæ oram legentes eodem claſſem appulerunt. At Moluchus, qui
 ingentem equitum & peditum numerum comparauerat, profectionem Marocho mon-
 tes, quos Sus vocant, circumierat, præſidia certis locis diſpoſuerat, quos ad defectionem
 ſpectare cognouerat, punierat, dubios confirmauerat, ac demum in Taſmena loco plano,
 & opportuno haud longe ab Alcaſſare quibirio caſtra fecerat, poſt nunciatum ſibi regis Se-
 baſtiani aduentũ, & claſſis ad Arzillæ litus appulſum, Agmethem fratrem cum III. M. e-
 quitum & II. M. peditum Arzillam verſus miſit hoſtium conſilia exploratum. Verum Se-
 baſtianus poſtquam Arzillam nauibus attingit, XX. M. paſſ. ab Arzilla Larachem terra pe-
 tere conſtituit. Itaque milites, arma, tela, tormenta in terram exponi, ac militibus in dies
 viii. cibaria diſtribui, & claſſis præfectum Larachem ad nauigare iuſſit. Ergo Arzilla pro-
 fiſcuntur, atque iter ad flumen Almechazem XXVII. M. paſſ. hinc dirigunt: quo
 tranſito Larachem ſpectant. Quam rem Moluchus ex tranſugis & ſpeculatoribus co-
 gnoscens, lætus caſtra contra hoſtem mouit: atque ad Alcaſſarem quibirium conſedit. At
 Mahomethes quem in via certiore perſugæ faciunt de maximo hoſtium numero, & de
 Moluchi mortifero morbo ex dato (vt ſuſpicio erat) veneno, Sebaſtianum vehementer o-
 rat atque obſecrat, ne longius progrediatur, quoad certum de Moluchi valetudine nun-
 tium accipiant: cui grauiffime ægrotanti mors inſtare creditur. poſt eius mortem Mauri-

Larache o-
lim liza.Arzilla o-
lim Arilla.Gades Gadeſ
go Caliz.Tingim Gadeſ
go Tangor.

tanæ principes ad se illico transituros. Sic bellum ex voto sine prælio & vulnere confectum iri. Sed rerum necessariorum penuria & Sebastiani feruor animi nullam moram sustinent. Iam ad flumen Almechazem peruenerant, quod per apertum campum Alcaffaris quibirii fluit X. M. pass. hinc Alcaffare quibirio: nec toto itinere Maurus ullus vsquam uisus fuerat. quæ res prudentioribus uiris à callido & potente hoste metum iniecit: quod fluminis transitum Christianis liberum reliquisset, ut post transitum sese illis in patente campo cum maximis copiis ostenderet, atque ad necessarium certamen pertraheret. Nec res aliter euenit. Nam ut Sebastianus flumen transmisit, & in planiciem euasit, ac III. m. pass. à flumine progressus est, hostes undique aduolare conspecti sunt. quorum aspectus rerum bellicarum insolitos non mediocri metu affecit. Et quamuis pugnae conditio iniqua esset in patente omni ex parte campo paucos pedites cum magna equitum multitudine congregari, tamen cibiorum inopia, quæ iam consumpta erant, & hostium propinquitas, quæ nullum facilem Portugalensibus receptum dabat, ad pugnandum eos cogebat. Atque etiam Sebastianus turpe existimans detrectare certamen, aciem instrui, & in hostem dirigi iussit. Et Moluchus propius accedens acie in orbem medium instructa, è lectica qua decubens uehebatur, in equum imponi se voluit, ut hostilem exercitum cerneret. quem procul à flumine in lata planitie conspiciens, conuersis ad suos oculis, Vicistis, inquit, plures contra pauciores, loco etiam vobis æquiore pugnabit. Nolite pati tam præclaram victoriam vobis è manibus elabi. Signum igitur pugnae vtrinque datur: ac primo congressu pulsus Maurus: sed mox omnis equitum & peditum à tergo & lateribus circumfusa multitudo exercitum Portugalensem breui undique circumuenit, permultos cecidit: reliquos victos cepit, suorum paucis desideratis pridie Non. Augusti. Ipsos quoque reges alium alius casus oppressit. Sebastianus in acie fortiter dimicando mortem occubuit: Mahometes in fuga errore vadi mergens in flumen Almechazem interiit: Moluchum in ipso pugnae initio in lectica morbus extinxit. quorum calamitatem ardens cometa prænuuciauerat. Sic Portugalensium regis Sebastiani iuuenilis ardor ex inscientia & audacia miserabile casum inuenit. qui alioquin si ingentem illum suum spiritum doctrina & ratione rexisset, ob egregias animi corporisque dotes profecto vir amplissimus ac clarissimus euasisset. Ad huius cladis nuncium magnus mœror vniuersam Portugaliã inuasit. Dolebant regis necem, regni vires afflictas, nobilitatem amissam, Lusitanæ virtutis gloriam nescio quid obscuratam. Cognitumque est sapienter & vere dictum esse, Væ regno, cuius rex puer est. Post regis Sebastiani interitum Henricus S. R. E. Cardinalis, quod solus de virili Portugalensium regum legitima sobole superesset, communi omnium ordinum consensu regni gubernacula prehendit. Tunc Rex Catholicus Philippus II. in Portugaliã legauit Christophorum Moram nobilem Olyssiponensem, domesticum suum, cuius fidei & prudentiæ fidebat, ut regem Henricum, & Portugalensium primarios de suo in Portugaliæ regnum post ipsius Henrici mortem iure doceret: quoniam filius sororis Henrici natu maximæ, ac mas esset, atque omnes qui ius aliquod in idem regnum haberent, ætate præiret. Quam legationem Christophorus egregie obiit. Cum autem Henricus infirma valetudine, & ætate proæctum se videret, veritus ne si vita decederet non declarato suo successore, variæ nobilium dissensiones, & graues populi motus fierent, hanc cogitationem suscepit, ut eorum, qui ius aliquod in Portugaliæ regnum habere censerentur, rationes dispiceret: atque illum deinde renunciaret Portugalensium regem, ad quem regni successionem iure pertinere cognouerit. Ac grauiter tulit, quod Antonius Ludouici fratris sui filius spurius, natus ex concubina obscuris orta parentibus, iudæis, vilium rerum venditoribus, nuper ad Ecclesiam Christianam admissis, atque olim in sacrum Ecclesiæ Diaconorum ordinem receptus, postea miles Hierosolymitanus factus, quanquam à Pontifice maximo his legibus, quæ spurium initiari, & initiatum fieri militem vetant, absolutus, regnum petere auderet, asserens matris suæ nuptias legitimas fuisse. Diuque dubius fuit vtrum illi iudicium concederet, an non. Nam actionem dare, quam leges adimunt prohibentes spurios in regni hæreditatem vocari, istud erat plures lites serere: at si non dedisset, quia maxime popularis esset, timebat ne multa misceret atque turbaret. Tandem ad dandam illi actionem inclinauit, atque in iudicium admittendum duxit, è quo plane excludendum intelligebat, quoniam facile spurium esse conuinceretur: ut male exiens iniquitatem suæ causæ doleret, non alterius iniuriam quereretur: & illius fautores in errorem inductos se esse perciperent; sibi autem deinceps iure liceret & Antonii, & studiosorum eius insolentiam & contumaciam vindicare. Ac Gregorium XIII. Pontificem maximum rogauit, ut causam de nuptiis matris Antonii, cuius iudicium ad sedem Apostolicam spectaret, in Portugalia agi fieret, atque iis iudiciis, quos ipsemet Pontifex voluisset, iudicandam permitteret: quia plurimum

plurimum interesset ad eommunem Portugaliz tranquillitatē mature, qui post se regnet, ante suum obitum declarari; cum senex, & valetudinarius sit, multaq; à factiosis hominib. contra Rempub. struantur. nec vero ante cognitam causam de nuptiis matris Antonii regem denunciandum. Cui postulationi Pontifex benigne concessit: ipsumq; Henricum causz iudicem pzeposuit. Henricus igitur de regni successione iudicium constituit, & eos, qui actionem aliquam petendi regnum habere putabantur, citauit, vt ad statum diem adessent; ac pro se quisq; experiretur. nominatimq; citauit regem Catholicū Philippum, Emanuelem Philibertum Ducem Allobrogum, Catharinam Ioannis Ducis Brigantini vxorem, Rainutium Farnesium filium Mariæ sororis Catharinæ, & Antonium Ludouici fratris sui filium. Sed istorum inter se, & cum rege Henrico affinitatum vincula explicanda sunt, quo cuncta melius cognoscantur. Portugalensium rex Emanuel, cuius egregia virtus fuit, & nomen toto orbe terrarum illustre, ex Maria Ferdinandi Aragonensium Regis & Isabellæ Castellanorum reginz coniugum filia IX. liberos suscepit, Ioannē, Isabellam, Beatricem, Ludouicum, Ferdinādum, Alfonsum, Henricum, Odoardum, Antonium. Ioannes omnium primus post patrem regnauit huius nominis tertius: atq; ex Catharina Caroli V. Imp. sorore filium habuit nomine Ioannem. Is viuo patre obiit, arque vnicum filium Sebastianum ex Ioanna Caroli V. Imp. filia reliquit. quem iuuenem à Mauris interfectum in przlio supra demonstrauimus. Isabella Carolo V. Imp. nupsit: cuius satū editus est rex Philippus. Beatrix coniuncta in matrimonio Carolo Philiberto Duci Allobrogum Emanuelem genuit. Ludouicus ex concubina Antonium procreauit. Ex Odoardo Maria, quæ Alexandro Farnesio Octauij Ducis Parmensis F. nupta Rainutium peperit, & Catharina ducis Brigantini vxor nata est. Ferdinandus sine liberis obiit: Antonius migravit infans è vita: Alfonsus & Henricus in S. R. E. Cardinalium collegium cooptati sacris initiati sunt; sed alter è vita excesserat, alter solus è filiis regis Emanuelis superstes in regis Sebastiani demortui locum successit. Quapropter cum Henrico deuincti cognationib. & affinitatib. erant rex Catholicus Philippus ex Isabella, Emanuel Philibertus ex Beatrice, Antonius ex Ludouico, Rainutius ex Maria Odoardi filia, Catharina ex eodē Odoardo prognata: quorum parentes iam hanc vitam deseruerant, ipsi in petitione regni concurrerunt. Dux Brigantinus & Antonius ante regem Henricum Olyssipone omnium Portugalensium vrbium principe in iudicio adfuerunt, alter Catharinæ vxoris suæ ius defendens, alter suam per se ipse causam agens. At Rainutius Farnesius Ferdinandum Farnesium Episcopum Parmensem pro se cognitorem allegauit. Emanuel Philibertus licet Regis Philippi ius suo melius esse sciret, tamen quia ius suum cæterorum iurib. potius esse intelligebat, vt de successione quæstio omni ex parte ageretur, atq; omnis dubitandi ratio tolleretur, Carolum à Ruuere iuris sui vicarium misit. Rex Philippus Petrum Gyronium Ducem Osunæ potentem & honoratum principem legauit cum Christophoro Mora (quem etiam ante solum statim post regis Sebastiani mortem legauerat) duobusq; delectis iuris peritis Roderico Vaschio ab Arce & Ludouico Molina. Interim quoq; rex Henricus totius regni concilium conuocauit: in quo ordinibus edixit, quoniam de successione in Regnum controversia longiorem disceptationem postulareret, ipse vero grandis natu, & ægra valetudine esset, vt IX. ex omnibus nobiles viros legerent in Lusitanis prudentia & dignitate præstantes: è quibus ipse V. seligeret; qui, si diem obire sibi contigisset ante litem regni diiudicatam, ipsi regnum communi consilio & authoritate gubernarēt, donec iudicatum de successione esset. Insuper XXIV. iuris peritorum delectum haberent doctrina & probitate excellentium, è quorum numero ipse XI. exciperet, qui de regni successione cognoscerent, ac iudicarent: eorumq; sententiis cui regnum adiudicatum foret, traderetur. Gubernatorum vero & iudicum nomina secreta dum viueret apud se habiturum, ne cui fas sit corruptelam aliquam iudicii moliri. Præterea voluit omnes ordines, & Ducem Brigantinum pro Catharina vxore, & Antonium iurare gubernatorum ac iudicum sententiis & decretis se plane semper obtemperaturos. Quæ Portugalensibus non ingrata fuere; quod sperarent hac via regnum non nisi alicui Portugali principi adiudicatum iri: quamuis aliqui nullam omnino rationem externorum haberi maluissent. Igitur causa agitur: & quisque ius defendit, cuius est cognitor. At vero Catharina Henrici III. Gallorum regis mater etsi ad idem iudicium vocata non fuerat, tamen Vrbanum à sancto Gelasio Episcopum Comingensem misit, qui Portugalensium regi ius exponeret, quod ipsa in Portugaliæ regnum haberet. Referebat Alfonsum huius nominis tertium Portugalensium Regem, fratrem Sancii, cui Carpeli cognomen fuit, antequam Regnum obrinuisset, habuisse in Gallia vxorem Matildam, ex eaq; filium suscepisse Rodulfum dominum Bononiz in Gallia oppidi: deinde post obitum regnum vxorem duxisse Beatricem filiam Alfonsi XI.

Osuna nonnullis Asturina.

Bononia olim Gessoriach.

Regis Castellæ, atque ex ea Dionysium genuisse. Quare Portugaliam ad Rodulfum ex
 priore coniugio natum obuenire debuisse, non ad Dionysium ex vxore secunda procrea-
 tum: eademq; ratione ad Rodulfi potius, quam ad Dionysii nepotes pertinere. Reginam
 Catharinam à Rodulfi nepotibus maternum genus ducere. Qua oratione non modo re-
 gnum pōsebat, verum etiam ipsum Regem Henricum, & quotquot ab Alfonso Reges fu-
 ere, male captæ Portugaliz hereditatis accusabat. Vnde quoniam par non erat stultam le-
 gationem censere, à quibusdā existimatū est Episcopum Comingensem specie quidem pe-
 tendæ Portugaliz hereditatis, sed re vera missum, vt cum Portugalensibus secreto aliquid
 contra Regem Philippum ageret. quem Galli, qui cum Hispanis continuas similitates ex-
 ercent, videbant omnium Christianorum Regum, quotquot vnquam fuere, ex Portuga-
 liæ possessione potentissimum fore. Quod Catharinæ ius, quia nullum omnino erat, quo-
 niam ex rerum Portugalensium, Gallicarum, & Belgicarum monumentis constaret. Al-
 fonsum nullos ex Matilda liberos suscepisse; & Robertum, qui post obitum Matildæ Co-
 mitatum Bononiæ obtinuit, non ex Matilda, sed ex Matildæ sorore Alida Claramontis &
 Aruerniæ Comitissæ vxore natum fuisse, ab omnibus neglectum est: mens tamen, & volun-
 tas à quibusdam probata. Et Antonius iussus matris suæ nuptias legitimas ostendere quat-
 tuor testes dedit, duos è nouis, materteram inquam suam, & materteræ maritum, duos è ve-
 teribus Christianis ortos; quos subornauerat, vt rogati de matris suæ nuptiis dicerent legi-
 timas fuisse, seq; ipsis interfuisse. Qui ortum è veteribus Christianis ducunt, conscientia
 conuicti fassi sunt se quidem ab Antonio instructos fuisse, vt affirmarent eius matrem Lu-
 douico patri legitime nupsisse, re vera tamen se nihil de hoc matrimonio scire. At mater-
 teræ maritus & matertera testificati sunt verum & legitimum connubium fuisse, seq; ipsis
 nuptiis interfuisse. Verum minutatim de loco, tempore, & his, quæ factum circumstant,
 interrogati cum inter se dissentirent, neque eorum constaret oratio, Rex Henricus ipsos
 tanquam aperte fictos falsosq; testes in carcerem conici, & debitis suppliciis affici iussit: i-
 psūq; Antonium sedens iudex cum IV. Episcopis, totidemq; iurisperitis, quos ad cognos-
 scendam secum causam adiunxerat, pronunciauit spurium esse non modo omnium opini-
 one semper ita habitum, sed etiam à Ludouico patre voce, ac scripto sæpe; ac demum testa-
 mento renunciatum: sua quoq; confessione conuictum, quod olim à Iulio III. Pont. Max.
 quibusdam legibus, quæ contra spurios sunt, absolui postulauerit; absolutusq; sit. Nec mul-
 ti à lata sententia dies intercessere, cum à prioribus alteræ Gregorii XIII. Pontificis Maxi-
 mi literæ vel Antonii rogatu, quod alios, quam Portugalenses iudices appellasset, vel Ale-
 xandri Frumenti in Portugalia Nuncii Apostolici opera, qui cum Antonio magis facere,
 quam cum Rege Philippo existimabatur, Regi Henrico redditz sunt: quib. Pontifex ma-
 ximus priores suas literas interpretatus, quod in illis Antonii causam agi tantum in Portu-
 galia, non etiam iudicari sensisset, aperte iubebat ne in Portugalia iudicaretur, sed iudican-
 da Romam ad se transmitteretur. Quod Rex Henricus satis acerbè accepit: questusque
 his literis non modo auctoritatem suam immerito contemni, & integritatem in tam aper-
 ta causa violari, sed etiam dissensiones ciuiles ali, & Reipub. Portugalensi ex variis motib.
 occasum afferri, asperius, quam eius mores ferebant, Pontifici rescripsit. Atq; illum hoc et-
 iam male habuit, quod sensit Romæ per nouos Christianos, quorum ortus à Iudæis est, agi,
 vt de Antonii causa iudicium, cuius maternum genus ex Iudæorum stirpe profectum esse
 sciunt, prolatetur: quoniam in magna spe habent ipsum aliquando ab omnib. Regem cre-
 andum, si nullus denunciatus Rex sit. Cum vero intelligeret Antonium contra iusiuran-
 dum, quo iurauerat se re iudicata staturum, ac nihil contra moliturum, multa mouere, ac
 modo plebem, modo ciuitatum & Dynastarum procuratores ambire, hortari, rogare, mul-
 taq; illis polliceri, vt se Regem creent, quod Regis creatio ad ipsos pertineat, iussit illum ex
 vrbe Olyssipone, totoq; vbis agro intra certum diem excedere: edixitq; ne posthac Olyf-
 siponem reuenteretur, comminatus illi, ni paruerit, pœnam, quæ contra non obediētes
 Regis imperio, & contra perturbantes regni pacem & tranquillitatem constituta est. Pa-
 ruit edicto Regis Antonius: sed mox acrius stimulante animum regnandi cupiditate Olyf-
 siponem rediit; eademq; mouere cœpit. Quod sentiens Rex Henricus illum vt reum ci-
 tat; atq; adesse negligentem bonis omnibus spoliat; & ni è finibus regni excedat, pœnam
 constituit, quæ de lædentibus regiam maiestatem sumitur. Graues quoq; pœnas contra
 eos sancit, qui Antonium tecto exceperint, aut re aliqua iuuerint, vel eius rebus vilo modo
 fauerint. Post quæ Antonius procul à conspectu Regis Henrici latuit. At vero Regis Phi-
 lippi procuratores, quibus Rex præceperat suo nomine Regem Henricum orare, vt ius su-
 um bene perspiceret, atque vbi perspexisset optimum esse, non dubitaret se regni successo-
 rem

rem Portugalensibus denunciare, sic de Regis sui iure apud Regem Henricum disceptant.

In regnum non morientis testamento, sed propinquitatis iure succedi. Regnum enim ei, quem vnum ex omnibus delectum ciuitatis principem, & Reipubl. moderatorem constituerunt ad tollenda ciuium dissidia, quæ in noua Regis creatione ex dominandi libidine semper enascerentur, hac conditione delatum à populo, vt in demortui Regis locum qui propinquitatis vinculis coniunctissimus illi esset, ex legitimis natus nuptiis, succederet. Quod si plures eundem propinquitatis gradum tenerent, mas foeminae, & maior natu minori præponeretur. Proinde Regnum esse non demortui, sed generis hæreditatem, eandemque indiuiduam, ac iure sanguinis adeundam: quæ non ad eum, quem Rex moriens voluerit, sed quem illi sanguinis cognatione proximum natura fecerit, venit. Ipsi Regi Henrico Regem Philippum omnium, qui Portugaliam successionis nomine petunt, necessitudine proximum esse: interiorem quidem Philiberto, non modo quia mater eius Isabella semper augusta Beatricem Philiberti matrem ætate anteiuerit, sed quia ipse Rex Philippus Philiberto grandior natu sit; Catharina vero, quod eam sexus nobilitate, & ætatis autoritate antecedit, at Rainutio, & quia maior ætate, & quia vno propinquitatis gradu propior. Nec magni momenti esse quod à Catharina affertur, à se patrem suum Odoardum repræsentari: qui si viueret, ipsi Henrico succederet. Nam in huius Regni successionem nullus nunc est fratrum filiis cum patruis concursus, inter quos representationis ratio haberi solet. quoniam hi, qui regnum petunt, omnes consobrini sunt, Regis Henrici fratrum, ac sororum filii: quorum personas spectare oportet, non parentum, quas hic referre non possunt. Id quod etiam antiquissimis legibus à Gothorum temporibus semper in Hispania seruatum est. Quin etiam si daretur posse parentes referri, certe Maria, si in viuis esset, & Catharina Odoardi filia sexum virilem patris nullo modo possent repræsentare. Non enim ius naturæ patitur, nec iuris rationes, quæ naturæ vim imitantur, volunt, vt quæ re vera est foemina, repræsentationis iure pro mare habeatur. Quare patrem filia non in sexu, sed in gradu repræsentabit. Proinde licet ipsarum pater Odoardus Isabellæ Regis Philippi matri honore sexus anteponeretur, non tamen ipsius Odoardi filia Regi Philippo itidem anteponerentur, quæ ex foeminis mares fieri nequeunt. Quod si nullum ius repræsentationis est Mariæ, nec à Maria quidem in Rainutium filium transfundi vllum poterit. Quamobrem Portugaliam successionem Regi Philippo iure optimo deberi, quod competitors omnes ætate, insuper alium sexu, alium vincat propinquitate. Quinimmo leges ipsæ Portugalenses hoc ipsum statuunt, vt in istis successiõibus mas foeminae, & mas natu maior ceteris omnibus præferatur. De Antonio se nihil velle dicere; quando leges omnes & instituta prohibent spurios non modo regnorum possessionem, sed ne aliorum quidem bonorum hæreditatem vllam ab intestato adire. Illum vero esse spurium ipsi Henrico magis notum atq; testatum esse, quam aliis. qui hoc ipsum à fratre suo Ludouico saepe audierit: à quo rogatum Pontificem maximum etiam sciat, vt iis legibus filium suum Antonium solueret, quæ prohibent spurium sacris initiari, dignitates ecclesiasticas obtinere, in testamentis hæredem nominari. Nec valere Ioannis huius nominis primi Portugaliam Regis exemplum, quod spurius fuerit. Non enim iure sanguinis regnum obtinuit, sed à populo Rex creatus est, cum è regia stirpe nemo superstes esset non spurius, qui Ferdinando mortuo iure posset succedere. si quidem eius filia Beatrix spuria esse credebatur. At nunc Regis Henrici cognatos extare, ad quos Regni hæreditas iure pertineat. Hæc, atq; huiusmodi alia regis Philippi ministri de Regis sui iure dicunt: eaq; tum argumentis ductis ex naturæ initiis, & ex legum autoritatibus, tum præstantissimorum iurisperitorum sententiis confirmant. Quamobrem Henricum orant, vt quando Regis Philippi causam omnium excellentissimorum iurisperitorum non solum Castellanorum, sed etiam Portugalensium, & Italarum, atque aliarum nationum iudicio sine vlla dubitatione optimam & æquissimam esse videret, atque ad cæterorum regnorum suorum incolumitatem, & totius reipubl. Christianæ tranquillitatem maxime referre, ipsius regis Catholici ius recte, atque extra iudicium perspiciat: & quod certum est in controuersiam non adducat: neve Regem ab omni foro & iudicio liberum iurisperitorum sententiis subiiciat, & eorum, quorum animi facillimè possunt odio & amore permoueri. His ipsis argumentis, quæ à Regis Catholici ministris afferebantur, vtens Carolus à Ruere fatetur Emanuelem Philibertum in hac Regni petitione à rege Philippo vinci, quod eo sit minor ætate, sed Catharinæ & Rainutio præferendum, quod illam sexu, hunc antecedit propinquitate. At Dux Brigantinus contra Regem Philippum & Emanuelem Philibertum pro Catharina repræsentationem, contra Rainutium propinquitatem vsurpat. Ferdinandus Farnesius vero repræsen-

tationem contra Regem Philippum & Emanuelem Philibertum pro Rainutio, sexum contra Catharinam proponit. Sic excellentissimorum iurisperitorum concilio Regis Henrici iussu habitum quæ à quoque dicebantur magno cum studio agitata; & de singulorum actionibus disputatum diu & permultum est. Ob quas concertationes Rex Henricus, qui Portugalensibus nativum Regem esse cupiebat, & suo iure priuare quempiam molebat, à multis persuasus est publicæ tranquillitatis causa, vir alioquin summæ castitatis & sanctitatis, uxorem ducere, si quos liberos susciperet, vnde omnem controuersiam tolleret. Quoniam vero oportebat absolui à Pontifice maximo lege, qua vetitum est sacris initiatum uxorem habere, huius rei gratia constituit Odoardum Castrobancum nobilem Olysiportensem ad Pontificem Romam mittere. verum interea in febrim incidit: è qua cum minime recrearetur, sed continuata motiuncula in dies extabesceret, à nuptiarum cogitatione destitit, atque animum ad declarandum successorem suum aduertit. Postremo cum regis Philippi causam optimam esse cognosceret, à qua statim peritissimi legum, atque animaduerneret Portugalenses à Castellanis alienos imperium regis Philippi non satis æquis animis accepturos, optimum factu iudicauit, vt Regis Philippi actioni & Portugalensium voluntatibus vtilitatibusque confuleret, regnum, quod alioquin iure deberetur certis quibusdam pactionibus illi tradere, quæ Portugalensium comoda respicerent. Et quidem Rex Philippus ad omnem æquam pactionem veniebat, vt Portugalensium animos conciliaret, ac quiete regnum obtineret, & bellum contra Christianos & sui generis homines effugeret. Præstat enim de suo iure interdum aliquid remittere, quam totum violenter velle retinere. Verum procuratores ciuitatum postquam hoc consilium regis Henrici olfacere incœperunt. vt illi obuiam irent, quæsiuere an extincta regia virili & legitima prole sibi liceret quem vellent regem creare. Quibus responsum est non licere; quia regnum hereditarium foret, non in populi arbitrio & potestate situm, partim dotale, partim armis partum. Interea pestilentia Olysiponem incessit, malum dirum & miserabile, omnibus commune, corporum contactu serpens. Quamobrem vitandæ contagionis causa in cœnobium S. Benedicti, quod vetus appellant, in suburbio secedit. vbi Christophorum Moram ad se accersit. ait velle se certis pactionibus regnum Philippo tradere: rogatque an ius vllum procuratorium in hac re habeat. ille ius, quod habet, profert, quod quia inualidum videtur, aliud à Rege Philippo mitti postulat quod mox missum est. Sciente autem quoti die magis pestilentia ex Olysipones suburbio; mense Octobri, anno M.D.LXXIX. Almerinum proficiscitur, vt rebus regni melius illic consulat: ibique totius regni concilium indicit. Almerinum est pagus è regione Santarenæ (quod oppidum veteres Scalabim nominarunt) inter quæ flumen Tagus fluit XL. m. pass. supra Olysiponem. Locus planus & patens, à dextra & sinistra collibus late cinctus, frugum ferax, venatione amœnus, hyeme saluber, regis ædibus nobilis: vbi Portugalensium reges hybernò tempore propter aeris temperationem vitam degere consueuerunt. Postquam Almerinum peruenit, cum Osunorum Duce & Christophoro Mora de pactionibus agere, quibus Portugalia regi Philippo tradatur. At Rex Philippus sibi persuadens, ob Portugalensium vetus in Castellanos odium sibi ius suum armis aliquando repetendum fore, ac doctus à sacrarum rerum peritis licere sibi absque crimine bello persequi ius, quod iniuste sibi eripitur, quia Rex ex se iuste bello vindicare illatam iniuriam potest, quoniam superiorem iudicem non habet, qui damnum æstimet, lucroque compenset, quæ ad bellum pertinerent comparari constituit. In Hispania multas peditum & equitum leuis, ac grauis amaturæ copias cogi; Italos & Germanos conducere; ex Sicilia, Neapoli, Mediolano Hispanorum præsidiorum partem accersiri; arma, tormenta, comæatum vndique conuehi; magnam insuper classem nauium & triremium instrui, eo consilio, vt si rex Henricus è vita cessisset, & Portugalenses regnum ex æquo & bono dare sibi nolissent, ipsum armis peteret: sin aut Henricus in vita diutius fuisset, aut Portugalenses sponte sibi regnum dedissent, arma in religionis Christianæ hostes transferret; vel rem aliquam aliam subiectis sibi populis gratam, quam fortuna, vel tempus suasisset, efficeret. Cæterum Rex Henricus Almerini, vbi Antistites, Reguli, & ciuitatum Procuratores in indictum concilium ex regni more conuenerant, intentus Portugaliæ regi Philippo certis conditionibus tradere, vt ad illas facilius Portugalenses induceret, per Antonium Pineirum Episcopum Leriensem eos prius edocuit regni successionem omnium sapientum iudicio duos potissime spectare, videlicet regem Philippum & Catharinam Ducis Brigantini uxorem: sed eorum vtrum magis spectet satis anceps & dubium adhuc esse. Verum si pro vtroque sententia feratur, magna vniuersæ Portugaliæ pericula procreanda. Proinde videri sibi satius esse regnum quibusdam æquis conditionibus regi Philippo tradi, si

ante ipsum sobrinum suum mori sibi contigerit. Sic enim belli damna vitari, & Reipub. Portugalensi optime prouideri. Deinde accipiens quod procuratores ciuitatum intelligerent mandatum esse duntaxat de concordia inter Regem Philippum & Catharinam agi, rursus per eundem Pineirum eos edocuit de pactionibus esse tantummodo inter Regem Philippum & Portugalenses agendum: illud vero quod de successione iure Regis Philippi & Catharinę in priore legatione dictum est, ea ratione dictum fuisse, ut significaretur instare diem, quo secundum Regem Philippum sententia feratur. Ideoque se eos monere, ac magis magisque suadere, ut vltro Regi Philippo certis, & vtilibus conditionibus regnum concordissime dedant. Eodem quoque tempore Catharinam per Paulum Alfonso iuris peritum, cuius opera multum utebatur, hortatus est ad faciendam sponte, ad quam publice tranquillitatis causa compelli poterat, cum Rege Philippo & se dignam, & suis rebus vtilem pactionem; quod ab illo bonitate causę, ab Antonio gratia apud populum vinceretur. daturum se operam, ut inter eos conueniat. Quinetiam eodem die, quo animam exhilauit, per tres regni ministros hortatus est ciuitatis Olyssiponensis Procuratores, ut aliarum ciuitatum Procuratoribus persuaderent de pactionibus agere, quibus regnum Philippo cum pace tradant. Sed Catharina de pactione nihil audire vult: & Procuratores, licet ad pactiones Antistites & Reguli veniant, quo magis probati Regis Philippi causam audiunt, eo magis de suo iure instant, asserentes neminem debere sanguinis iure succedere, sed a Portugalensi populo Portugalensium Regem esse creandum: contenduntque ut Henricus hoc ius populo esse pronunciet. Ad quorum rationem cum certa Regis denunciatio retardaretur, ministri Regis Philippi Regem Henricum etiam atque etiam hortari, ne ob plebem modo villo cunctaretur successorem suum ad prescriptam regni formulam renunciare. Proinde Rex Henricus & a Regis Catholici ministris, & a regni cura stimulatus volens omnino Regem Philippum ante extremum vitę suę diem Portugalię Regem in Concilio denunciare, ac motum aliquem populi grauiorem timens, armatorum hominum manum ex vicinis agris cõtraxit, recusans copias, quas illi Rex Philippus offerebat, ut earum presidio reclusus, & suam dignitatem retineret, & de regni successione liberius iudicaret. Tunc ciuitatum Procuratores de creando Rege questionem repetierunt, sperantes hoc interim spacio Regem Henricum nulla facta Regis ex certa formula denunciatione vi morbi consumptum occasurum: factam vero per Pineirum denunciationem irritam fore. Quibus biduum ad id denuo inquirendum datum est, contrariantibus Regis Philippi ministris: quod istud erat moras trahere. omnem autem cunctationem procreare multa incommoda, & pericula posse. Interim nulla alia, quam per Pineirum facta denunciatione, Rex Henricus annis, curisque confectus obiit pridie Kalend. Februarii, Ann. M. D. LXXX. ætatis vero suę LXIX. Eo mortuo Gubernatores, quorum nomina paulo ante suum obitum diuulgauerat, Regni gubernationem susceperunt, Georgius Almeida Archiepiscopus Olyssiponensis, Ioannes Mascharenias, Franciscus Saa, Ioannes Telius, Didacus Lopius Sosa. Antonius, qui Scalabi latebat, confestim Olyssiponem ad tentandos multitudinis animos aduolauit: atque a Senatu contendit, vt ius suum in regnum cognosceret. Qui ex consilio presertim Fernandi Pinę magnę autoritatis Senatoris respondit nullum experiundi iuris apud se locum esse, sed Gubernatorum sententiis & decretis obtemperandum, perinde vt iurati sunt sese facturos. atque illi minime conquiscenti, sed multa in Rempubl. molienti deinde edixit, vt ex vrbe excederet; alioquin se alia via Reipub. pro suo munere consulturum. Qua re commotus Antonius amicorum conuilium conuocauit: in quo varię sententię dictę sunt. tandem in eam sententiam iuit, qua commonebatur ne quid contra Senatus Consultum & Gubernatorum autoritatem faceret; vnde in se aliquam inuidiam concitaret. Itaque vrbe egressus est, atque ad Bethlem templum nascenti Christo dicatum iuxta litus Tagi III. M. pass. Olyssipone distans, fluminis ostio propius, quasi paturo parentaturus abiit: ac mox illic Scalabim rediit, imperans vni ex suis famulis, quem maxime audacem & fidum sibi cognouerat, vt Fernandum Pinam interficeret. Ille Fernandum obseruat, & obruncat: comprehensus indicium profitetur: factusque Senatoris necis reus omnium Gubernatorum regni sententia suspendio damnatur. Ceterum significans Antonius velle se Gubernatorum decretis parere, quonia his ipsis dieb. tertię Pontificis maximi litterę ab Alexandro Frumento Georgio Almeida reddite erant, quib. causę de matris suę nuptiis, sublati aliis, ipsi Alexander & Georgius iudices constituebantur, instituit vt constituti a Pont. Max. iudices de sua causa cognoscerent, ac iudicarent. Dux Osunorum & Christophorus Mora ceteriq; regis Philippi Legati singulis regni ordinib. regis sui literas dederunt, & pro literarum sententię postularunt, vt regnum sponte regi suo traderet, ad quę optimo iure pueniret.

Quo de iure dixerunt Rodericum Vaschium ante ipsos planius disputaturum. Tum Vaschius, Rex Philippus, quippe princeps absolutæ politiæ, nullius sententiæ obnoxius est; sed ius suum ex se exequi potest, quod omnes legum periti optimum esse docent, cum iudex nullus sit, cuius sententiæ stari debeat. Neque enim Portugalenses possunt ea de re iudicare, de qua simul experiuntur. Nam asserunt regnum nulli iure successionis deferri debere, sed populo creandi regem ius esse. Nullum autem naturale, & ciuile ius patitur quempiam de suamet causa iudicare. Quinetiam Rex Henricus, cui soli de successore iudicare fas erat, ipsi Philippo, cuius causam optimam esse perspexerat, regnum adiudicauit: suavitque Catharinæ, & Portugalensibus cum illo pactiorem aliquam facere. Adhæc neque Regi Philippo, neque ipsis Portugalensibus conuenit sententiam vllam expectari. 10 Nam dum tempus necessario dicendis sententiis & de nuptiis matris Antonii, & de populi autoritate, & de competitorum iuribus longissime protrahitur, regis Philippi rebus periculum procreatur, & Portugalia sumptibus exhauritur, atque externorum hominum, qui aduocantur, moribus & doctrinis inficitur. Cæterum in potentissimi, iustissimi, ac sanctissimi regis ditione res Portugalensis amplissima & firmissima erit. Quomobrem si equitatem, ac Regis Henrici voluntatem sequentes regi Philippo debitum regnum vltro detulerint, sibi ipsis optime consulent. Hæc eadem quoque Vaschius Olysi pone magistratibus copiose disereteque differuit. Cuius orationem aliqui probarunt; quidam ad respondendum spatium petierunt. Gubernatores autem responderunt optare se quidem regi Philippo, sed minime posse regnum absque certorum iudicum sententiis cuiquam de- 20 ferre. Nec tamen, cum iuris peritos consulissent an ius procuratorium à ciuitatibus datum iis, quos in regni conciliū ad regem Henricum misissent, adhuc ratum foret, & responsum esset non amplius valere, quod ad regem Henricum, non ad Gubernatores missi essent, sed ad nouos conuentus agendos nouo iure procuratorio opus esse, nouum conciliū indixere: nec constitutorum à rege Henrico iudicum nomina in apertum retulere, quod prius de nuptiis matris Antonii, & de populi autoritate, quam de competitorum iuribus agendum dicerent. Instant nihilominus regis Philippi ministri monendo, suadendo, pollicendo regnum poscere: nec solū vniuersos, sed etiam singulos regis sui causa bonitatem docent: & beneficentiam, & quæ inter reges ipsos Henricum & Philippum conuenerant proponunt. quorum summa hæc fere erat. Regem Philippum, si 30 Portugaliæ regnum, alioquin iure propinquitatis sibi debitum, sponte tradatur, spondere nec priuilegia, neque immunitates ciuitatum Portugalensium vnquam imminuturum; non mores, non leges, non iudicia commutaturum; eadem regni, ac regiæ munera eodemque ordines militares retenturum. Magistratus non nisi Portugalensibus mandaturum; eisdemque Ecclesiarum, & sacrorum militarium ordinum dignitates & fructus distributurum. Magistratus omnes ciuitatum etiam se absente semper eodem, quo nunc, modo mandandos. Nulla ratione vectigal vllum ex Ecclesiis Portugalensibus vnquam exacturum. Idem sacerdotum collegium ad res sacras faciendas, quod reliqui reges, Olysi pone conseruaturum. Dominatum in alios, & regia iura nulli, nisi Portugalensi ciui daturum; & quæ ab aliquo ad ius regium bona redierint, ea non sibi additurum, sed il- 40 lius propinquis, aut aliis benemerentibus impertiturum. De rebus iudicialiis, & pecuniariis eodem, quo nunc, ritu in Portugalia iudicandum. In nummis non alia signa, quam quibus Portugalensium reges semper vsi sunt, insignia impressurum. In arcium præsidiiis non nisi Portugalenses collocaturum. Ad instruendam classem, cogendum exercitum administrandum bellum pro rep. Portugalensi Portugalensium opera vsurum, nauarchorum, militum, ducum. In Portugalia quoad licuerit ab aliorum regnorum cura mansurum: nec hospitia, quæ in Castella assolet, imperaturum: sed morem in hoc Portugalensem obseruaturum. Cum abire contigerit, vnum aliquem ex ipsis Portugalensibus, aut cognatum aliquem & affinem suum regendis pro se regni gubernaculis relicturum. nec non filium suum stirpis regiæ principem inter Portugalenses educandum è Castella in Por- 50 tugaliam, ni quid obstiterit, missurum. Portugalensium ordinum contentus de regni negociis non nisi in Portugalia acturum. Vbicunque locorum fuerit, Portugalenses homines apud se habiturum, per quos regni negocia conficiantur: & quæ ab his mandata sint tabulis, Portugalensi lingua mandentur. Se more Dominorum Burgundorum Portugalenses mares in famulatum suum recepturum: reginam vero Portugalenses foeminas; easque deinde in matrimonio locaturū. At Portugalensium regum more nobiliū filios post xii. ætatis annū apud se pro familiarū ordinib., nō nobiles in regiis classib. stipendia (quæ Portugalenses moradias appellāt) merituros: ac singulis annis CC. Portugalenses certis stipendiis in suū famulatum adscripturū. Portoria confiniorum Portugaliæ & Castellæ sublaturum.

Res ad vitę vsum necessarias ex Castella Portugalesibus, quantum vtrorumq; populorum commodam ferrent, suppeditaturum. Postremo CCC. m. ducatorum in vsus pauperum, & captiuorum ipsis largiturum. Quas conditiones aduersarii regis Philippi cęlatas voluissent, ne qua eius benignitas appareret. Nec acceptę sunt tamen, quod in diuersas partes diuisi essent. Quamuis enim esset omnium eadem voluntas natium regem habendi, tamen cum id fieri non posset, aut quam ægerrime posset, diuerse voluntates, & varia pro cuiusq; libidine studia extitere. Antonium plebei amplectebantur, & nobiles aliquot: in quibus Ioannes Portugalius Episcopus Igæditanensis, Franciscus Portugalius Comes Viminofensis, Emanuel Portugalius, Didacus Menesius, Emanuel Sylua, Didacus Botellius. *Igedit. Sulgo de la Guar. da.*

Pauci Catharinę Ducis Brigantini vxori studebant, scilicet, necessarii, & consanguinei, quiq; à Duce Brigantino beneficia habebant, vel accepturos se aliquando sperabant. Maxima pars nobilium vel cernentes vires Portugalesium modicas esse, quibus regi Philippo resisteretur, vel eius causam probantes, vel magnorum præmiõrũ spe adducti eius partes sequebantur, clam tamen, quia plebis inuidiam ob commune in Castellanos odium extimescebant. Sed & nonnulli, qui publicam pacem & tranquillitatem amare videbantur, iri standum aiebant. Cuius quidem charitatis specie bonorum & simplicium hominum voluntates à Rege Philippo facilius alienabant. Quidam præterea censebant nouum Regem creandum. Quidam etiam nulli addicti, atq; ab omni negotio remoti in pagis, ac villis exitum rei expectabant. Nec Gubernatorum idem erat omnium sensus, eademq; volubras. Nam Georgius Almeida indifferens erat, neq; vllam in partem mouebatur: Ioannes Telius contra Regem Philippum stabat: reliqui pro Rege Philippo; sed, ne in populi offensionem incurrerent, à Rege Philippo alieniores se simulabant. Verum vt regno providere viderentur, Portugalię partes suis quamque ducibus custodiendas distribuierunt. Cuius rei gratia libet Portugalię in suas partes diuidere. Portugalię Scriptores in Transaganam, Cistaganam, & Interamnem discreuerunt. Transagana ea pars est, quę fluminibus Tago & Ana, finibusque Castellę continetur, quos Seuerus fluius exiguus terminat: atq; à meridie coniunctam habet Algarbiorum, qui olim Turdetani appellati sunt, regionem, quę Oceano abluitur. Cistagana vero fluminib. Tago & Durio, atque occidentali Oceano clauditur. At Interamne inter flumina Duriũ & Minium iacet, ecclesia Bracarenfis illustris; à qua etiã Callęcia Bracaręsis nominatur: eiq; continens est regio Transmontana; in qua Brigantium est oppidum insigne, amplissimi Ducatus caput. Quare Portugalię nec totam Lusitaniam continet (nam extrema Castella pars Lusitanię est) & partem Hispanię Tarraconensis amplectitur, nimirum eam, quam Callęciam Bracarensem nominari diximus. Igitur Gubernatores Interamnem Ludouico Brito, Transmontanam Ferdinando Menesio, Transaganam Didaco Menesio, Algarbium Odoardo Menesio, & quod in Transagana oppidum est, Cetobrica olim appellatum, nunc Setubal, situm ad sinum, quem in terram influens ab Occidente Sole Oceanus efficit, Antonio Munio Barreto commendarunt. In vrbis Olyssipones, & fluminis Tagi, & vicinarum maritimarum orarũ, quę in Cistagana sunt, custodia, cui Petrus Cugnã à Rege Henrico præpositus fuerat, posuerunt etiam Emanuelem Portugaliũ & Tristanũ Vasæum: quem etiam præfecere arci, cui nomen à sancto Iuliano, in ipsis Tagi faucibus. Munitioni, quam contra hanc arcem è terrã & lignis extruxerant in parua, humili, & arenosa insula, Cauezasica nominata, Petrũ Barbum præposuerunt. Quę extra fauces est intra magnum promontorium arx ad oppidum, quod Cascale vocant, à quo ipsũ promontorium postea nomen accepit, eam Antonio Castrensi concrediderunt. At turre, alteram, quam Bethlem nuncupant à templo, quod nascenti Christo dicatum diximus intra fluminis claustra in dextra ripa, Ferdinando Syluio, alteram, quam veterem appellant, è regione Bethlem in altera fluminis ripa Roderico Laurentio Tauarã custodiendas tradiderunt. Præterea Conimbricam Petrus Guedio Sosã, Lauarem Ioanni Vasconsele, Lamecam Francisco Almei- *Lauare Sulgo Anciro. Lameca Sulgo Lamego.*

da, oppida in Cistagana; atque alia aliis defendenda commiserunt. Adhęc Franciscum Barretum in Galliam miserunt ad reginam Catharinam & Henricum eius filium III. Gallorum Regem: quibus Portugalesium Regis Henrici mortem nunciaret, & rerum statum exponeret, ac fidem faceret Portugalię Gubernatores in denunciando Rege nulli iniuriam facturos; simulque auxilia posceret contra eos, qui vi vellent Portugalię petere. & Petrum Dorum, qui Olyssipone Consul Gallorum erat, illi sociũ adiungere, quorum multa secreto transegerant. mandarunt etiam quoscunq; posset milites Gallos in reditu secum conducere. Insuper optimatum concilium instituerunt, in quo de defendendo regno consilia haberentur. Hac vsũ diligentia Gubernatores visi sunt regnum vellemunire, ac contra Regem Philippum arma parare: tamen neque ad conducendos mil-

lites Barreto pecuniam dederunt, nec præfectis regionum, oppidorum, & arcium ea, quæ ad propugnationem & defensionem vsui forent, suggesserunt, hinc populi Portugalensis odium, hinc Regis Philippi potentiam & offensionem reformidantes. vnde nec cum pace illi regnum detulere, nec bello regni possessione prohibuere, neutri ob id chari. Et Rex Philippus post nunciatam regis Henrici mortem creauit Imperatorẽ exercitus Ferdinandum Aluarum Toletanum Ducem Albæ, vnum ex primariis totius Hispaniæ, ac rei militaris scientissimum virum: eumq; iussit in extremos fines Castellæ, quibuscum Portugalia continens est, proficisci, ibique totum exercitum maturissime contrahere. Tum etiam ad Alfonso Pererum Gusmanum cognomento Bonum Ducem Metimnẽ Sidoniẽ in Bætica confini Algarbiis; & ad Petrum Portocarrerũ Marchionem Villanouæ, & ad Petrum 10 Velasum Paxaugustæ præfectum, & ad Beltranum à Cũeua Alburquequensium Ducem in extrema Castella Transagani Portugalesibus finitimos; & ad Petrum Gartiam Episcopum Cauritanum, & ad Rodericum Paccẽcum Marchionem Seralui, & ad Hieronymum Fontium præfectum Mirobricæ partim in nouæ, partim in veteris Castellæ finibus vicinos Cistaganis; & ad Didacum Henrichium Gusmanum Comitem Albæ, & ad Io. Alfonso Pimentelium Comitem Beneuentanum in eisdem veteris Castellæ finibus Transmontanis propinquos; & ad Gasparem Portocarrerum Comitem Mõris Regii, & ad Gartiam Sarmentum Sotomaiorem Dominum Saluaterræ, & ad Didacum Thurecrematum Episcopum Tydensẽ, & ad Petrum Fernandum Castrensem Comitem Lemi in Callæcia Interamnenibus proximos scripsit, vt quas possent copias cogerent, atque in armis ad 20 omnem casum paratas haberent: rem frumentariam curarent, neq; in Portugaliã vlla cibaria inferri sinerent: flumina, loca, regiones, oppida, arces Portugaliæ bene perspicerent, ac diligenter fines suos custodirent; & Portugalẽses omnes, quotquot in fines suos introirent, obseruarent, qui, cur, quã viã, ac quomodo aduenirent. cæterum amice & beneuolẽ se cum Portugalensibus gererent, & de æquitate suæ causæ illos docerent, ac promissis & beneficiis allicerent. Atq; etiam statuit Paxaugustã ire, oppidum in extrema Castella Portugaliæ proximum, vbi exercitus componendus erat, vt vel amice, aut vi Portugaliæ possessionem adiret; ac si vis vlla adhibenda esset, illam suã præsentia temperaret. Nam omnino ius suum exequi statuerat. bono tamen modo, vt neq; in negligendo stoliditas, neque in repetendo reprehenderetur acerbitas. Itaque III. Non. Martii Madridio proficiscitur: ac reginam cum liberis subsequi iubet. atque ad ædem S. Mariæ ad Aquas Lupias veniunt: in qua regi Henrico iusta magnifice persoluunt. At Portugaliæ Gubernatores vt regem Philippum Madridio profectum & Portugaliẽ finibus appropinquare audierunt, Gasparem Casalem Episcopum Conimbricensẽ & Emanuelem Melum Oratores ei obuiam miserunt, qui illum orarent, vt ne armis Portugaliã peteret, sed denunciationem expectaret, quæ in totius regni concilio quam proxime fieret. Oratores regẽ Philippum ad Aquas Lupias conuenere; atque illi quæ in mandatis habebant exposuerunt, vt armis abstineret, denunciationem expectaret. Gubernatoribus fas non esse regnum cui velint ipsi tradere, sed cui delecti à rege Henrico iudices adiudicauerint. idque eos se facturos iurasse. Sin aliter agerent, non modo iusiurandum violaturos, sed etiam regni competitoribus iniuriam facturos. atque etiam si vellent absque iudicib. illi regnum tradere, nihilominus absq; totius regni concilio id facere nullo pacto posse. Adhæc æquum esse ipsum Regem Philippum vna cum aliis competitoribus causam iis iudicib. committere, qui inter ipsos conueniant. Quibus Rex Philippus respondit, Laudare se Gubernatorum in Rempub. studium, quod ex ipsa legatione intelligit, atq; optare sibi fas esse ipsorum postulatis satisfacere, sicut omnibus in rebus morem geret, quarum æqua, & honesta erit postulatio: tamen neq; ius suum ferre, neq; regni vtilitatem pati, vt illis de his, quæ postulãt, obsequatur. Verum illos pro æquo & bono facturos, si, cum ius suum optimum, & iudicem causæ nullum esse idoneum agnoscant, cuius sententiæ stare oporteat, regnum sibi deferrent, nec moram vllam interponent; quando omnis mora magnum rebus suis procreare 30 periculum potest. Nec iusiurandi religionem, qua se astrictos aiunt, vllam censeri: quoniam vanum est iusiurandum, quo quis iurat se id facturum, quod fieri non potest, aut certe non debet. Itaq; se illis suadere, vt omni mora reiecta sibi regni à Deo dati possessionem tradant, & fidem publicam dent. id quod etiam rex Henricus faciendum ab illis iudicauit. Debere autem ipsos & ad Dei voluntatem, & ad regis Henrici sententiam suos sensus & animos accommodare. Quod si fecerint, quemadmodum eos facturos pro ipsorum probitate & prudentia sperat, se illos multis beneficiis ornaturum, nõ solum iis, quæ à Duce Osunæ proposita sunt, sed etiam aliis, quæ honesta, & opportuna fuerint. Deinde post datam funeri auunculi operam ex Aquis Lupiis profectus, Emeritam petiit. Eumq; rursum

Metinna
Sidonia olim
Asila.

Paxaug. ho-
die Badajoz.
Caurita ho-
die Coria.

Mirobr. ho-
die Ciudad
Rodrigo.

Beneuente
olim Malin-
ca.

Tyda Sulgo
Tuy.

Madrid. o-
lim Maniua
Carpentia.
3001278.

Emerita
Sulgo Meri-
da.

ſum legati Emeritę conueniunt : eadem, quę ante, poſcunt, vt bello ſuperſedeat, con-
 uentum regni fieri patiatur, renunciationem expectet. Gubernatores non poſſe aliter illi
 regnum deferre & iuriſurandi propria religione, & aliorum ratione. Quos rex iſdem
 reſponſis, quę ante dederat, à ſe dimiſit. Ac mox Emerita diſcedens, Paxauguſtam III.
 m. paſſ. hinc à Portugaliz finibus peruenit, uſus lentis itineribus, vt ſpaciũ eſſet contra-
 hend. exercitus. Et Portugaliz Gubernatores quatuor (nam quintum Ioannem Telium
 Collegam Olyſſiponem præmiſerant, qui eius Ciuitatis rebus præeſſet) initio menſis Iu-
 ni ex Almerino Setubal abierunt. vbi totius regni concilium indixere. A quorum diſ-
 ceſſu Antonius liberius ſeſe gerere cępit, non iudicum ſententias, non Gubernatorũ de-
 creta, non denunciationem vllam regis expectare : conuenticula habere, Procuratores
 ciuitatum à concilio retrahere, nunc hos, nunc illos ambire, blanda oratione quemque
 appellare, & ſi ſe regem fecerint, magna omnibus præmia polliceri. Eius ſtudia rex Phi-
 lippus intelligens, & Gubernatorum dubios animos cognoscens, ad Ferdinandum Alua-
 rum Toletanum ſcripſit, qui Ellerenę haud longe hinc erat, ex vicinis Bæticę maritimis
 oris, & ſtationibus copias colligens, ac res belli proprias adminiſtrans, vt properaret om-
 nes copias contrahere, atque exercitum ad Paxauguſtam componere. Toletanus Ferdi-
 nandum filium cum Sancio Aluila militiæ magiſtro & Baptiſta Antonello architecto Pax-
 auguſtam ad deligendum caſtris locum miſit: ipſe interim militum numerum iniuit. Re-
 cenſita ſunt II. m. equitum, peditum XXII. m. præter VI. m. ruſticanorum hominum, qui
 20 ferramenta ferebant cum ad alios uſus, tum ad ſternendam viam, per quã bellica tormen-
 ta pertraherentur. Hiſpanorum accerſitorum ex præſidijs Mediolori & Neapolis III. cir-
 citer m. quorum præfecti Petrus Sotomaior, & Petrus Gonzales Mendoza: collectorum
 vero in Hiſpania X. m. quibus præerant Ludouicus Henrichius, Gabriel Nignus, Ant-
 nius Morena, Petrus Ayala. Germanorum III. m. & D. ſub imperio Comitis Hieronymi
 Lodronis. Italorum III. m. & D. quorum præfecti Proſper Columna, Vincentius Caraf-
 fa, Carolus Spinellus Petro Medici parebant. Eſt enim longe plures Itali & Germani na-
 uibus aduecti fuerant, tamen ad Calpem iuxta fretum Herculeum in ſtatiuis magnam eo-
 rum partem vis morbi abſumpſerat. Poſtquam Ferdinandus filius locum caſtris delegit
 in planitie, quę inter flumina Seuerum & Anam iacet, vulgari nomine Cantillana, eo ex-
 30 ercituũ conduxit, & tormenta ænea LIII. cum magna copia pulueris tormentarii, quibus
 Franciſcus Alaua præerat; & ad pertrahenda ipſa tormenta carros D. & ad ferenda ciba-
 ria carros ad VI. m. Simulq; Aluarum Bazanum regiæ classi præfectum litteris monitum
 fecit, vt claſſem ad omne imperium inſtructam paratamque haberet. At Portugaliz Gu-
 bernatores nec regi Philippo regnum deferunt, nec ſe contra eius arma muniunt, neq; de
 defenſione neq; de deditioe cogitāt. Et conciliũ, q; de regni defenſione inſtituerāt, nõ ad
 prouidendas res bello neceſſarias, ſed ad excitandos populorũ animos contra Caſtellanos
 frequenter conuocatur. In quo multus eſt Martinus quidam Gonzales, vir ſacris initiatus:
 cuius conſilio litteræ ad Episcopos ciuitatum, & religioſarum familiarum præfectos ſcri-
 ptæ fuerant, vt concionatores in templis populum ad defendendam communem liberta-
 40 tem & ſalutem adhortarentur. Vnde à multis ſæpe contra regem Philippum & Caſtella-
 nos habite ſunt orationes non pietatis & religionis, ſed odiorum & iniuriarum plenæ. Rex
 Philippus rebus omnibus ad bellum comparatis, tamen populi Portugalenſis temeritas,
 Gubernatorũ tarditas, Antonii machinationes omnem cunctationẽ reiicere, quę multorũ
 bonorũ ſæpe parit amiſſionem, & exercitum in Portugaliã quamprimũ immittere ſuadet,
 tamen priuſquã id faciat, vt æquitatẽ ſequi, nõ vim ſuſcipere videatur, Gubernatores præ-
 monet ſe poſthac nihil cūctaturũ, quin in Portugaliã à Deo ſibi datã ingrediatur; eũ omnis
 50 tẽporis dilatio plena periculorũ ſit. Sole clarius eſſe aſtu peti à ſe vt denũtiationem expe-
 ctet, vt interim auxilia contra ſe comparent, vel caſus aliquis interueniat, qui regni poſ-
 ſeſſionem impediatur. Regni concilium in menſem Maium ab ipſis indictum: menſe Ma-
 ium elapſum eſſe, ac nullosdũ Antiftites, aut Dynaſtas, aut ciuitatum Procuratores con-
 ueniſſe, quinimmo permultas ciuitates adhuc nullos procuratores feciſſe, nec facere velle.
 Se non ignorare quę à quibusdam Portugalenſibus cum exteris hominibus contra ſe a-
 gātur. Sed neq; ſibi vtile claſſem, cum nauigationis idoneũ tempus eſt, incluſam in por-
 tu contineri, non maritimas oras Portugaliz cuſtodiri, non exterorum auxilia prohi-
 beri, non inimicorum acceſſum vetari, neque æquum eſſe ingentem exercitum in eiſ-
 dem locis diutius retineri, cibaria fruſtra conſumi, fideles ſibi Caſtellanos pluribus in-
 commodis affici, ac bonos Portugalenſes ſibi legitimo domino parere volentes ab impro-
 bis ciuibus vexari, qui Reipublic. tranquillitatem malis conſilijs. & conatibus perturbant.

Calpe vulgo
Gibraltar.

Testificari tamen se nihil cuiquam hostile facturum, qui non ad vlciscendum, sed ad bene promerendum de suis Portugalensib. veniat. Quod si qui forte insolenter, & sine iudicio resisterint, eos debellaturum; reliquos summa charitate amplexurum, ac singularibus beneficiis ornaturū. Atq; ad prefectos regionū & urbium vicinarū Portugaliz scribit, vt finitimis Portugalensib. ius suū in Portugaliz regnū explicent, & Gubernatorū tarditate ostendant: suā quoq; mentē, & armorum consilū exprimant, q̄ contra perniciosos homines tantū capiatur: postremo cōmoneant, vt se verū & legitimum regē haud repugnāter recipiant, à quo multis & magnis beneficiis affiendi sint; non factiosorū hominū consilia sequatur, quib. aliquando se, ac suā bona perditū eant. Ipsosq; præfectos facit procuratores, qui eos, qui se dedāt, in suam ditionem accipiant, & immunitatibus suo nomine donent. 10
Itemque per legatos suos Portugaliz Gubernatoribus denunciauit, vt sibi regnū traderent, ad quem probe scirent ab Henrici morte iure optimo peruenisse: neue posthac regni bona, & vectigalia administrarent; quorum administratio ad se regem pertineat. Cæterum nullo se modo laturum, vt illorum cunctatione ius suum deterius fiat. Sed Gubernatores huic ter à legatis factæ denunciationi nequaquam paruere. Tunc ad Eluios, & Oliuentinos proximos populos Petrum Velascum Paxaugustæ præfectum cum literis & iure procuratorio in suam ditionem illos accipiendi misit. Is primo Eluem VIII. m. pass. à Paxaugusta iuit: eamque ingressus, in templum, quod iuxta portam est, concessit: vnde Episcopo, & vrbis præfecto, ac Senatui significauit se regis ad eos litteras ferre. Illi omnes eodem in templo conuenere: ac lectis litteris, quibus monebantur regem Philippum pro vero & legitimo rege Portugaliz habere, ac fidem huius rei publicam Petro Velasco 20 suo procuratori dare, vt in diuersas partes diuisi erant, sic in diuersas sententias discessere. Quidam obtemperandum, quidam repugnandum, quidam à Gubernatoribus responsum expectandum aiebant. Sed cum Velascus tantum diem vnum ad consultandum concederet, Episcopus omnium nomine poposcit regis exercitum ad urbem propius adduci, vt apud Gubernatores & ceteros Portugalenses iustam ditionis excusationē haberent. Cui postulationi Velascus non concedendum ostendit, quod exercitus facile adduci, sed sine multis ipsorum damnis & incommodis reduci non posset; quod maiorem gratiam à rege sponte se, quam vlla cum tergiversatione dando consequerentur; quod aliis ciuitatibus exemplū non bonū daretur, quæ idem sibi concedi etiam peterent; quod omnis tyrannidis species, quæ vim habet cum iniustitia coniunctam, à rege Philippo abesse debet, qui ius suum postulat. Sed dum noctis spacium ad deliberandum capiunt, Antonius Melus vrbis præfectus in arce Velascum ad cœnam inuitat; atque interim Gasparem Britum clam ad Ioannem Aceuedum Portugaliz Architalassum, XVIII. m. pass. hinc, Extremutium mittit flagitatum contra regis Philippi arma subsidium. Quam rem Velascus ab amicis, & speculatoribus, quos circa urbē disposuerat, cognoscens, statim ad Ferdinandum Aluarum Toletanum scripsit, vt manum expeditorum militum ad se quam citissime mitteret, quæ ab vrbis præfecto accersita subsidia præueniret. Aceuedus DC. pedites, & XL. equites; Toletanus II. m. peditum, & CC. equites eadem nocte misit. Vbi dies illuxit, conuocata concione Velascus conquestus est se hospitalitatis specie prodi, & contra regem Philippum copias in ipso consultationis tempore acciri. Tum eos commo- 40 nuit ne à iusto & bono vel propriis, vel alienis odiis impediatur: à se contra malucolorum audaciam satis esse prouisum. Dum hæc diceret, multa signa cohortium à regiis castris ad urbem appropinquantium conspecta sunt. vnde & verbis amicorum, & metu signorum victis Antonii Meli & suorum animis, regis Philippi nomen tota vrbe conclamatum est. Quamobrem cohortes regiz in castra reuerterunt, & quas Aceuedus mittebat, cum M. D. pass. abessent, regredi admonitæ sunt. quæ hoc indignantes Eluiorum agrum, quo vadebant, hostiliter vastarunt. Eluii Paxaugustam iuerunt fidem regi Philippo datum: à quo humanissime accepti, ac magnis beneficiis affecti sunt. Velascus ad Oliuentinos profectus est. In his etsi nonnulli à rege Philippo, tamen plures à Catharina Ducis Brigantini vxore erant: atque in his Aluarus Pereira præfectus arcis pro patre suo Comite Ten- 50 tubalensi. Proinde Velascum primo intra urbem recipere noluerunt: deinde receptum primores ciuitatis non modo audire defugerunt, sed etiam comprehendere voluerunt. Ille ad plebem, quæ in foro erat, huiuscemodi orationem habuit. Me rex Philippus ad vos Oliuentini mittit, quos suo nomine moneam, vt sibi vero ac legitimo regi parere velitis, ad quem à regis Henrici morte, cui sanguinis cognatione proximus erat, Portugalia iure peruenit. Quod quidem multis de causis facere debetis. Primum quia æquum est obedire legitimo regi. & regem Philippum regis Henrici legitimum successorem esse tum ipsiusmet regis Henrici sententia, & voluntas declarauit, tum omnium fere iurisperitorum

*Architalas-
sus Sulgo
Almirante.*

ſcripta teſtantur. Deinde quia parendo non tantum veſtris vtilitatibus, ſed etiam totius regni tranquillitati conſuletis. ſiquidem veſtrum exemplum reliquæ ciuitates imitabuntur. Si obediētes eritis, pax totius regni ſequetur; ſi reſiſteis, bellum incenderis; quod ſine dubio vobis omnium peſſime ceſſerit. Nam vos Oliuentini, qui belli periculis primi expoſiti eſtis, mala, quæ bellum afferre ſolet, primi ſubibitis. vos agros vaſtari, prædas agi, teſta incendi, mortales capi, & (quod morte grauius eſt) veſtros liberos & vxores quæ victori collibuerit pati ingenti veſtro cum dolore cernetis. alii mox veſtro malo ſapere didicerint. Nec equidem video quæ vobis opes ſint ad defendendam vrbeſ contra maximum & fortiſſimum exercitum. Non foſſæ, non mœnia non munitiones vlla, per quas miles non in vrbeſ irrumpat. non arces, non tormenta, non auxilia, quibus aduerſariorum copias à veſtris ædibus arceatis. Cur Oliuentini præcipites vos ac veſtri liberos, & vxores in tantas miſerias fruſtra contra diuina, & humana iura proiicere vultis potius, quam veſtri Regis gratiam inire; qui non ſolum veſtras veteres immunitates & priuilegia confirmabit, ſed nouis etiam vos honoribus & beneficiis augebit; Nec video cur vllam ſententiam Gubernatorum expectetis: quorum nimiam tarditatem ſibi & aliis inutilem vos ipſi videtis; qui etiam bene perſpiciſtis à Regis Henrici morte Portugaliã ad Regem Philippum legibus obtiniffe; & detrimentoſum ei eſſe tantum exercitum in eiſdem locis in nullum vſum diutius continere; atque interim pernicioſis hominibus tempus dare contra ſe exteroſ homines aduocandi. Quamobrem Oliuentini ego, cui veſtra ſalus æque porro, ac meorum ciuium curæ eſt, vos oro & obteſtor, vt vobis ſapiatis, nec contra verum & iuſtum nitamini, ac Regis Philippi beneficentia vti malitis, quam vim eius temere experiri. Mihi ipſe Rex Philippus ius procuratorium dedit vos in ſuam ditionem accipiendi, & veſtra, & quæ à Duce Oſunæ propoſita ſunt priuilegia ſuo nomine confirmandi. Hac oratione cum plebis aſſenſionem captiſſet, multis comitantibus ad propinquum locum abiit, in quem multos nobiles conueniſſe audiebat. quibus idem ſuaſit. ac vix dicendi ſinem fecerat, cum M. Antonius Iuſtinianus Ligur alta voce Regem Philippum, Regem Portugalię conclamauit: ac mox vna, eademq; voce omnes eundem Portugalię Regem conclamarunt. Ad quam vocem qui ſe in teſtis abdiderant principes ciuitatis, in forum egreſſi ſunt, atq; in loco ſacro fidem omnes ſuam Regi Philippo dederunt.

Altero die Nuniuſ Marinuſ arcem, quam pro Aluaro Pereira tenebat, Velasco tradidit. Ac Rex Philippus Oliuentinos eiſdem, quibus Eluiuſ, immunitatibus & priuilegiis donauit. Horum deditio, quorum exitum omnes expectabant, permagnum momentum ad attrahendas alias ciuitates in ditionem Regis Philippi attulit. Tunc Portalegre & Campus Maior vicinæ vrbes, in quas Hieronymuſ Mendoza cum eiſdem litteris & iure procuratorio, quibuscum Velasco, miſſuſ fuerat, in Regis Philippi ditionem datæ ſunt; ac pleræque alię in extremis Potugalię finibus. At arx oppidi, quod à loci amœnitate vulgo Villamuitioſam nominant, Ducis Brigantini, ab habitatoribus propter contagionem deſerti XVIII. m. paſſ. à Cantillana Paxauguſtę, ſic capta eſt. Qui tormentis in arce præerat, notuſ erat Ciſnero cuidam in caſtris Regis Philippi. Is illi multa pollicendo perſuaſit, vt ſe nocte mea in arcem intromitteret. Itaque cum delecta manu, quam Sanciuſ Auila ducebat, tempeſtante nocte ad Villamuitioſam acceſſit, ac quarta vigilia in foſſam, quæ arcem cingit, infilii, & ex ea ſcalas ad arcis murum appoſuit, ac ſummum cepit. Arcis cuſtos dormiebat; ſed multo militum & armorum ſtrepitu excitatuſ ex ſomno comprehenſuſ vna cum arcē ſeſenſit. Quæ reſ vniuerſis Duci Brigantino ſubiectis populis magnum terrorem iniecit: qui magnum deſenſionis ſuæ præſidium in hac arce habere putauerant. Dum hæc in Portugalię finibus geruntur, Antoniuſ Scalabi familiares & amicos ſuos ad viſendum locum inuitat, qui vrbiſ propugnaculo deſignabatur in tumulo, qui iunctuſ mœnibus (nam oppidum in collibus poſituſ eſt) Tago imminet. In quem cum populuſ conueniſſet, ſutor quidam, ſicut inſtructuſ erat, eductuſ eſt vagina gladium, in cuiuſ cuspide pannuſ lineum candidi coloris infixerat, alte dextra extulit, ac magna voce Antoniuſ Regem acclamauit. quam vocem reliqui excipientes ſimiliter illum Regem acclamarunt, ne quicquam eos inhibente oppidi præſecto. Ac mox cum eadem acclamatione Antoniuſ in Curiam fractis foribus, quas quidam Senatores occluſerant, introduxerunt, & fidem illi publice dederunt. Quod facinuſ nonnulli in Antonio quidem vt inconfideratū damnarunt; quod cauſa cecidiſſet ex violato iure iurando, quo iurauerat ſe Gubernatorū decretis obtemperaturuſ: in Scalabitanis vero, vt intempetiuum reprehenderunt, quod vel multo ante factuſ oportuiſſet, vt tempuſ ad muniendum ſe contra Regis Philippi exercitū fuiſſet, vel expectanduſ quoad Regis exercituſ in Portugalię ſines ingreſſuſ eſſet, vt iuſta cauſa Portugalenſes ad arma pro communi deſenſione concitaſſe videretur, nunc Re-

gis Philippi causam ab Antonii & Scalabitanorum audacia factam esse æquiores: illique datam ansam ad inferenda infensa signa in Portugalam. Plures tamen factum laudarunt & Antonium ad capiendum bellum contra regem Philippum impulerunt; imprimis Episcopus Igditanienfis, & Comes Viminofensis. quorum oratio his rationibus nitebatur. Quod ab innato odio contra Castellanos Portugalenses omnes sub eius imperiũ vna mente animoque concurrerent. atque etiam Galli, Belgæ, Angli Hispanorum odio Portugalensibus auxilio venirent. præterea Turca cum classe vel Siciliam, vel Italiam inuadens regis Philippi vires distraheret, atque imbecilliores redderet. proinde regem Philippum in Portugalia magnum exercitum habere multo tempore non posse. quem vero nunc habet, paruum, & inertem esse, ex Hispanis tyronibus confectum, ac multorum Italarum 10 & Germanorum morte extenuatum.

Atq; ex his, qui contra regem Philippum Antonium opposuere, quidam illi suaferunt, vt defensoris nomen non regis acciperet. quoniam defensoris nomen in tot dissensionibus & motibus omnium auribus iucundius foret; & posset, si res aliquando postularet, sine vlla indignitate deponi: non item regis; quod, præterquam quod arrogantius est, si bellum male cederet, nunquam pateretur in eas conditiones eum descendere, in quas rerum necessitas cogeret. quod si ex sententia res succederet, tunc omnes illi vltro Regis nomen & insignia delaturos. Verum Antonius etsi primo professus est se non Regem, sed communis libertatis defensorem esse, tamen deinde vel imprudentium hominũ consilia sequens, vel sese nimium diligens, relicto defensoris, nomen Regis accepit. Equidem 20 leues homines ambitio facile vincit. Vbi vero Rex à Scalabitanis est factus, in animo habuit Setubal ad Gubernatores ire, quos sibi adiungeret: sed mutata deinde sententia, non Setubal, sed Olyssipponem ire decreuit, caput regni, fretus ciuium voluntatibus, quorum exemplo alias ciuitates ad se atraheret. Quod Senatus Olyssipponensis intelligens, Ioannem Teliũ, quem à collegis missum ex Almerino Olyssipponem supra memorauĩ, id temporis commorantem Bethlem admonuit, vt in urbem veniret, atque Antonium introitu prohiberet, quem cum desiderio plebes expectaret. sibi satis virium non esse ad resistendum: & Petrum Cugnam vrbis præfectum in ea defendenda remissiore factum; quod vrbis defensionem ad Gubernatorem pertinere diceret; ipse nec Antonio contraire, nec de suo munere argui vellet. Teliũ quod item nec Antonio aduersari vellet, nec videri 30 suo muneri deesse, in urbem concedere noluit, sed ex vicinis agris milites cogi iussit. è quibus vna dumtaxat contracta cohors. cuius ducem Bartholomæum Oliueram D. pass. extra urbem via, quæ Scalabim est, considerare iussit; neque vllam rem aliam illi certam mandauit. ac Franciscum Teliũ fratrem suum cum Didaco Sofa venienti Antonio obuiam misit: cui suaderent nomen regis deponere, nec contra Gubernatorum voluntatem quicquam facere. Qui Antonio D. pass. ab vrbe obuiam facti, post consalutationem quæ Ioannes Teliũ mandauerat loquuti sunt. Ad quæ mox responsurum se Antonius dixit: mediũque inter illos repugnante nemine ad urbem processit: ac portæ appropinquans, quæ Moraria dicitur, à plebe rex salutatus, & in urbem exceptus, & in curiã more regio deductus est. In qua Emanuel Fonseca Pintus Senator nonnullis nobilibus & magistratibus 40 præsentibus hæc verba fecit. Castellanos Rex Portugalenses cum exercitu in Portugalam ingressus est: neque voluit, neque vult de regni successione sententiam vllam expectare. Quare causa minime extat, cur posthac Gubernatores imperium gerant: & iurisiurandi religionem, quo nos iurauimus Gubernatorum decretis & sententiis obtemperaruros quoad de regni successione diiudicatum fuerit, ego nullam amplius esse iudico. Sed vt Castellanos regis violentiæ resistamus, nobis rege opus est, à quo defendamur, atque tegamur, ni velimus in manus hostium venire. Vos autem ipsi tanquam Portugalensium principes, quando rex Henricus absque legitimo successore decessit, & necessitas cogit, nunc absq; aliorum populorum conuentu regem creare potestis. Ad cuius orationem omnes vno ore responderunt, Post Regis Henrici mortem sibi semper in animo 50 fuisse Regem creare Antoniũ, quod Regis Emanuelis nepos sit, Ludouici filius, multis magnisque virtutibus ornatus, à Deo etiam ex plurimis, grauissimisque periculis, quæ omnibus nota sunt, ereptus, & in hæc turbulentissima tempora reseruatus. His de causis se nunc ipsum Antonium creare Portugalensium Regem: & creationem eiusdem regis à Scalabitanis factam approbare: atque ipsi profiteri, & polliceri operam suam & studium ad res omnes bellicas, atque ciuiles. Tunc ab eo petierunt, vt more maiorum iuraret se ab aliis regibus datas Portugalensibus ciuitatibus immunitates & priuilegia seruaturum. Quod ab Antonio protinus factum est. Deinde vexillum regium expandentes, & e curiæ fenestris efferentes, Antonium ter alta voce Portugalensium Regem acclamarunt, & acclamari

clamari ab omnibus iusserunt. Post è curia in summum templum illum adduxerunt: atq; illinc per multas vrbis plateas & vicos in arcem cum eadem acclamatione, ac multo tubarum, tibiarum tympanorumque sonitu deduxerunt. vbi vexillum regium collocatum est. & Fonseca arcis clauis Hieronymo Payuæ eius præfecto Antonii nomine deinceps retinendas tradidit. At Ioannes Telius vt Antonium in vrbem ingressum, & Regem creatum accepit, cum vno Didaco Lupio à Sequeira triremium præfecto (nam cæteri triremium nauiumque præfecti ad imperium Antonii sese applicuerant) prætoriam triremim conscendens Setubal ad nauigauit. Sed illum Gubernatores & portu prohiberi, & oppido excludi mandarunt: postea tanquam priuatum ad dicendam causam in concilium ad miserunt: & neglectionem officii, & peruersitatem increpauerunt. Et Antonius ad omnes Portugaliz ciuitates litteras scripsit, se communi omnium consensu Olysi pone regem esse creatum, sibi que posthac esse parendum: & ne quis deinceps Gubernatoribus pareret, aut alium, quam se, Regem haberet, edicto sanxit, iis, qui facerent contra, pœnam capitis adscribens. Magnis quoque pollicitationibus arcium præfectis suasit, vt ipsas vel in suam potestatem traderent, vel suo nomine retinerent. Ac quædam ciuitates in Antonii verba iurarunt, quædam à Gubernatorum authoritate discedere noluerunt, quædam sub regis Philippi imperium concesserunt, præsertim eæ, quæ in extremis Portugaliz finibus sunt. Præfecti autem arcium vel ipsarum defendendarum desperatione, vel præmiorum spe, vel cognatorum & necessariorum verbis commoti illas Antonio tradidere: & quanquam Tristanus Vasæus aliquantum est cunctatus arcem Sancti Iuliani tradere: & Antonius Castrensis iam arcem Cascalis, cum primum Antonius à plebe Rex creatus est, deseruerat. Cæterum Antonius ad alliciendos Gubernatorum animos, & cognoscendam oppidanorum voluntatem Comitem Viminosensem Setubal misit. Setubalensium summa in Antonium voluntas fuit: ad Gubernatores nulla ratione adduci potuerunt, vt ad Antonium accederent. Itaque ex vicinis pagis coactas aliquot cohortes Antonius Setubal præmisit, monens se mox eodem iturum. Quare tres Gubernatores cum aliquot nobilibus clam naui perfugerunt ad oppidum Aiamontem, quod in Bætica ad ostium fluminis Anæ est. quos Dux Metimnæ Sidoniæ, qui illi oræ præerat, benignissime excepit. Archiep. Olysi pone sis & Ioanes Telius, alter sua dignitate alter Antonii in se ac suos voluntate, confisi remanserunt. Dux Brigantinus, qui neque cum rege Philippo, neq; cum Antonio conuenire vnquam voluit, neque gratia apud nobiles, neque authoritate apud plebem valens plurimum, timens aliquam ab Antonio indignitatem ad sua se oppida recepit. Ministri Philippi diuersis viis alius alia Pax augustam abierunt. Antonius cognita Gubernatorum & aliorum fuga, confestim flumen transmisit, ac Setubal contendit: receptusque magna cum pompa à Setubalensibus est. At, qui Aiamontem perfugerant, Gubernatores in Castromerinum oppidum, quod contra Aiamontem in Portugalia est, ierunt: ibiq; Regem Philippum renunciarunt verum, & legitimum Portugaliz hæredem; Antonium vero spurium, hostem patriæ, & perduellem. Id quod Aiamonte facere noluerunt, ne aut alieno loco, aut coacte id fecisse viderentur. Atque hanc suam renunciationem per Ferdinandum Noruignâ nobilem Olysi pone sem regi Philippo significarunt. Dux Brigantinus vt Setubale excessit, ad Regem Philippum suo & Catharinæ vxoris suæ nomine scripsit, quod illi sua iura cederet, dum æqua præmia sponderet, quæ cum Antonio pacisci ab vniuersis Portugalensibus admonetur: rogauitque vt cito responderet, quod mature consultum rebus suis vellet. Cui Rex Philippus respondit, se illi de discessu è Setubale gratulari, quod indignitatem aliquam id loci tandem aliquando pertulisset. Iurium cessione vero sibi opus non esse. Sua iura ita per se firma & rata esse, vt nulla accessione indigeant. nihilominus se eius & Catharinæ rebus, vt propinquum decet, fauturum. Hoc temporis spacio Sebastianus Britus vrbis præfectus post Petrum Cugnam, qui relicta eius custodia in villam secesserat, cum multis collectitiis copiis ad oppugnandam arcem Sancti Iuliani Olysi pone profectus est: quæ ex omnibus vicinis arcibus vna in potestatem Antonii nondum tradita erat. Verum Tristanus Vasæus cum reliquarum arcium præfecti se Antonio dedidissent, & idem ipse facere à cognatis & amicis rogaretur, atque insuper ab Antonio magnis præmiis sollicitaretur, quam Gubernatorum nomine hætenus tenuerat posthac Antonii nomine se retenturum arcem promisit. Itaque Britus dimissa obsidione in vrbem reuertit. Antonius quoque compositis Setubalensium rebus, contra multorum consilium, qui Setubalium temanere voluissent vt procul à regni sede bellum gereret, Olysi pone rediit, ac solenni apparatu exceptus; eiusque aduentu dies festus tota vrbe cum saltationibus & cantibus actus est, muliere æthiopissa similiam sibi fœminarum ducente cohortem, atque infurnibulum pro telo gestante, vt illius mulieris memoriam re-

ferret, quam Portugalenses memorant olim septem Castellanos infurnibulo prostrasse. Atque huiusmodi ludicra, & arrogantia plena facinora in Castellanos contemptu per multa alia exhibuere, de se ipsis arrogantius gloriantes, nec modum tamen ullum, quo se ab illorum armis defenderent, inquirentes. Rex Philippus cognoscens quæ ab Antonio, quæque à multitudine in Portugalia fierent, quamvis statuisset bello interesse, tamen pro tempore mutato consilio, Toletano imperavit, ut si videret aduersarios non ex iure agere, sed velle vi regnum occupare, conseruandi ac defendendi iuris sui causa exercitum in Portugalam inferret: atque eos, qui se dederent, benigne reciperet, qui contra starent, armis subigeret. monuitque ne hostile quicquam faceret: ut nullus animus in nocendo infestus appareret, tantum in castigando seueritas adesset. Ac præcepit ne pateretur à quoquam fegetes & frumenta, quæ maturuerant, corrumpi: quod ipsi maiori vsui, quam hostibus futura essent. Præterea edictum in Antonium & eius fautores, quale in perduelles proscribi solet, edixit. Toletanus è Cantillana Portugalam versus castra mouit: ac Rex cum Regina & liberis ad visendum exercitum iter facientem M. circiter pass. Pax augusta egressus est. Dux hinc via Olyssiponem Toletano monstrabantur, ad quam occupandam omnes cogitationes & vires intendebat, quippe regni caput, qua cum vniuersam Portugalam caperet, altera per Scalabim, altera per Setubal. In illa hæc commoda: quod capto Scalabi hostis à multo comœatu illico intercluderetur, ac reliquum iter facile & expeditum foret. Sed à Toletano hæc difficultates considerabantur, quod nec pons in Tago facile fieri, aut factus defendi; nec oppidum Scalabis natura munitum, si quibusdam obuallaretur operibus, paruo negotio expugnari posset. timebatur præterea ne aduersariorum multitudo, quæ ex vicinis agris coiret, iter è Castella comœatum ad se ferentibus intersepiret. At in altera via multa incommoda cernebantur: primum oppidi Setubalis expugnatio; deinde arcis, quæ III. m. pass. distat ab oppido; tum in Cistaganam transitus, & in terram arduus è nauibus ad Calsale descensus; ac trium post arcium Calsalis Sancti Iuliani & Bethlem oppugnationes, quæ multum temporis laborisque requirerent. Toletanus tandem hac via primum eundem censuit, ut classi, quæ milites tormenta & cibaria multa comportabat, portum pararet. ad hoc maris possessionem acquireret: unde aduersariis comœatum & auxilia intercluderet. insuper iunctis maritimis & terrestribus copiis bellum terræ marique validior gereret. Et quoniam timendum erat, ne aut classis aduersa tempestate

Sacru Promont. Vulgo Cabo de san Vicente.

Sacrum promontorium superare non posset, ac Setubal in tempore aduenire; aut magna hostium manus in via occurrens iter suum remoraretur, cibaria in XL. dies portari voluit (cuius rei causa magnam vim carrorum comparauerat) & hostem, quicumque adesset, ad pugnam elicere proposuit, atque omnia, per quæ vaderet, loca præsidis firmare, ut tuto semper è Castella sibi comœatus adueheretur. Itaque II. m. peditum Petri Ayalæ cum C. equitibus sub imperio Martini Padillæ Castellæ Præsidis circum fines, qui Portugalam à Castella dirimunt, relictis, uti Eluios, & Oliuentinos, vicinosque illis populos in officio continerent, atque omnem impetum hostilem, si quem in exercitus terga fieri contingeret, propulsarent, iter Extremutium direxit. Oppidani conspectu exercitus territi sese dedere voluerunt: sed eos Toletanus sine arce recipere noluit. Arcem Aceuedus, cuius supra memini, tenebat, Regi Philippo aduersus. Is primo pertinaciter restitit: deinde oppidanorum precibus fatigatus, ac præsidiariorum militum virtuti & voluntatibus diffusus, nec non Toletani comminationibus permotus se, & arcem dedit. verum ob peruicaciam in arcem Villæuitosæ captiuus missus est. quanquam nonnulli censabant grauius de homine supplicium sumi oportere, ut eius poena deinceps aliorum obstinationem deuinceret. Recepto Extremutio Toletanus ad oppidum perrexit, quod Montem maiore nominant: vbi Didacus Menesius cum Comite Viminosenfi ciues ad pugnandum hortabatur. sed illi vastitatem agri, & direptionem oppidi metuentes de deditioe cogitabant. quam, ut exercitus propius admotus est, fecerunt. Didacus Menesius relicta Transtagana cum Comite Viminosenfi Olyssiponem ad Antonium abiit. Eodemque tempore Ciuitas Eborensis in Transtagana nobilis, ac pleræque aliæ in Portugaliæ confiniis in regis Philippi ditionem venerunt. Ex Monte maiore Toletanus Setubal perrexit. Quo explorato itinere Antonius milites, quos Scalabim antea miserat ratus hostem illac iter facturum, reuocauit, ac Setubal misit; duas etiam maiores & rostratas naues ad bellum aptas, quas Galeones vocant, ut vna cum arce portus ostium ab hostili classe ruerentur. At Toletanus Ferdinandum filium cum aliquot peditum equitumque cohortibus ad explorandum Setubalis situm præmisit. qui ut ad urbem accessit, in primis fluentem in illam aquam dulcè auertit. altero post die cum exercitu eodem ipse peruenit.

positisq;

Sacru Promont. Vulgo Cabo de san Vicente.

Præses Vulgo Adelmirado

positisque castris per præconem ante Setubalis mœnia pronunciari iussit, Se non ad inferendum bellum, sed ad capiendam eius oppidi possessionem pro Rege Philippo venire, ad quem hereditas Portugaliæ iure obtigerat. ne resistent, & contra ius eant, monere. Setubalenses primo restitere: ac portis egressi cum suorum nece vim hostium breui certamine experti sunt: deinde vbilocata contra vr̄bis mœnia quatuor ænea tormenta viderunt, magis suis bonis, quam Antonii benevolentia consulescentes, ad Toletanum legatos de deditioe misere, si vna cum suis bonis conseruarentur. sed cum pactione Toletanus eos recipere noluit: & vt regis Philippi potestati ac voluntati sese committerent suasisit. Vnde qui vr̄bis præsidio impositi erant milites Galli & Angli, ad liberam deditioem inclinantem ciuium voluntatem cernentes, ne quam contumeliam à Castellanis paterentur, per vr̄bis muros sese demiserunt, ac nauibus, quæ ad litus religatæ erant, nocte socia diffugerunt. Setubalenses orta luce sine vlla pactione sese dedidere. quos Toletanus humaniter accepit, & conseruauit: cauitque militibus ne cuiquam Setubalensi iniuriam facerent. quorum insolentiam & auariciam cum primo verbis cohibere non potuisset, aliquorum supplicio deinde repressit. De Setubalis deditioe nuncijs incertus & obscurus Olyssiponem allatus vniuersam ciuitatem motu vario perturbauit. ac tres muliercule ad Antonium accedentes auxilium pro suis maritis orarunt: quos desertos à reliquis solos mœnia Setubalis ab vniuerso Castellanos exercitu defendere aiebant. Antonius ad Comitum Viminensium os conuertens, ipsum rogauit vellent illarum mulierum maritis opem ferre. eique annuenti iussit vt manum hominum pararet. Ad quæ verba conclamatum ad arma est. Concurrunt ad litus iuuenes ac senes, armati inermesque. naues vndique conquiruntur: aliæ in mare deducuntur, aliæ ad litus attrahuntur, complentur subito omnes. Antonius cymba vectus cunctas circumit, gestitque aspiciens multitudinem: nec tamen quid fieri debeat, aut velit, imperat. Interea nauis quædam ex alto portum subire cõspicitur: arrectisque animis nuncijs de Setubale certum expectant. Intelligunt pro certo Setubalis Castellanis deditum. quo nuncio alijs ferendi auxilij studium relaxatur, alijs oeculus metus dissoluitur. atq; hora diei nona in terram è nauibus descendunt Solis ardore & inedia fessif. Ac nocte media rumor quidam pertulit Castellanos Olyssiponem aduentare: mox fama à nocturno timore maior effecta auxit omnia vana. diulgauit eos adesse, tum vr̄bis portas ingressos cuncta diripere, atque corrumpere. Fit tota vr̄be strepitus atque tumultus. Domus, vici, plateæ clamoribus & vlulatibus implentur. quid quisque agat ignorat, contegentibus omnia tenebris, nec quid speret, aut timeat habet. Sed lux adueniens refvanitatem aperuit; & cum tenebris metus euauit. Posthæc Simon Miranda dux eorum militum, quos Setubale diffugisse diximus, Olyssiponem venit; atque omnia, quæ acciderant, ordine enarrat: sed eum proditioe accusatum Antonius in vincula coniecit. Toletanus postquam oppido Setubale potitus est, arcem, cui nomen est ab Othone, III. m. pass. procul ab oppido ad ostium portus capere constituit: atque huic negotio Prosperum Columnam præfecit. Arx Othonis ad radicem montis posita à sinistra sinus, quem (vt supra dixi) influens Oceanus facit; latum III. m. longum XXX. m. pass. ipsa VI. pass. ab ostio; naues ab introitu arcet. Sed priusquam tormenta locarentur, eius præfectus amice commonitus est; vt ipsam vero Portugalsium regi traderet. At cum ad tradendam arcem nulla oratione induceretur, vi cogendus fuit. Verum in locandis tormentis duæ difficultates erant; altera ab asperitate loci. nam saxa perrumpi, & solum inæquari oportebat. altera ab hostibus, qui ex arce & duabus rostratis nauibus, quas ab Antonio missas supra monstrauius, vi ignis emissis ex æneis tormentis ferreis globis opus disturbabant. Sed labore & industria cum aliquorum iactura vtraque difficultas superata est. Inæquato solo, duobusque tormentis locatis, alteram nauim, a qua plus incommodi accipiebatur, acriter feriunt. nauæ nauim, ne laceretur; sublatis anchoris ac passis velis in interiorem partem sinus agunt. Præfectus arcis proditioem factam credens nauim ignitis ferreis globis icit. quorum ictu malus cū antenna perfractus aliquot sua ruina oppressit, aliquot vulnerauit. Post tertium oppugnationis diem Aluarus Bazanus cum classe LX. triremium; quarum VIII. Siculæ, quibus post correptum morbo Fabritium Columnam Alfonso Leyua; XXII. Neapolitanæ; quibus Ioannes Cardona; reliquæ Hispanæ, quibus idem Aluarus peculiatiter præerat; Gadibus profectus quo tempore Toletanus iusserat, atque oram Algarbiorum præteruectus, oppidis, quæ in ea sunt, in regis Philippi ditionem receptis, aduenire conspectus est. Itaque præfectus arcis terra marique obsessum se videns, deditioe conditionem à Prospero Columna petiit, vt inuiolatus cum suis abiret: atque impetravit, insciente Toletano. qui, ni Prosperi Columnæ sponso intercessisset, illius audaciam punitam voluisset. Post arcem Othonis cum nauibus traditam Palmella pro-

ximum Setubali oppidum etiam Toletano traditum est. Ipse omnia, quæ capit, loca præfidiis munit. Ac paulo post Alfonſus Bazanus Aluari frater poſt fratrem Gadibus profectus cum XXX. oneratarum nauium claſſe, quæ multum com meatum ac bellicum apparatus portabant, Setubalis portum tenuit. At vero Gregorius XIII. Pont. Max. ſecum agitans nec Portugalenſes ob magnum in Caſtellanos odium ſponte ſub Regis Philippi ditionem ituros, nec Regem Philippum ius, quod in Portugalliam habet, neglecturum, metuenſque ne ex hac diſſenſione bellum oriretur, quod Rempub. Chriſtianam affligeret, Alexandrum Riarium S. R. E. Cardinalem in Hiſpaniam legauerat, vt Regem Philippum & Portugalenſes ab armorum contentione retraheret. Riarius pridie Kalend. Maii Roma profectus, terreſtri itinere primum Barcinonem attingit. quo Rex Philippus gratulatum illi in Hiſpaniam aduentum, & amici officia præſtitum Lupium Auellanedam miſit. Ille deinde & legationis ſuæ munere commonitus, & multorum nobilium Portugalenſium litteris ad componendam pacem ſolicitatus, ad Regem Philippum Pax-auguſtam aduenit. quem ægra valetudine affectum primis aduentus ſui diebus adire non potuit: poſt meliuſcule ſe habentem conuenit. atque ita alloquutus eſt. Plurimam ſalutem Rex Philippe tibi dicit, & apoſtolicam benedictionem Gregorius XIII. Pont. Max. & cui optime cupit, à Deo quietam Portugalix poſſeſſionem exoptat. Ac certe magnam animo lætitiã cepit, cum intellexit Regem Henricum ſtatuiſſe te Portugalix Regem denunciare: ac quando id à Rege Henrico factum non eſt, quod morte præuictus ſit, ſperat ipſos Portugalenſes victos ab æquitate facturos. Sed cum sæpe te per Nuncium ſuum admonuiſſet vt arma deponeres, ac iuriſperitorum iudicio, quorum fides nulli ſuſpecta eſſet, cauſam committeres; nec arma depoſita, ſed auctas copias ex multorum litteris ac nunciis acciperet, timeretque ne relicto iuris certamine vim adhiberes, vnde Portugalenſium odium magis accenderes, ex quo Reſpub. Chriſtiana turbaretur, & ipſa Portugallia prauis religionis erroribus inficeretur ab exteris nationibus, quarum auxilia accerſerent, tum maiorum ſuorum exemplo, tum ſingulari in te beneuolentia motus me legatum ad te miſit, qui ſuo te nomine commonefacerem, vt armis abſtineres, nec ſolum tuorum iuriſperitorum, ſed aliorum etiam iudicio ſtares. quandoquidem Regis amplitudo nõ in multorum regnorum poſſeſſione, quæ vi ſua mutabilia ſunt, atque ad diuerſos transferuntur, ſed in iuſtitia poſita eſt firmiſſimo imperii fundamento. Non tamen ob id, inquit vt arma abiicias, quæ contra iniurias iuſte ſumuntur, ſed ipſo iure nitaris: in quo nemo te omnium interpellare poterit. Atque ipſemet Pontifex omnem ſuam operam & auxilium cõtra eos pollicetur, qui tibi obſtare voluerint. Sic & tu recte regnare, & Portugalenſes tibi iure obtemperare videbuntur. Cui Rex Philippus ita reſpondit. Pontificis maximi voluntatem omnibus in rebus erga me ſemper optimam perſpexi. Quare de paterno eius in me animo ſemper illi ingentes ago, & habeo gratias. Atque equidem velim intelligat me primum iuriſperitiſſimos omnes cuiuſuiſ gentis etiam Portugalenſes de meo in Portugalliam iure conſuluiſſe, omneſque reſpondiſſe ſine vlla controuerſia optimum eſſe. Quod deinde Rex Henricus conſultum & exploratum habens, me per Antonium Pineirum Episcopum Leriẽſem in concilio Almerini conuocato Regem Portugalix declarauit. Ex quo per multi Portugalenſes regnum mihi deferre voluerunt: ſed aliquorum potentiorum verbis & minis deterriti ſunt. Cum ergo ego viderem ex æquo & bono me ius meum obtinere non poſſe, rerum ſacrarum peritos conſului an mihi liceret ipſum armis perſequi, & quamuis reſpondiſſent licere, tamen nullam vim facere volui, ſed bonis verbis & promiſſionibus nunc æquitatem meæ cauſæ docendo, nunc immunitates & priuilegia pollicendo conciliare aduerſariorum animos ſtudiui. Verum vbi Antonius ſine dubio ſpurius ſolicitare contra me plebem, & regnum capere vidi, ac magiſtratus aliis auferre, aliis mandare, exercitum in Portugalliam immiſi tum ad capiendam regni debitam mihi poſſeſſionem, tum ad defendendos ab improborum iniuriis & maleficiis bonos ſubditos, qui parere iuſto imperio volunt. Quamobrem arbitror me à Pontifice maximo reprehendi nullo modo poſſe, quod arma contra ius ceperim, aut vim iniuſtam attulerim. Meam vitam omnibus notam eſſe, notos mores, notam mentem & animum: qui ſemper de meis bonis aliquid deperdere malui, quam alicui quicquam auferre. Quinimmo mihi perſuadeo, cum me Portugallia poſitum, & vtramque Hiſpaniam ſub vnus imperio coniunctam viderit, non paruum ex hoc Pont. max. lætitiã capturum & propter eius in me ſingularem beneuolentiam, & propter religionis Chriſtianæ maius firmamentum ac robur. Hoc reſponſo accepto Riarius, cū Antonius Regis nomen & regni aliquã poſſeſſionem à multitudine accepisset, ac regis Philippi exercit' in Portugallia ingreſſus magnã regni partem occupasset, nec decorum illi

illi regiũ nomen & insignia deponere, neque huic vtile victorem exercitum retrahere, incertus fuit quid ageret. ac quando rerum Portugalensium status ex eo tempore, quo legatus fuerat, immutatus erat, pro nouis mandatis ad Pontificem maximum scripsit. Iam Olyssiponenses rebus suis diffidere, audientes Secubal, in quo satis roboris ad refringēdos aduersariorum conatus esse rebantur, breui tempore cum arce captum, ac videntes ad resistendum regi Philippo sibi omnia imbecilla, neque animi, nec consilii satis in suis dubiis esse, fidei etiam parum, et si iactantię plurimum: auxiliorum præterea spem omnem extingui. quanquam ab Antonio bono animo esse iubebantur, Ipse quoque Antonius videns omnia oppida, ad quæ regis Philippi exercitus accederet, in illius potestatem illi-
 10 co tradi, ciuitates, quæ ante sibi fidem dederant, nunc dubias esse nobilem quemque ad aduersarios transfugere, apud se plebeios & inertes tantum remanere, atque eos quos vel desperatio veniæ, vel arcta necessitudo, vel metus amittendorum bonorum retinebat, quasi desertus ab omnibus timere grauius cœpit: atque hoc etiam magis, quo magis externa auxilia desperabat. Nam Franciscus Barretus Olyssiponensis & Petrus Dorus Gal-
 lus, quos à Gubernatoribus in Galliã missos supra memorauimus, nullas copias cõparauerant. siquidem Olyssiponensis nullam pecuniam acceperat, quam militibus, quos cogeret daret: Gallus quam paucam acceperat, in suos vsus conuerterat. Nec Galliæ principes venire Portugalensibus auxilio velle aiebant, ni duas arces sibi tradidisset Cascalis & Sancti Iuliani: in quibus receptum haberent, cum aduersi aliquid contingeret. Quã con-
 20 ditionem à Gubernatoribus recusatam, ne rerum Portugalensium aliquando Galli hæc via potirentur, Antonius ad Barretum scripserat, vt acciperet: sed nec in tempore scribi milites nec commode mitti poterant, omni ad eum aditu ab aduersariis intersepto. Cum igitur externæ opis expectatio nulla amplius, aut quam minima relinqueretur, quotquot poterat colonos, pastores, operarios vndique ad bellum cogebat: & ex ipsis religiosis familiis, quos ad bellandum idoneos reperiebat, armabat: iubebat etiam clericos depositis togis saga sumere. Præterea seruos, quicumque militare voluissent, libertate donabat; illisque facultatem concedebat à dominis arma & equos abripiendi quorum IV. cohortes armatæ sunt. Sanciuerat quoque edicto vt omnes in urbem conuenirent: sed eorum, qui venire neglexissent, bona proscribentur; ab his vero, qui venissent, pecuniæ in mili-
 30 tum stipendia petulanter exigebantur. Mercatores inique vexabantur: peregrini asperè tractabantur, à quibus iuuari manu & consilio poterant. Cuiusuis delicti & sceleris pœna pecuniis redimebatur; omnisque via conficiendæ pecuniæ quærebatur. Dabantur obsecuris & ignobilibus hominibus militiæ Christi insignia, magistratusque indignis, & non Christianis mandabantur. Dominabantur in vrbe plebei, rapaces, & insolentes cum summa vitæ licentia & impunitate: ita vt in nouo regno vicem suam permulti dolerent, de regis ministris omnes viri boni magis, quam de aduersariis timerent. Quotidie conuocabant concilium, & nihil in eo decernebant; atque inter ipsos consultores inuidia diffensiones procreabat. Comes Viminensis dux exercitus esse volebat, cui Didacus Menelius præfectus erat: & gratia, qua Odoardus à Castro diuitis mercatoris filius apud An-
 40 tonium plurimum poterat, multorum animos alienauerat. dumtaxat noui Christiani à Iudæis oriundi, quorũ maximus est in Portugalia numerus, & Æthiopes, quos permultos Olyssipone cernas, gens seruilis & humilis, Antonium lubenti animo sequebantur. Rex Philippus vero vt æquitatē & bonitatē suam ostēderet, edicto veniã dedit, & impunitatem iis qui aut vi coacti, aut errore decepti, aut cõmuni quodã odio contra Castellanos affecti, cõtra se arma cepissent, rebellionis auctores & adiutores excipiens. Quo multorũ animi spe veniæ relanguescere cœperunt: & Antonius multis parũ fidere, suspectosque sibi in custodia asseruare. in quibus Georgius Menelius maiorũ nauium præfectus ob interceptas (vt ferebatur) ad Regis Philippi ministros litteras. Toletanus interea circumspiciebat quam viam iniret, quæ Olissiponem facilior & expeditior esset. Nam tres commonstrabantur, vna per Scalabim, altera per Tagi fauces, tertia per Cascale: quod oppidum XV.
 50 m. pass. infra Olissiponem est in altera ostii partē, in quod Oceanus penetrans flumina Tago coniungitur. Viam per Scalabim longam, ætuosam, & puluerulentam esse intelligebat, & illac difficilem fluminis transitum; quod nec pontem habeat, quo pedibus transiri possit; & cymbæ, quas Hispali fabricandas ob hanc rem curauerat, aduectæ non essent; atq; adessent eadē difficultates, quas supra indicauimus. In portus vero claustra per angustas fluminis fauces cū classe irruptionē sine maximo dāno & periculo fieri non posse videbat; quæ sitæ à dextra & sinistra arces S. Iuliani & Cauezzæ siccæ tormentorũ ictibus introeuntes tiremes aut lacerarēt, aut vadis alliderēt; ac maiores naues hostiũ in ipsis faucibus

Hispanis hodie Scylla;

positæ mole sua introitum obstruerent. At per tertiam viam breuissimum æstate media traiectum cernebat; & arces, quæ inter Cascale & Olyssiponem sunt, non magno negotio capi posse iudicabat; tantummodo excensionem in terram timebat ob altas & præruptas rupes, quibus totus ille tractus litoralis continetur. Doctus tamen à locorum peritis supra Cascale M. & D. pass. septentriones versus humilem quendam inter rupes locum, quem incolæ Marmam veterem nominant, aquis pluuiis, quæ in Oceanum defluunt, exesum, ad quem binæ, aut ternæ cymbæ appelli possent, relictum esse ab aduersariis incuria, quod nulla hominum memoria ne piscatoria quidem nauicula eo vnquam appulsa fuisset, hanc tertiam viam probauit: ac terra marique custodias disposuit, ne quis ad hostes transfugiens hoc suum consilium enunciaret. Tum simulans velle Scalabim proficisci, Germanos 10 cum tormentis ea vi præire iussit: moxque reuocauit: atque in triremes quotquot potuit milites cum CC. equitibus & aliquot tormentis muralibus imposuit; ac Cascale adnauigauit, excensionem in terram periclitaturus. egressusque Setubalis sinum Sisybram recepit, oppidum ad proximum litus situm: atque altero die sub ortum Solis Cascale appropinquauit, & ad Marmam veterem proras direxit. Didacus Menesius, qui Cascale & maritimam illam oram custodiebat, cernens hostilē classē aduersum se agi, cum VI. m. hominum ad Marmam veterem procurrit, descensum in terram hostibus turbaturus. Sed accedentem eum hostes tormentis è triremibus terrent. summotisque magis inani terrore, quam vllō detrimento aduersariis, scaphæ militibus complentur: atque accedente æstu, & sereno cælo ad litus appelluntur. E quibus in terram primis omnium Rodericus Zapata cum XX. sclopettariis exiuit, tum Sancius Auila cum L. militibus, & deinceps alii post alios: contentoque gressu decliuis ripæ summum repugnante nemine obtinuerunt, post auctis cæterorum concursu viribus hostem penitus fugarunt. Fugatis hostibus, reliqui milites exponuntur: compositoque agmine Cascale propius incedunt: inclinanteque ad occasum die, ad ædem sacram B. Mariæ, cui cognomen à via est, consistunt. Rodericus Valdesius tamen cum sua sclopettariorum cohorte longius progredi iussus ad depellendos hostes è tumulo, quem occupauerant inter ædem B. Mariæ & Cascale, magna eos vi atque impressione deuicit. quo in certamine de Castellanis quatuor tantum vulnerati sunt, de Portugalensibus desiderati plures: reliqui procul ab oppido & arce, quo vel hostium 30 metus impulit, vel locorum opportunitas ire suavit, fusi fugatique abierunt. Menesius cum XX. militibus in arcem se recepit, quæ iuxta litus ab oppido sagittæ iactu abest. Huius rei nunciis ingenti metu Olyssiponenses perculsi sunt: atque Antonio ad arma vocante magna hominum multitudo conuenit: sed eum hortantem omnes vt se Cascale contra Castellanos insequerentur, pauci, iidemque tumultuose, partim etiam inermes subsequuti sunt: quamuis diuersarum religiosarum familiarum plerique viri vel tranquillitatis odio, vel amore licentiæ, vel dementia & furore correpti, dextris gladios, sinistris cruces gestantes, vt hortatorum, & adiutorum officia præstarent, vniuersos & singulos ad pugnam contra Castellanos magnis vocibus & clamoribus adhortarentur. Vbi ventum Bethlem est, minorem opinionē sua manum arma ferentium conspiciens (neque enim plures, quam M. 40 pedites & D. equites erant) primores consuluit an progrediendum, an redeundum censerent. In quibus etsi forte quidam cæteris prudentiores magis temeritate quadā agi, quam vllō consilio duci se viderent, tamen audacissimorum vociferatio contendentium nulla ratione redeundum, atque insolentius instantium ipsorum singulis animum esse cum vniuersis Castellanis congregari, nullum consilium dici sinebat. verū interueniente nocte cum cibum capere voluissent, nec quicquam, quo reficerentur, inuenissent, hoc vno incommodo refracta illorum temeritas est. Toletanus post expositas copias, & tormenta, quæ secum adueherat, Bazano præcepit, vt triremes ad conuehendum reliquum exercitū & bellicum apparatus Setubal remitteret: atque Alfonso Leyuam oræ maritimæ custodiæ præposuit: nec non interim præfectum arcis admonuit (signarus quod esset in ea Menesius) vt arcem traderet, nec se temere perderet. Quod cum ille facere noluiisset, arx tormentis 50 verberati cœpta est. Ad quorum ictus præfectus de deditioe agere cœpit. cuius specie aliquot Toletani milites in arcem introiuerunt, & vt sine pactione sese traderet suaserunt: neque hoc facere illo volente, ipsi per vim arce potiti sunt: & Imperatoris sui iussu vexillum candidum pacis insigne, quod Portugalenses post verberatam arcem extulerant, deposuerunt, & rubrum belli signum, quod ante oppugnationem illi erexerant, extulerunt, vt intelligeretur arcem non deditioe acceptam, sed vi captam esse: Menesius sese occultauerat: repertus autem per nuncium à Toletano petiit, vti atque infimus miles tractaretur; atque etiam facultatem postulauit ad Antonium, quem Portugalix Regem nominauit, abeundi. Sed illi tunc à Toletano nullum responsū datum est (aderat autem nox) veniente

niente vero die Toletani iussu indicta mors est. Ita qui pugnare timuit, & se dedere noluit, capite luit temeritatem, an stoliditatem dicam nescio. Arcis prefectus etiam cum duobus aliis suspensus est: reliqui ad triremes damnati. Contigit autem nobilem quendam Olyssiponensem cū XX. militibus ab Antonio subsidio Menestio missum concubina nocte cymbam ad arcis latus appellere, ignarum quod ab hostibus teneretur, ac compellere militem in arcis vigilia stantem, rogareque vt sibi portam aperiret. cui miles Portugalesis consulto ad colloquendum suppositus, ne aliena lingua suspicionem daret captæ arcis, respondit se portam aperiturum. in quam ille ingressus sensit in hostium manus incidisse. Tunc pagus Syntra VI. m. pass. Cascali, XII. m. pass. Olyssipone distans ad radicem montis Lunæ Toletano traditus est. Qui locus arboribus amœnus, fontibus iucundus, regiiis ædificiis clarus est, atque æstiuo tempore Portugalesium Regum delitiæ. Senatus Olyssiponensis videns rem in maximum discrimen adductam, ne vrbs opulentissima fieret hostibus præda, cuius auditas multo audentiores milites facit, Antonium orauit, vt cum iis copiis, quas contraxerat, Castellanis obuiam ireret. Antonius a Senatu pecuniam in militum stipendia primo petiit; quam nullam obtinuit, asserente Senatu ciuitatem sumptibus exhaustam esse: deinde ad componendum exercitum biduum postulauit. quo tempore milites omnes ad Bethlem conduxit partim sponte, partim vi ad X. M. Verum cum artis militaris scientes homines Portugaleses non haberet, nec audirentur alienigenæ rerum bellicarum periti, ne superiores vlla re Portugalesibus viderentur, & ipse Imperator parum inter arma exercitatus esset, quid ageret ignorabat. Quidam aiebant iuxta arcem Sancti Iuliani castra poni oportere, in cuius defensione ciuitatis salus, & totius belli summa consisteret, vt arx munimento exercitui, exercitus præsidio arci esset: quidam longius ab vrbe discedendum propter multarum rerum opportunitates negabant. Quod consilium probatum est. Itaque castris locum inter Bethlem & urbem eligunt, & munitiones instituunt. Toletanus post aduectum è Setubale cum reliquis copiis omnem bellicum apparatus ad oppugnandam arcem S. Iuliani Cascali profectus, ad pagum nomine Oeram è regione arcis castrametatus est. Ac primo die Franciscus Alaua contra arcem X. tormenta locauit, dein altera X. tum his omnib. XII. adiecit, equitibus, quos Antonius ad disturbanda opera miserat, retro à Sancio Auila paruo prælio compulsis. Atque imprimis tres maiores & rostratas naues, è quibus hostes nonnulla damna iniiciebant, tormentorum ictibus ab arcis præsidio summouit: ac mox arcem magno impetu verberauit. Porro Trifstanus Vasæus arcis præfectus, quod se diu sustinere nõ posse videret, æquam aliquam conditionis conditionem magna voluntate subiisset: verum in ipso oppugnationis initio ex se conditionem vllam postulare non satis honestum putabat. Accidit autem, cum scax & funes ab hostibus pararentur ad inuadendam manu arcem qua parte multis tormentorum ictibus muro denudata erat, vt puella quædam cum matre visendi mariti causa, & à Toletano & à Vasæo facta potestate, ex Oera in arcem intraret, ac Vasæo suaderet vt se Toletano dederet, quod ille maximum & fortissimum exercitum haberet, ipse rerum omnium penuria laboraret. Exinde Vasæus in colloquium Toletani venit: atque illum initio rogauit, cur more militiæ neminem ad se ante oppugnationem miserit sciscitatum rationem, quæ arcem teneret, atque defenderet. Quod factum à se Toletanus asseruit; & per præconem sibi relatum fuisse, præfectum nolle arcem tradere. Ob hoc quæsitus est ad suspendium præco: qui correptus ingenti metu sese occultauit. Post Vasæus explicuit quo modo arcem à Gubernatoribus primo acceperit, deinde multis rebus cogentibus Antonii nomine tenuerit, sed eo semper consilio, vt ipsam ei traderet, quem Gubernatores Portugalix Regem denunciauissent. Hic Toletanus Regem Philippum à Gubernatoribus Regem Portugalix denunciatum decreto in Castromerino facto ostendit. Tunc Vasæus retulit se arcem in Regis Philippi potestatem traditurum, si modo sui milites & necessarii salui & incolumes seruarentur. Insuper litteras ab Antonio ad se scriptas aperuit, vt cognoscere-
tur præmia, quæ sibi Antonius promiserat, ne minora a Rege Philippo referret. Eam conditionem Toletanus approbauit, & de Regis Philippi liberalitate illi plura, quam sperare posset, pollicitus est. Sic arcem S. Iuliani Trifstanus Toletano tradidit. Quod Trifstani facinus nonnulli proditione notarunt, aliqui rerum ad se defendendum necessariarum inopia excularunt, quidam etiam iuris æquitate & nobilissimorum exemplo laudarunt. Toletanus validum præsidium in arce posuit, & Trifstanum apud se in honore habuit. Ac post receptam arcem mature classem è sinu Cascalis intra Tagi claustra recepit. & quidem in tempore. nam alioquin paucis diebus post acceptam arcem immoderata tempestas ab Africo & Austro commota ad Cascalis litus illam fœdissime lacerasset. Et Petrus Barbus Antonii voluntate auferens tormenta, quæ potuit, munitionem in Cauezza sicca deferuit.

Ergo vr̄bis ceruici imminentibus hostibus, ab Olyssiponenſibus iam mala omnia timeri, & direptio vr̄bis, & amiſſio claſſis, quam ex India & piperis & zinziberi & cinamomi & aliarum pretioſarum mercium onuſtam expectabant. Proinde Senatus Antonio deditio-
nem ſuadere; contra Antonius & ſuorum militum multitudine, & externorum auxilio-
rum ſpe Senatum ad pugnandum cohortari. veritusque ne qua poſthac molitio contra ſe
fieret, fluminis tranſitum & vr̄bis portas ſuis præſidiis tenuit, fretus præcipue initiatorum
hominum fide, quibus licentia militaris cordi erat. Cum vero omni ſublato commercio
res ad victum neceſſariæ nullæ, ne ab ipsis quidem colonis vicinorum agrorum in Olyſſi-
ponem vr̄bem maximam ac plenam humilium hominum inferrentur, à ſe ipſa quodã mo-
do obſeſſa ciuitas graui rerum omnium inopia premebatur. Eſt in vr̄be media mons pro-
minens, & in eius ſummo caſtellum, in cuius euſtodia Belgæ poſiti erant. caſu vero fa-
ctum vt igni teſto inhærens flammam excitaret. quam Antonius cernens, proditi-
onis ſignum eſſe credidit. ex quo elatus ſubita ira, non bene re perſpecta, non ſolum Belgas, ſed
etiam omnes peregrinos ex vr̄be expulit, vel eos, quorum opera ſibi multis in rebus uſilis
erat. Ac quoque præfectum arcis Bethlem à euſtodia amouit, quem à Toletano ad dedi-
tionem ſolicitari ſuſpicabatur. Nec Toletanus caſtra ex Oera mouerat, ſed per notos v-
trique homines Antonium multis iuſtis cauſis ad pacem adhortabatur, qui primum incer-
tus ob dignitatis ſuæ rationem, & Regis Philippi voluntatem exitit; ſed amiſſæ arces, ex-
tinctæ ſpes externorum auxiliorum, militum paucitas & inertia, multorum quoque incon-
ſtantia tandem eius animum ad pacem inclinarunt. Igitur dies colloquio dicitur in me-
dio flumine procul ab aliis, in quod cum paucis vterque conueniat. Toletanus totam no-
ctem in regia triremi moratus eſt, vt in colloquium cum Antonio iret: ſed ille nuſquam
comparuit, aut veniam à Rege Philippo desperans, aut Toletano diffidens, aut ab Ep̄ſcopo
Igzditanienſi reuocatus. Quod Toletanus grauiter tulit: atque extemplo Sancium Auila
cum M. & D. equitibus ad perſpiciendam Bethlem arcem miſit. qui M. & D. pedi-
tibus ac CCC. equitibus aduerſariorum occurrens, prælium iniuit; diremptoque pauco-
rum iactura vtrinque certamine, ad caſtra reuerſus eſt. Altero die maior militum nume-
rus è caſtris ad Bethlem emittitur: quorum pars cum aduerſariis dimicant, qui ad turban-
da opera venerant, pars tormenta contra arcem locant. Atque in primis tres maiores &
roſtratas naues, quæ iuxta ſunt, remouent; tum arcem tormentis percutiunt. quorum icti-
bus arcis præfectus perterritus ſe, & arcem tradidit, quam ante bonis verbis monitus tra-
dere recuſauerat. Sed eius confidentiam Toletanus ſuſpendio dānnaſſet, ni Alſonſus Ley-
ua interceſſiſſet. Capta arce caſtra ad Bethlem fecit: & vt claſſi liberum & ex omni parte
tutum iter Olyſſiponem vſque eſſet, turris veteris, quæ in altera parte fluminis contra Beth-
lem eſt, præfectum commonuit, vt ipſam dederet; formidinesque oppoſuit. Ille Toletani
dicto audiens fuit. Poſtea cum M. & CCC. equitibus ac M. pedibus ad contemplan-
dum caſtra Antonii, quæ à ſuis M. & D. paſſ. totidemque Olyſſipone aberant; profectus
eſt. Locus, vbi Antonius caſtra fecerat, montuoſus eſt, à Tagi litore conſenſu non ſatis
arduo ſubuectus: per quem à Septentrionibus oriens fluuius breuis, humilis, & imbr̄i cre-
ſcens inter excella & prærupta ſaxa in Tagum deſluit. Ipſæ rupes ad caput fluuii iungun-
tur, & in litus Tagi ſatis lato, ac pari ferè interuallo diſiunctæ procurrunt: ac qua deſinunt,
fluuius ponte, quem Alcantaram nomine arabico vocant, tranſmittitur. cui continens eſt
pagus, qui à ponte nomen Alcantaræ vna cum fluuio accepit. Antonius in altera ripa ca-
ſtra fecerat, & munitioibus à dextra & ſiniſtra obtexerat. nam media ripa præceps rupe
prærupta nullum accessum dabat. Pontem quoque medium tabulis & aſteribus obſtru-
xerat. Ad alteram ripam igitur Toletanus inſpectum loci naturam & aduerſariorum ca-
ſtra venit, pulſo ex itinere hoſte, qui armatus occurrerat: contemplatusque loci naturam
& caſtrorum ſitum, atque à ſpeculatoribus accipiens Antonium ad XVI. m. hominum in
caſtris habere, ſed magnam eorum partem colonorum, paſtorum, ſeruorum eſſe, nec arma
nec armorum vſum habentium, contra eius caſtra ſua designauit, ac certa quibusque loca
diſperſiuit. Ad Alcantaram pagum Italos, ſupra Italos Germanos, in ſumma & media ru-
pe Hiſpanos, ad initium rupis equitatum locari; ac tribus locis tormenta diſponi iuſſit, iu-
xta Germanos, iuxta equitatum, & in editiore tumulo prope Hiſpanos. Præterea Ba-
zāno præcepit claſſem in ipſo Tago contra aduerſariorum maiores naues atque tri-
remes inſtruere; ita vt claſſe & equitatu quaſi duabus alis totus exercitus protege-
retur. Equitatum Ferdinandus filius, Hiſpanos Santicus Auila, Germanos Hierony-
mus Lodron; Italos (nam Petrus Medices incommoda valetudine tenebatur) Pro-
ſper Columna regeret. Poſtquam omnia deſcripſit, in caſtra reuerſus eſt; ac
militum præfectis imperauit, vt ſub ortum lucis ſuum quiſque locum caperet;
& ciuit

& cum pugna signum daretur, Itali cum Germanis inferiores, Hispani cum equitatu superiores munitiones inuaderent, Franciscus Alaua tormentis aduersariorum ordines conturbaret, eodemque tempore Bazanas hostilem classem adoriretur. Et quo infirmiores ad resistendum essent aduersarii, iussit Prospero Columna CCC. Italos ad pontem prae-mittere, qui leuibus iaculationibus totam noctem hostes insomnes haberent. Hortatus insuper est, ut viros se esse meminissent, atque hanc vnam pugnam alacri animo susceperent, quae omnium laborum finem allatura esset. Postremo multis orauit atque obsecrauit, ut si Deo iuuante hostes vicissent, ac fugatos depulissent, milites ab urbis ingressu continerent: quam Rex Philippus inuiolatam, quam captam omnino mallet. ac summum supplicium in eos constituit, qui ad depredandum urbem intrassent. Deprecatusque est Deum immortalem, ut mori prius sibi contingeret, quam videre urbem a suo milite diripi. Postquam Prospero Columna CCC. milites ad pontem misit. qui paruis certaminibus Portugalenses totam noctem insomnes tenuerunt: mox albente caelo, magno impetu tabulationem, qua pons interclusus erat, perfringere conati sunt. Verum est moletrina, quae in litore Tagi sita est, recta pontem prospectans, a Portugalensibus damnis afficiebantur. quod quidam animaduertentes, superato aggere, quo aqua continetur, vi moletrinam cepere: atque hinc in proximum hortum muris cinctum intrarunt, qui ad alteram pontis partem est. Sed est castrorum munimentis, quae in consensu montis teli iactu a ponte aberant, magna aduersariorum manus irruens Italos a ponte disiecit: & contra eos, qui moletrinam & hortum occupauerant, acri Marte certabat. Interea Toletani exercitus aduenerat & suum quisque locum ceperat, cum Prospero Columnae nunciatur suos valida impressione a Portugalensibus a ponte disiectos; quosdam etiam in summo periculo versari. Prospero ad pontem cum aliquot cohortibus accurrit; suis animum addit: quos orat, ut patriae virtutis & gloriae memores splendorem nominis Italici semper apud omnes gentes & nationes illustribus nulla ignauiæ nota maculari patiantur. Itaque acrior pugna redintegratur. Itali pontis tabulationem perfringunt, & aduersarios in castrorum munimenta propellunt. At Episcopus IgditanienŒis, audita ad pontem dimicatione, suae personae ac dignitatis oblitus per vicus & plateas urbis ingenti & crebro tympanorum sonitu omnes ad arma vocat: alios minis, alios vi ad castra cogit: cuncta summo strepitu & clamore miscet. Nec Antonius, quia non induxerat in animum hostem ad castrorum oppugnationem tam cito venturum, suos ad repugnandum instruxerat. Sed & suorum multi nocte metu diffugerant, multi in urbem domus cura abierant. Cum vero Italos cum Germanis ad hostium munimenta conscendisse, & Sancium Auilam cum Hispanis ad superiores munitiones appropinquare Toletanus videret, signum pugnae sustulit. ad quod Franciscus Alaua ingentem vim ignitorum globorum tormentis in castra hostium emisit, & a componendis signis eos deterruit: Hispani, Germani, Itali in Portugalensium munimenta irrupere. Portugalenses summo metu vndique perculsi non manibus, sed pedibus salutem suam tutantes, abiectis armis sese fugae alius alio mandarunt. Illi istos cedere, fundere, fugare. Et fugientium alii in fuga feriri, alii cadere, alii vitam amittere, alii mortem inter caecos expectare. multaque a victore in victos edi crudelitatis exempla, quae furor fieri amat; ut ne suppliciter quidem petentibus animam interdum relicta sit. Tellus infecta sanguine, ac viae omnes telis, hastis, gladiis, sclopettisque constratae, & strata inter arma exanguia corpora. At tertia hora inchoata pugna, & usque ad septimam facta strages VIII. Kalend. Septembr. Ad DCC. interfecti, vulnerati plures: & quicquid circum Olyssiponem aedium est (sunt autem multa magnis aedificiis & hortis insignia suburbia) id totum direptum vastatumque est. Tantum templis & religiosarum familiarum domibus pepercerunt. Quin etiam urbs ipsa direpta fuisset, ni Ferdinandus Toletani filius ad portam accurrens, monendo, rogando, comminando, alios hostes a tergo esse confingendo milites ab irruptione prohibuisset. Post devictas terrestres copias Bazanus, qui cum pugnae signum a Toletano datum est, classem ad pugnam aptare, & in hostem agere propter recedentem maritimum aestum non potuit, accedente aestu aduersariorum classem facile deuicit. Tunc Senatus Olyssiponensis ex urbe Toletano obuiam prodiens, illi clauis urbis obtulit, ac Regis Philippi potestati & voluntati sese commisit, persuasus a Toletano ut sine pactione sese dederet, cum de pactione agere coepisset. Itaque Toletanus urbem accepit, atque incolumem seruauit. Deinde relicto in ea Ferdinando filio cum aliquot nobilibus, qui ciuitatis motibus prospiceret, ipse cum vniuerso exercitu in castra Bethlem se recepit. Antonius, qui urbem ingressus quotquot in carcere asseruabantur nocentes homines ruptis vinculis custodia liberauerat, confestimque egressus in villa sese abdiderat I X. m. pass. ab urbe, post curatum illis

vulnus, quod ex incurſu armorum in fuga ad collum acceperat, Scalabim conceſſit. Sed Scalabitani, qui primi eum Regem creauerant, tunc apud ſe retinere victum noluerunt. Ita hominum fluxa fides eſt, & cum fortuna mutabilis. Nec deſuere, qui vel incuriam, vel animum trahendi belli in Toletano reprehenderint; quod nec ante pugnam quicquam contra Antonium præceperit, cum pugnae ordinem inſtitueret, neq; illum poſt victoriam conquiri curauerit: quando is vnus totius belli ſummam ſuſtineret. Sed Toletani laudis fautores ipſum defendunt, quod ante prælium non haberet, cui contra Antonium quicquam ſpeciatiſſime committeret; eo quod ſuorum nulli notus eſſet: poſt victos vero hoſtes magna diligentia tota vrbe illum quaerit; nuſquam tamen inuenit. Poſtquam vero comperit Scalabim profugiſſe, tunc neq; paucos milites, qui ab aduerſariorum, quæ coif- 10 ſet, multitudine opprimerentur; cum præſertim ex nunciis certior fieret quatuor naues Gallorum ad Vianam, quam aliqui Viennam Callæciam nominant, appuſas eſſe, quæ Antonio milites & arma portant: neq; multos ad inſequendum illum mittere conducibile exiſtimauit, ne per quæ vaderent, loca deuſtarent. Cæterum Galli vbi intellexerunt Olyſſiponem captam & Antonium victum atque fugatum, in ſuas oras remigrarunt. Et paucos poſt dies à deuicto Antonio claſſis ab India venit, quæ non mediocri lætitia totã ciuitatem affecit. Ad cuius præfectum Antonius poſt amiſſam maris poſſeſſionem ſcripſerat, vt ipſam vel in Galliam, vel in Angliam agere: ſed eam Alſonſus Bazanus à Toletano cum XV. nauibus Setubale miſſus in itinere inuentam Olyſſiponem ſecum adduxit. Poſt aliquot 20 vero dies Toletanus intelligens Antonium Conimbricæ nouum exercitum cogere, Sancium Auilam cum CCC. equitibus & III. m. peditum, in quibus cum VI. bellicis tormentis III. Germanorum cohortes, ad opprimendum hominem miſit. Qui aduentum Sancii reſciſcens, cum iis copiis, quas contraxerat, Lauarem diſceſſit, ac vi in oppidum introrupit, & ciues tributum ferre coegit: atque inſuper aliquos vinculis, aliquos ſupplicio affecit. Tum inde nauigare in Galliam ſtatuit; ſed amicorum ſuaſionibus ab hoc propoſito retractus, iter Portum contulit oppidum in Interamne nobile, ſitum in altera fluminis Durii ripa. quod à veteribus Cale vocatum eſt. Portuenſes mœnia & ad urbem aditus, quibus Antonii aduentus erat, munierant: verum illi venienti partim metu, partim ſponte pateſcunt. Vnde ciues, qui rebus Antonii minus fauerant, portis effuſi in diuerſa loca ſeſe proripuerunt. Quorum fuga audita conſeſſim Antonius flumen tranſmiſit, & in urbem appa- 30 ratu regio acceptus introiuit: nec non magnum tributum ciuitati impoſuit; & aliquorum domos diripuit. Dein iuſſit naues omnes atque nauiculas ad continentem ripam adduci, ne qua hoſtibus tranſeundi flumen poſteſtas fieret. Præterea Episcopum Igditanienſem Odoardum Lemum & alios beneuolos ſui miſit ad comparandos ex vicinis agris & oppidis milites. Inſuper ad ciuitates de Rege Philippo, qui ægrotabat, ſcripſit, quod mortẽ obierat: vt res bello neceſſarias libentius ſuppeditarent. Interim Sancius Conimbricæ appropinquans, equitatum ad explorandos oppidanorum animos præmiſit: qui reiecto Antoniano præſidio, vltro illum in urbem exceperunt. Hinc Lauarem perrexit: & ab oppidanis ſponte receptus eſt. vbi paucos dies manſit, vt rei frumentariæ proſpiceret. dein ſingulis cohortibus iuſſis VI. dierum frumentum ſecum comportare, ad flumen Durium i- 40 ter contulit: & ex itinere miſit cum aliquot militibus, & hominib. linguæ & regionis ſcientibus impigros viros Thomam Vcedum ad capiendas cymbas, quas hoſtis conduxerat ad vicum inter flumina Durium & Tamegam XVIII. m. paſſ. ſupra Portum, & Antonium Serranum ad conquirendas alias nauiculas, quibus flumen traiceret: peruenitque ad pagum, quem Villamnouam nominant, Portui oppoſitum in aduerſa fluminis ripa. Ibi caſtra fecit, & vtrumq; collem, qui à dextra & ſiniſtra aſſurgunt, occupauit. Sed duplex difficultas eum circumuenit, & rerum, quibus famem depelleret, & cymbarum, quibus flumen tranſiret, inopia. Illa ad pugnam quamuis pugnam ſtimulabat. ſiquidem militi optabilius videtur hoſtilibus armis cadere, quam humanis neceſſitatibus interire. hæc omnem pugnandi facultatem adimebat. Vt vero cognouit VI. à Serrano ad moletrinam 50 IX. m. paſſ. à ſuis caſtris, & XVI. cymbas ad Vcedo magno ſtudio & industria ex hoſtium poſteſtate captas, conſeſſim ad Vcedum ſcripſit, vt ſecundo flumine dilabens ad ripam, quam Petram Salgadam nominant, M. & D. paſſ. à Villanoua eas appelleret, & cum nauiculis Serrani coniungeret. Contra quem Antonius cum IV. nauibus multos milites miſit, vt ab hoſte cymbas interciperent, aut labefaſtarent. At illi poſt primos tormentorum iſtus, cum labor male ceſſiſſet, retro curſum flexere, nec aduerſariorum incurſum expectarunt. Sed neque tranſitus, quoniam Durius inter prærupta faxa fluit, vbique dabatur: & hoſtes aduerſam Petræ Salgadæ ripam, qua Caſtellanos tranſitum attentaturos credebant, IV. bellicis tormentis, & IV. nauibus ad dimicandũ inſtructis, quas contra Vcedũ

missas diximus, tuebantur. Doctus tamen D. pass. supra Petram Salgadam tutiorem transitum esse, illum tentare instituit: noctisque silentio, quæ inceptum suum hostibus tegeter, eo cum exercitu ex Villanova transuerso itinere profectus est: ac partem copiarum ad Petram Salgadam misit. quibus iussit, vt aduersariis speciem transeundi præberent. atq; Vcedo imperavit v. i. nauiculas illis relinquere, reliquas aduerso flumine, quo ipse tenderet, agere. Vcedum hostes sclopettarum ictibus & è nauibus & ex altera ripa totam noctem prosequentes nequicquam turbant. Cum diei principium fuit, Sancius nauiculas militibus compleuit, & in aduersam ripam adegit. Hostes, qui in ripæ custodia erant, primo resistere; sed vbi de suis aliquos cadere viderunt, metu terga vertère. Sancius ripam tenuit: atque extemplo illis, quos ad Petram Salgadam miserat, præcepit, vt transitum propere attemptarent: se hostes à tergo adoriturum. Portuenses Sancium traicisse flumen sentientes, atq; aspicientes reliquos hostes aduersum se nauiculis ferri, metuentes ne à tergo opprimerentur, licet numero plures essent, tamen quia virtute & arte inferiores, in fuga sibi præfidium omne posuerunt. Cuius fugæ initiû ab Antonio factum est: qui nec suæ nec suorum virtuti quicquam fidens, statim post Sancii transitum primus in urbem prouolauit; ementitusque est Castellanos ad ripam victos esse. ac protinus pecuniam, quantam potuit, asportans cum suis domesticis & necessariis Vianam profugit. Sancius potitus vtroque transitu suos in montes recepit, vnde hostes ad vii. m. fugauerat. Post ad urbem agmen admouit. quod aduersarii ex oppido multis tormentis arcere conati sunt: sed maximus imber inutilia tormenta effecit. Tandem colloquii ciues ad accipiendum regis Philippi imperium induxit. Atq; illico expeditissimos equites ad insequendum Antonium in diuersas partes emisit. Per id temporis Episcopus Igæditaniensis, qui stipatus armatorum manu ciuitatibus milites imperabat, dimissis copiis, quas coegerat, salutis suæ fuga latebrisque consuluit. Idem quoque ab Odoardo Lemo factum est. Cæterum Antonius Vianæ nauim conscenderat, & portu soluerat, vt in Galliam nauigaret: orta vero tempestate reuersus in litus excederat. Interuentum autem aliquem hostium cauens, in occulta loca cum suis vitabundus concedit: sed in paucos Sancii equites de improviso incidit: è quorum manibus, dum eorum animos pecuniæ, quam multam fert, præda intentos habet, ignotus elabatur. Ac deinde vestè mutando, ac modo huc, modo illuc itinera inflectendo non semel insequentes se hostes gnauiter elusit. ac sæpe etiam ab insequendo spe pacis & deditiois retinuit. Incerea rex Philippus è morbo conualuit. at regina Anna febris correpta ex hac vita recessit, magnum sui desiderium in marito relinquens. Porro Deus mortalium lætitiâ tristitia miscet ac temperat. Pacata Portugalia Eluem aduenit. quo loci Dux Brigantinus salutatum eum venit. ipse post inuisit Catharinam Ducis Brigantini vxorem consobrinam suam in pago, cui nomen est Villaboia M. pass. ab Elue. Deinde Elue discessit: prætergrediensq; Portalegrem & Abrantem, Tomar petiit, vbi totius regni conciliû indixerat. Tomar est oppidum, quod veteres Neobantiam appellarunt, in Cistagana inter Scalabim & Conimbriam, ab hac xxxv. l. ab illa xxxi. v. m. pass. distans, in longa, sed angusta planitie: quam à dextra fluuius non longe illine oriens abluit, à sinistra colles vitibus & oliuis confiti cingunt. In quorum vnus summo, nempe eius, qui oppido imminet, templum est antiquum & augustum, ac templo iuncta ingens atq; pulcherrima domus olim militum templariorum, nunc Christi militiæ Fratrum. In huius domus primo & maximo atrio regis aulæis & peristromatis ornato Antistitum Dynastarum Procuratorum ciuitatum conuentus habiti sunt, sedente in solio rege Philippo ornatu regali. Atque in primo conuentu Antonius Pineirus Episcopus Leriensis hæc loquutus est. Inter cæteras prouisiones à Spiritu sancto Ecclesiæ, quam suo numine gubernat, significatas ad extirpandas prauas hæreses, componendos nouos motus, corrigendos malos mores semper experimento visa est optima patrum rite, & Pontificis maximi omnium principis & pastoris autoritate conuocatorum congregatio. Et quamuis conuentus à regibus, qui summum ius tenent, indicti certâ adeo Spiritus sancti præsentiam, atq; eam prærogatiuam non habeant, quam à Deo sanctis patrum conciliis datam scimus, ne qua errent in statuendis & decernendis rebus ad communem vtilitatem spectantibus: tamen de Dei bonitate, & prouidentia, quam singularem in regiorum institutione, administratione, & mutatione semper ostendit, sperare possumus, & debemus, quod Spiritus sanctus etiâ præfens aderit in regni concilio legitimi regis iussu conuocato ad consultandum de his, quæ ad veri Dei honorem, catholicæ fidei conseruationem & amplificationem, populi tranquillitatem, ocium, & commoda pertinent. Quorum sane quidem rerum causa Rex noster coegit totius Portugalix conciliû. qui statim atq; in Portugaliam ingressus est, vt regni necessitatibus & vtilitatibus prouideret, non vt dominum, sed maiorum suorum exemplo se cum Portugalensibus, vt patrem gerens,

totius regni conuentum indixit; vt ex communi confilio ftatueret quæ reipubl. maxime profutura eflent. Itaq; veftra prudētia, fide, ftudio fretus fperat fe à vobis de his rebus, quæ regni vtilitatem refpiciunt, optima mente & animo summam Dei, ac regis, & regni rationem habente commonēdum. Quantam vero nobis ipfe magnorum beneficiorum fpem dederit, indicat edictum ante regni concilium promulgatum: quo impunitatem omnibus concedit, qui vel decepti, vel inducti, aut compulsi pacem publicam violarunt, & eum de regni fui poffeffione turbare conati funt. quod edictum ingenti noftro cum gaudio ab aliis audiuius, & legimus ipfi. Vnde quo maius fuit hoc beneficium, peculiaris eius innatæ clementiæ fructus, eo magis in noftis animis confirmauit fuæ in Portugalenfes beneuolentiæ & benignitatis magnitudinem. pro qua ftudebit vos in dies maioribus beneficiis & honoribus ornare & amplificare fecundum veftram fidelitatem & obedientiam: quam fatis fibi perfuadet vos erga fe & fucceffores fuos in omne tempus retenturos. Post Pineiti orationem ciuitas Olyffiponenfis omnium regni ordinum nomine fuma cum reuerentia Regi maximas gratias egit, quod totius regni concilium conuocauerit; in quo de rebus his ageret, quæ ad Dei cultum, & regni incolumitatem ac tranquillitatem fpectant. Ipfiq; pollicita eft veterem & constantem illam fidem, qua impenfe reges fuos omni tempore coluerunt. Tum omnes regi Philippo primum, deinde eius filio Didaco regiæ ftirpis maximo abfenti, ac fi præfens efler, iureiurando fidem fuam obligarunt. Rex Philippus eorum veteres immunitates confirmauit, &, quæ ante bellum per Ducem Ofunæ obtulerat, priuilegia dedit: ac Ducem Brigantinum creauit Portugaliæ Comeftabilem; illiq; omnia reftituit, quæ bello amiferat. Poftremo omnibus, qui contra fe ftetiffent, impunitatem concessit: paucos exceptit, quos indignos venia iudicauit. Peractis conuentibus, ad componendum regni ftatum Olyffiponem abiit: vnde paucos ante dies Antonius de fperatis rebus fuis latenter euadens, in Galliam nauigauerat.

Rex in vrbem magna & regia pompa
exceptus eft.

F I N I S.

DE PORTUGALIAE
CONIUNCTIONE CVM
REGNO CASTELLÆ,

Historia

HIERONYMI CONESTAGGII, PATRITII GENUENSIS, 40
diuifa in decem libros, & ex Italico fermone in Latinum conuerfa.

SERENISSIMO DVCI, ET
ILLVSTRISSIMIS GVBERNATORIBVS
Reipublicæ Genuenfis, HIERONYMVS CO-
NESTAGGIVS. S.



VRA omnium maximæ, quæ Principum mentes exercent, se- 50
renissime Dux, & illustrissimi Domini, confiftunt in conferuan-
dis, & partim industria, partim vi augendis ditionibus, quas pos-
fident: cumque hi capita fint reliquæ multitudinis, nosque illis
propter fuos quisque fines libenter adulemur: nemo eft, qui li-
beraliter natus, & educatus fit, quin addifcere cupiat eas artes,
quibus adhuc finem peruenitur, vt eo commodius in beneuo-
lentiam eorundem infinuare fe fe poffit. Sed maiori cum ftudio,
quam reliqua omnia fubditorum genera, his cogitationibus in-
cumbere, par erat ciues Rerumpublicarum, quæ fuperiorem non agnofcunt, qualis eft
hæc

hæc Genuensis. Præterquam enim, quod hanc ob causam in pretio sunt (per vices enim ordo ipsos tangit, vt in magistratum numerum cooptentur) videntur non minus, quam Principes, Reip. tanquam rebus suis priuatis, inuigilare debere. Accedit, quod nos eo vehementius Reip. nostræ, quam reliquos subditos imperii suorum principum conseruationem expetere par est, quo maiori cum damno coniuncta est iactura libertatis, quam domini mutatio. Et quamuis tua Serenitas, & Illustrissimæ vestræ Dominationes ea prudentia, & vigilantia sint, quam gubernatio amplissimæ huius Politicæ requirit: tamen, cum historia vera sit huius artis magistra, non videtur mihi operam ludere, qui ad vtilitatem patriæ res gestas aliarum nationum describit, vt Respublica alienis periculis edocta sese conseruare, & intestinis corruptelis mederi discat. Hic est finis, qui me, cum essem in Portugallia, mouit, vt scriberem bella, & reliqua, quæ circa vnionem huius regni cum corona regis Catholici accidêrunt: & si me amor operis non fallit, raro fortassis spacio quatuor tantum annorum contigerunt tot, & tam varii casus, quales hîc leguntur, & quos effectus tanti momenti securus sit, qualis est formæ huius regni, ante quadringentos annos fundati, intra adeo breue tempus mutatio. Fateor quidem me à studiis, quæ deserui, parum subfidii habuisse ad historiam hanc ita, vt meretur, componendam: Sed quia ego hinc nec gloriam, nec commodum spero, nec alium splendorem illi conciliare cupio, quam qui à nobilitate argumenti, & à rigore veritatis proficisci potest, hanc, veritatem inquam, loco fundamenti posui, eamque summa cum diligentia inuestigauit, parum interim curans illos, qui adeo delicati sunt, vt inter mille laudes ne vnicum quidem næuum suum audire sustineant. Sane hos homines probabile est ignorare (quandoquidem humana imbecillitas ad possessionem virtutum purarum non potest peruenire) minus credibiles, imo de mendacio suspectas esse illas laudes, quæ alicui, nulla admixta reprehensione, tribuuntur. Serenitas, & illustrissimæ dominationes vestræ boni consulant animum sui ciuis, qui patriæ conseruationem, & amplificationem omnibus votis expetit.

LECTORI HIERONYMVS CONESTAGGIVS.



I accusari, & culpa reum esse, idem esset, nemo innocens foret: & ideo non debet reprehendi, qui sese aduersus aggressorem defendit. Simulatque (benigne Lector) prima huius historia Portugallie impressio in lucem prodiit, multi aliena gloria detrahendi auidi, satis aspere me calumniati sunt, accusantes me in genere, tanquam parum gentis Portugallica amantem, & in specie tanquam nimis acrem censorem actionum incolarum huius regni, & eorum, qui ibi publicis muneribus functi sunt. Quamquam autem eum, qui, quæ nostro tempore in totius mundi teatro geruntur, describit, necesse est malignitatem, & ineptias multorum boni consulere, præterquam etiam, quod omnibus satisfacere difficile est: tamen tolerabilius fuisset, si aliqui iniuste me mordere satis habuissent, nec adfectibus indulgentes operam dedis-

sent, vt huius libri quantumuis ab inquisitoribus approbati, vsus in tota Hispania vetaretur. Et si igitur sciam multos iudicio præditos, & veritatis amantes huius scripti patrocinium suscepisse: iudicauit tamen non abs re fore, si in hac secunda impressione breuiter innocentiam meam ostenderem. Quamuis etiam ad has duas calumnias reduci possint multa alia, quas inuenerunt: constitui tamen sigillatim respondere ad ea, quæ refutatu digna mihi videbuntur, præsupposito hoc solido fundamento, veritatem & diligentiam esse spiritum, & vitam historie: quandoquidem certissimum est, non posse ista duo negligi, quin grauissimum & utilissimum omnium, quæ in orbe terrarum sunt, scriptionum genus in vanissimum, & perniciosissimum transformetur. Quare si ideo accusor, quod vere, & diligenter scripsi, plane nego me esse in culpa, quia sine culpa emendare me non possum: imo velim omnes scire, me non scribere, nisi iis lectoribus, qui intelligunt, quanti aestimanda sit & historie veritas, & historici fides. Ante omnia considerandum est mihi sorte quadam obligasse describendas res illius regni, quæ acciderunt: spacio quatuor infelicissimorum annorum, qui septuagesimum septimum subsecuti sunt, nec æquum esse, vt illi, qui me ad imminuendam Portugallorum existimationem propensum fuisse dicunt, ex conditione temporis sinistrum de animo scriptoris iudicium faciant, aut ideo illum parti victrici nimis

addictum esse suspicentur, quandoquidem in rebus bellicis non magnopere laudari potest, qui succum m-
bit, imo qui patitur se vinci, debet etiam aequo animo pati, si dicatur eum victum fuisse, & amissionem
victoriae simul cum vituperio, quod inde nascitur patienter ferre. Hoc vero tam exacte obseruauerunt an-
tiqui, quorum exemplum libens imitor, ut si Linius inchoasset, & absoluisset historiam suam in victo-
riarum Hannibalis progressu, pro Carthaginensi haberi potuerit: & Iosephus quando calamitates Iu-
daeorum, & triumphos Titi describit, Romanus videtur. Iam vero mihi duo praelia, quorum in altero
Portugalli regem, in altero regnum suum amiserunt, & pugnam naualem, iacturamque insularum
Tercerarum, describenti qua. quaeso, culpa imputari potest, si Portugallus non videor? Sane etiam si ef-
fem, non deberem tamen videri: aut quomodo possum ego hanc lugubrem historiam in panegyricum
conuertere, celebrando fortitudinem victi? Non dubium est, si ego incidissem in descriptionem re-
rum ab hac natione gestarum, ex quibus apparet, quam illa ad arma, & ad res arduas suscipiendas a-
pta sit, ut sunt victoriae, quas obtinuit prope Alinbarottam, & Trancosum contra Castellanos, occu-
patione diuersorum locorum in Africa, stupendae navigationes, & felices progressus in Asia, quae om-
nia etiam in hac historia breuiter, quantum loci ratio ferebat, attigimus: non dubium est, inquam, me
non magis quidem veridicum esse potuisse, quam sim, sed tamen Portugallos longe libentius me fuisse
audituros. Ceterum homines iudicio praeiudicati eodem cum adfectu audiunt lucra, & damna, vituperia,
& laudes, quando vera sunt.

Itaque sine controuersia dicere possumus, de inclinatione scriptoris non iudicandum esse ex ar-
gumento, quod tractat, siue gratum, siue exosum sit nationi, de qua scribit, sed tantum ex studio veri-
tatis, & ex fide, quam proficitur. Oportebat etiam aduersarios meos considerare, historicum non face-
re iniuriam alicui nationi cum describit proprietates naturales, quas ipsi infundit caelum, à quo regitur,
aer quem spirat, & aqua, quam bibit: maxime quando huiusmodi qualitates nihil vile redolent, sed sunt
excessus virtutis. Exempli gratia: si aliquis ad imitationem Iulii Caesaris scriberet, Gallos in principio
esse impetuosos, sed temporis progressu relanguescere, ille non propterea statim dici posset hostis, aut con-
temptor potentis illius, & bellicosae nationis: & si aliquis diceret, Hispanos esse arrogantes, ille non sta-
tim negaret nomen, & res gestas illorum toti orbi terrarum innotuisse. Sic etiam non offenderet ali-
quis Portugallos, si diceret illos eo ingenio esse, ut magnifice de se, & rebus suis sentiant, quia nec nega-
re hoc possunt, nec tegere volunt: imo ipsi dicunt se viuere ex opinione, hoc est, se sustentari potius eo,
quod se esse putant, quam eo, quod reuera sunt. Debuissent etiam censores mei animaduertere, me non
iniuriam esse in Portugallos, quando dico inexpertos non curare pericula, quae procul absunt, & propin-
qua timere, nisi fortassis conditionem humanam plane velint exuere, contra omnem rationem impe-
ritiam experientiae aequiparando. Praeterea scire velim, cur mihi non liceat sine metu reprehensionis
vere narrare infortunia, & calamitates Portugallorum, & mutationem formae illius Regni, si indige-
nis licuit scribere multa alia, parum laudabilia, sine vlla inhumanitatis nota? Quando in Lusitaniam
manu armata venit Henricus rex Castelle nobilis, & à sinibus Galitiae Lisybonam vsque populabun-
dus, & omnia in potestatem suam redigens progressus est, nec rex, Ferdinandus vlllo modo ipsi resistere
potuit, an non hoc longe turpius fuit, quam quidquam eorum, quae ego scripserim? Legantur annales
Ioannis secundi, regis nati sanguine regio, grati, & pacifici: videantur coniurationes, quae à Proceribus
& nobilibus regni contra ipsum initae fuerunt: ita ut pugione vindictam exigere, & publice aliquot ex
primariis capite plecti iubere cogeretur. Et hoc nonne fuit cum dedecore nationis coniunctum? Et fre-
nim nonnulli dicunt Regem nondum in paenis excessisse, & natura seuerum, nimisque vindictae fuisse
cupidum: tamen non desunt alii, qui illum inter sanctos numerant. Sed ut ut sit, meum non est de hac re
iudicare. Sane liber ille imprimitur, & venditur Lisybonae, ubi historia mea, quae de rebus tam ar-
duis tamen non agit, summe est exosa. Quod vero ad nonnullos priuatim attinet, nec illi quidem in-
re me insimulare possunt, quasi immodeste de illis locutus sim, aut affectibus aliquid hac in parte tri-
buerim: & credo ipsos facile hoc animaduersuros fuisse, si aut attentè totam hanc historiam perlegissent,
aut solidam linguæ Italicae cognitionem haberent. Verum cum illi aures praebeant relationi eorum, qui
studio ipsis assentandi omnia scripta reiciunt, quae ab adulatione non sunt corrupta: non mirum est, si
sibi persuaderi patiantur, me nec honorificam, nec ab affectibus liberam eorum mentionem fecisse.
Sed ut contrarium appareat, dicemus animaduertendum esse, de vitiis, quae Rebus publicis, & moribus
hominum plerumque insunt, idem statui posse, quod de iis, quibus nationes ut plurimum laborant, quia
non adeo deformem maculam aspergunt, ut propterea regenda sint, & semper conditionem, ac statum
personarum comitantur. Quare si quis de iuvene, nobili loco nato, verba faciens, diceret eum esse pra-
cipitem, iracundum, amoribus deditum, aut arrogantem, non statim illi iniuriam faceret. Nam pra-
terquam quod hi affectus nihil vile redolent, sunt etiam tales, ut plerumque iuuentutem, ac nobilita-
tem comitentur. Eodem modo aulicus aliquis minister, Principi acceptus, aut qui primum gratia lo-
cum tenet, non debet agre ferre, si dicatur esse suspiciosus, circumspectus, ambitiosus, tempori inserviens,
in suis rebus vigilans, alienarum negligens: quia haec sunt propria eorum, qui apud Principes gratiosi
sunt. Quare cum ego simile aliquid attingo, aequum non est quenquam sani iudicii magis hanc ob rem
conqueri,

conqueri, quam si aliquis illum cholericum, aut phlegmaticum appellaret: (sunt enim certa proprietates naturales, ut sunt etiam humores, & temperamenta) praesertim quia ego, quoties mentionem facio huiusmodi circumstantiarum, quae cum dedecore aliquo coniunctae videri possunt, etiamsi sint publice notae, tamen iudicium suspendo, attribuens culpam emulationibus aularum, aut emulorum ambitioni: & illi, quibus haec mitigatio non satisfacit, aperte demonstrant sese requirere manifestam assentationem: sed frustra laborant, ad me quod attinet. Adulationem enim in historico eodem loco habeo, quo peccatum Idololatriae. Porro nonnulli adeo delicati sunt, ut notent, tanquam excessum, si de ministro aliquo regio dicatur recte, maleuolos ipsum calumniari propter aliquam actionem secretam. Talibus non potest responderi, quia non satisfacio ipsis, quando maleuolos, aut adfectibus obnoxios voco eos, qui alios vituperant, quando insimulationes voco calumnias, quando, quod alii pro certo affirmant, ego in dubio relinquo, accusationes quodammodo mitigans. Alii conati sunt hominibus persuadere, me in relatione de iure regni non obscure in partes regis Philippi inclinasse: his non habeo, quod respondeam, nisi ut caueant, ne eiusdem criminis insimulent diuinam providentiam, quae è medio sustulit viginti successores huius coronae, qui omnes Philippum antecedeabant. Sed velim istos mihi respondere, num in hac historia, in qua tamen nec Bartolos, nec Baldos allegare conueniebat, omiserim vllum alicuius momenti argumentum, quod à competitoribus allegatum fuerit, & an non potius ea, quae ipsi partium Advocati, diligentia illud explicauerim? Scrutentur, num aliquid praetermissum fuerit, quod pertineret vel ad praesentationem Ducissae Catharinae, vel ad transmissionem Reinutii Farnesii, vel ad praecedentiam Philiberti, ducis Sabaudiae, si forte Henricus Philippo superstes fuisset, vel ad electionem, quam subditi sibi competere dicebant, vel ad spem quam hac in re Antonius ponebat, vel ad legitimitatem, quam idem prae tendebat, vel denique ad illa, quae à regina Catharina Medicea contra undecim Portugalliae reges allegabantur. Iam si omnia illa, quae tam prolixè à me narrata fuerunt non potuerunt efficere, quin rex Hispaniae sit cognatus natus maximus, mas, & legitimus, quem Henricus moriens reliquit, quid mihi hic imputari potest? Si nemo est, qui sibi persuaderi patiatur minus virium, & minus efficacia habere in Catharina masculinitatem patris sui, quam in Philippo suam propriam: nec regi tantum nocere imperfectionem à matre in ipsum derivatam, quam Ducissa illam, quae ipsius persona inheret, quid ego hic praestare possim? In aperto est, quia simpliciter hoc ius, ut & alia, retuli, ne iudicio quidem meo exposito, me, tanquam alicui parti, praeter ceteris addictum, insimulari, quanquam ab iis solum, qui ipsi partibus student: idque propterea, quod animaduertent illos, qui aliter adfecti sunt, existimare hoc ius fortassis meliori, quam reliqua fundamento niti.

Non licet mihi in hoc loco pluribus de istis rebus agere: & credo ea, quae dicta sunt, sufficere omnibus libere iudicantibus ad cognoscendam innocentiam meam, & malitiam, aut ignorantiam aduersariorum. Sed praeterea etiam peto ab illis, qui me non esse scriptorem, ad mentiendum conductum, agnoscunt, ut perpendant me Italice scripsisse Italiam, qui non plene substantiam historiae intelligere potuissent, nisi ipsos de conditione eorum quos non nouerant, paulo diligentius edocuissem. Rem vero ita se habere, inde facile elucescet, si scriptor aliquis Lusitanus in Italia lingua sua, & patria sua describat tum multus alicuius ciuitatis Italiae: nam ille, si à Lusitanis velit intelligi, facile videbit sibi multo exactius, quam ego fecerim, depingendam esse conditionem capitum, & membrorum principalium illius prouinciae quam describit. Sed si omnia haec non sufficiunt, Deum Opt. Max. testem ac iudicem voco sinceritatis animi mei, & fidei, quam in scribendo religiosissime adhibui.

DE PORTUGALIAE
CONIUNCTIONE CVM RE-
GNO CASTELLÆ HIERONYMI CO-
NESTAGGII, PATRITII GENVENSIS.

Liber Primus.

A R G V M E N T V M.

*In hoc libro continetur origo, & descriptio Portugalliae, cum ditionibus recens acquisitis: vita regis
Sebastiani: prima illius navigatio in Africam: quomodo Rex Catholicus, & rex Portugalliae conuenerint
Guadalupi: apparatus bellici Lisybona ad expeditionem in Africam suscipiendam: discessus regis cum
classe, & exercitu.*



ESCRIBENDVM suscipio regni Lusitaniae statum ab illo in-
de usque tempore, quo Rex Sebastianus primus cum ingenti
classe in Africam ad bellum Mauris Tingitanis inferendum
traiecit, donec illud regnum, post varios labores, auspiciis
Philippi secundi, regis Castellae, cum reliquis Hispaniae pro-
uinciis coniunctum fuit. Argumentum autem hoc magno-
pere ad res communes pertinet, propter potentiam, qua tan-
tus Rex auctus fuit: & dignum est consideratu propter varie-
tatem casuum, & rerum, quae breuissimo temporis spacio, &
quidem contra communem hominum expectationem con-
tingerunt: denique vtile propter exempla, quae nobis ob oculos
ponunt partim incostantiam rerum humanarum, partim pe-
ricula, quae principes, & populi inconsultis, & temerariis conatibus sibi accersunt. Puto
autem me posse haec omnia sincere & vere narrare, quippe qui & maxima ex parte rebus
ipsis ipse interfuerim, & reliqua ex hominibus fide dignis audiuerim. Accedit, quod vaco
iis adfectibus, qui plerumque scriptorum libertati obstare solent. Nam nec ex vlla harum
provinciarum oriundus, nec regis, aut principis cuiusquam subditus sum. Antequam au-
tem ad initia bellorum describenda accedam, existimo me recte facturum, si prius aliquid
de huius regni situ, principio, rebus gestis, & similibus, breuiter commemorem: vt, quo-
niam interitus illius mihi describendus est, etiam origo eiusdem, & quibus artibus au-
ctum, conseruatumque fuerit, quomodo, & quando decrescere coeperit, & quo pacto tan-
dem pristinam formam mutauerit, intelligatur.

Portugallia, est pars Hispaniae, sita in extremo littore maris Oceani. Fines eius sunt, ab
Oriente regna Castellae: ab occidente Oceanus: a septentrione Galitia: a meridie mare At-
lanticum, & Baetica; quae iam Andalaria vocatur. Hodierno die diuiditur in sex partes,
quas vernacula lingua vocant Comarcas: nimirum in ditionem, quae est ultra Tagum, in
Extrematuram, in eam, quae est intra Durium, & Minium (haec pars vna cum regione, quae
Coimbram usque pertingit, est vetus Lusitania) in Beiram, quae post montes est, & in Al-
garbium, quanquam haec postrema etiam regni nomen sortita est. Continet in circuitu
octingenta & quinquaginta miliaria: quadringenta secundum oram maris, & reliqua fe-
cundum fines mediterraneos) & ideo figurae est longae & angustae. Habet octodecim ci-
uitates, multa oppida maiora, & minora ultra quadringenta, & septuaginta. Tres harum
ciuitatum habent Archiepiscopos: videlicet Braga, Olyssippo, & Eborae: quorum primus
non tantum spiritualement, sed etiam temporalem iurisdictionem obtinet. Nouem vero ex
illis Episcopali dignitate insignes sunt, Coimbra Lameca, Viseum, Portus, Miranda, Por-
talegre, Guarda, Leira, & Eluae: Reliquae quinque Episcopis carent: videlicet, Praganza,
Taura, Lacobriga, Farus & Siluesium: quarum quatuor postremae sunt in regno Algar-
bii:

bi: à quo deinde alius Episcopatus, sub quo illæ omnes simul comprehenduntur, nomen suum accipit. Interluunt regnum complures fluuui, quorum duo sunt celeberrimi, Tagus & Durius, ille muros Olyssipponis alluit, & sex aut septem inde miliaribus in mare influit: iste prope urbem Portum præterfluens duobus infra eandem miliaribus itidem in Oceanum se exonerat.

Hi duo fluuui ab ostiis suis vsque ad vrbes, quas prætergrediuntur, non sunt amplius fluuui, sed potius maris sinus, & tutissimi, multarumq; & magnarum nauium capaces portus, per quos, aduerso flumine, longissimo spacio nauigari potest, & præcipue per sinum Olyssipponensem: in quem vasta nauigia per quindecim, & viginti etiam miliarium spaciū ingrediuntur. Præter hos duos est portus Setubal, qui viginti miliaribus Olyssipponem Austrum versus distat: ad cuius fauces turricula quædam ædificata est: & in eum locum multis etiam nauibus aditus patet. In regno Algarbii sunt Taura, Lacobriga, & Villanoua, portus mediocres, præter hos nonnulli alii minores, & apta variis in locis ad appellendas naues littora. Situm est hoc regnum loco commodissimo, in medio multorum magnorum regnorum, & tum ad antiquas, tum ad recentiores nauigationes idoneo. nam, facie versus occidentem conuersa, à dextra habet Galiciam, Biscam, Galliam, Angliam, Germaniam, & reliqua regna Septentrionalia: à fronte insulas accipitrum, (quæ aliàs Terceza nominantur) insulas fortunatas vna cum Indiis Occidentalibus: à sinistra Andalu-ziam, & fretum Herculeum, per quod in mare mediterraneam, & inde in Italiam, & Græciam nauigatur.

Relicto vero freto, si à sinistra Africam circumnauiges, plurimæ inueniuntur regiones, & populi plurimi incogniti, vt constat, antiquitati, quæ zonam torridam credidit esse inhabitabilem: ex quibus locis omnibus Olyssipponem appellant naues pretiosissimis mercibus onustæ, in primis ex Indiis Orientalibus, quas vt mox dicemus, Lusitani imperio suo subiecerunt: vt omittam mercimonia, quæ cum regnorum Castellæ, ipsis à tergo contiguorum incolis exercent. Omnium urbium princeps est Olyssippo, à qua dependet, & rebus necessariis instruitur totum Regnum: est populosissima, ita vt multi credant eam reliquas totius orbis Christiani ciuitates incolarum numero superare. Habet aerem saluberrimum, & mire temperatum: distat ab Æquinoctiali triginta nouem gradus: fluxum aquarum, & refluxum (qui in toto illo littore, & sinibus maris maximus est) semper aqua quedam comitatur, & calorem mitigat. Situs eius, nec totus planus, nec totus montosus est. Distribuitur enim in quinque colles, inter quos valles, & planities quædam vsque ad flumen extenduntur. Olim muris cinctæ fuit: quorum, vt & portarum, rudera adhuc conspiciuntur: sed quia progressu temporis valde amplificata fuit, fit, vt suburbia, & vici, qui extra muros sunt, pene ipsam urbem magnitudine vincant. In colle omnium altissimo arx est: vestigi admodum operis, non munita vlla alia re, quam ipsa loci altitudine: non habet militem præsidarium, sed tantum nobilium, si qui forte in carcerem ducantur, custodia inierit.

Ad ostium Tagi, in eodem, in quo vrbs sita est, littore extructum est propugnaculum noui operis, quam arcem Diui Iuliani appellant, portui tuendo. Fructus, quos regio producit, bonitate antecellunt fere omnibus, qui in locis circumuicinis nascuntur: & quamuis incolæ non tantum frumenti ex agris suis percipiant, vt ipsis ad victum sufficiat: tamen ex Gallia, & Germania, quantum opus habent, importatur. Totum regnum hodie est valde populosum, plenum Proceribus, & nobilibus, & multa in eo nauigia extruuntur ad nauigationes in diuersas mundi partes instituendas.

Præter equites Diui Iacobi, & Alcantaræ, siue sancti Benedicti (quos à loco quodam Equites Anisi vocant: illi cruce rubra, hi viridi, more Castellano, vtuntur) eo tempore, quo Templarii exterminati fuêrunt, ex eorundem redditibus alium instituerunt ordinem equitum, quos Equites Christi vocant. Sunt autem cruce rubra (quæ in medio alba est) insignes, & sacramento ad bellum contra infideles gerendum obstringuntur. Alexander sextus, summus Pontifex, ipsis potestatem vxores ducendi postea concessit: & quia reges nouis redditibus illos donârunt, nobilissimi quique in illum ordinem ascribuntur: quanquam verum est, interdum etiam receptos fuisse homines obscuro loco natos, & eo honore indignos. Magna pars huius ditionis olim regno Castellæ cohærebat: sed anno ab aduentu seruatoris millesimo, centesimo, & decimo, cum ibi rerum potiretur Alfonsus sextus, pars Septentrionalis inde auulsa fuit. Alfonsus enim eam sub pacto tributū annui in dotem dedit Henrico, vni ex nepotibus Comitum Burgundiæ, & Vefontione oriundo, cum ille eiusdem Regis filiam notham, Taresiam nomine, vxorem duceret. Venerat autem ex Gallia cum Reimūdo Comite Tolosæ (qui postea Comes Galiciæ factus fuit) auunculo suo, vt

interesset bello, quod tum temporis Castellani gerébant aduersus Mauros, qui Hispaniam occupauerant.

Quaquam autem huius Comitis originem alii ex Hungaria, alii ex Arragonensi regno, alii ex aliis locis deriuant: tamen ea, quam recensui, opinio probabilior est. Sane regum origini, & profapia vsuuenit id, quod magnis fluminibus, quorum ostia nota sunt, scaturigines ignorantur. Erat eo tempore Lusitania obscura, inculta, pauper, & angustiis finibus inclusa: verum Alfonso Henricus filius primi huius Comitis, strenue rem gerens Mauris multa loca extorsit, & eorum accessione ditionem suam amplificauit. Cum autem eosdem insigni praelio in campo, quem Outiche vocant, superasset, ab exereitu Rex saluatus & victoriam prosequens, cepit Sanctarenam, & Olyssipponem, atque ita possessione stabilita, regii etiam tituli confirmationem à Papa Alexandro quarto, sub conditione exigui tributi quotannis pendendi, obtinuit. Alia etiam ratione non minus auxit regnum rex in ordine quintus, nomine Alfonso tertius. Nam etsi in vxorem duxisset Matildem, Comitissam Bononie, in Picardia, antequam ad regnum peruenisset: tamen simul ac sceptrum adeptus est, sponte sua, & sine causa, priori vxore repudiata, secundas nuptias contraxit cum Beatrice, filia naturali Alfonso decimi, regis Castellæ cognomento sapientis, vt ab illo regnum Algarbii, dotis nomine, obtineret. Prolatis itaque fere eo vsque, vbi hodierno die sunt, finibus, debellatisq; Mauris, qui illorum arma exercuerant, postea Lusitani cum Regibus Castellæ, (quaquam ab iis ditionum magnitudine superarentur) bella gesserunt, idque tam sæpe, tantaque cum obstinatione, vt istæ nationes, quæ in eadem prouincia habitant, quæ ab vno eodemq; quasi stipite descendunt, quæ deniq; eadem lingua vtuntur, in mutuum illud, idemque capitale odium exarserint: cuius etiam hodie vestigia manifesta (quaquam minora in Castellanis, quam Lusitanis) conspiciuntur, Etsi vero vltima ista bella Lusitanis, non tam vtilia, quam honorifica fuerunt: tamen non parum ipsis hoc nomine profuerunt, quod perpetuum armorum studium in causa fuit, vt non tantum inter ipsos disciplina militaris conseruaretur, verum etiam ne sese otio dedecent, & voluptatibus, quæ sunt regnorum hostes capitales.

Neque etiam deinceps quieuerunt: sed, vtpote armis tractandis assueti, denuo sub Iohanne primo inclarescere, & instinctu Henrici, filii eius Mauris aliquot Africae loca vt eripere tentarunt: qui conatus tam feliciter ipsis cessit, vt progressu temporis occuparunt in Mauritania Tingitana, Septam, Tingim, & Arzilam (hæc est antiqua Zilia) & alia quædam oppida, quæ postea partim amiserunt, partim sua sponte Mauris occupanda reliquerunt. Inter hæc & Arzilam: propterea quod magni, iique inutiles sumptus iis defendendis impenderentur. Tantum retinuerunt duo priora, & inferius versus Occidentem extruxerunt Mazagonem, idque eo, quod hæc tria loca ad ipsas freti Herculei fauces sita, & eam etiam ob causam, Hispaniæ scuti instar sunt, quippe quæ ab eius vicinia Mauros submeueant. Superioribus successibus impulsu cœperunt aspirare ad altiora, atq; ita Insulam Maderam, non procul inde distantem, & insulas Terceras (quæ Vlyssipone octingenta, & quinquaginta miliaria distant, & in quadragesimo gradu sunt) antiquis ignotas, & tum temporis incultas, & desertas detexerunt, & colonias eo deduxerunt.

Neque his contenti (imprimis Henricus, de quo diximus) sed adhuc maiora sibi tentanda arbitrati (quaquam spes ipsorum minores tum temporis erant, quam successus postea fuere) cœperunt Africam per Oceanum nauigando circumdare, & nouas terras, nouasq; sedes querere: cumque spacio multorum annorum fere totum illud litus perlustrassent, tandem eo vsque prouecti fuerunt, vt in alterum Hemisphærium delati, vniuersam Æthiopiam viderent. Etsi vero Alfonso quintus, rex duodecimus, bellum aduersus Castellanos redintegrauit, illi tamen in continuando nauigationum cursu, idque magno cum suo fructu, perseverarunt. Facta vero pace cum rege Ferdinando Catholico anno 1479. plus otii ad nouas regiones inuestigandas, & occupandas adepti sunt. Et est res notatu digna, quod in capitibus pacificationis diserte expressum fuit, pacem fieri in centum, & vnum annos posito, vt solet, tempore finito pro infinito. Nam fuit reuera vaticinium, quia illa pax præcise totidem annos durauit, & tot anni intercesserunt inter illud bellum, & inter hoc, quod iam describere instituo. Tam egregie verbis in illa pacificatione expressis euentus ipse respondit. Valde iam creuerat regnum incolarum numero ac diuitiis: longe vero impensius postea creuit, cum anno 1482. Ferdinandus, & Isabella reges Castellæ ex imperii sui finibus eiicerent Iudæos. Horum enim ingens numerus à Ioanne secundo (qui Alphonso quinto successit) licentiam in Lusitaniam sese recipiendi obtinuit, hac lege, vt octo ducati in singula capita soluerentur, & vt elapso, quod præscriptum erat tempore, Rex ipsis discessuris naues concederet. Quibus pactis interpositis

(quæ

(quæ tamen postea parum sincere seruata fuerunt) circiter viginti millia familiarum Iudaicarum, quarum singulæ decem amplius capitibus constabant, in Lusitaniam migrarunt. Finito vero tempore, quod discessui dictum erat, multi ex illis, qui nondum naues conscenderant, in seruitutē redacti, & vinculis mancipati fuerunt: multi etiā, ne vel abire cogerentur, vel exuerentur bonis, baptismum receperunt, ut & plurimi eorum, qui in regno Castellæ remanserant: ita ut, sub nomine Christianorum nouorum maxima ex parte in Lusitania substituerint, idque incogniti, quia nulla nota insignes erant: & deinde affinitate, beneficio diuitiarum suarum, cum regni nobilibus contracta, paulatim pro ciuibus, & indigenis sese venditare sategerint. Quamuis autem in recipiendis nouis hisce veluti coloniis in præcepta Politica peccatum fuisse videri queat, eo quod hæc gens tum origine, tum religione vehementer ab incolis reliquis discreparet, & cum iam ante numerosa esset, temporis progressu crescere, & ingens dissidium facile excitare posset: tamen hæc res fiscum regium non mediocriter auxit. Sub imperio postea Emanuelis, regis decimi quarti, qui regnare cœpit anno 1495. maiori cum feruore, & etiam quiete recentibus navigationibus inuigilarunt. Cum enim Castellanorum potentia magna accessione aucta, & inter ipsos, & Lusitanos ex recentibus matrimoniis, & adfinitatibus amicitia & concordia nata fuisset: neque hi amplius contendere sunt ausi: & illi hos missos faciendos esse censuerunt. Quoniam igitur maiores, diu multumque Africæ littus legentes propugnaculum Arginense ædificauerant, Insulas Hesperidas (quas iam capitis viridis Insulas appellan) imperio suo subiecerant, in Æthiopia arcem S. Georgii (quam Minam vocant) ædificauerant: Insulam Principis, & sancti Thomæ (quarum posterior perpendiculariter sub æquinoctiali sita est) & alias nonnullas Insulas minores circumuicinas occupauerant: præterea, iuncta cum regno Congensi, & Angollensi (quorum incolæ sunt Æthiopes) amicitia, Caput bonæ spei, & insulam sancti Laurentii prætergressi, è regione illius Soffallam, Mozambicam, & Melniden (quæ sunt in continenti) partim amicitia contracta, partim etiam vi, prout incolarum ingenia erant adhibita (quanquam postea fixo nonnihil pede, vi plerunque rem gesserunt) in potestatem redegerant: sub rege Emanuele demum mare rubrum præterierunt, & institutis Socotræ, & Calahiatæ commerciis, sinum maris Persici, & Indii fluminis ostium præteruecti, & in Indiam primum sub prætextu mercimoniorum, & paulo post vi aperta ingressi, in regno Calicuti, Cochini, & locis circumuicinis pedem posuerunt: Sed nusquam firmiter, quam auspiciis Alfonsi Albuquerque, celeberrimi ducis, in Goa, quæ est insula Regni Accem, vicina regioni Idalcami, & hodie est ciuitas Archiepiscopalis, caput omnium eorum regnorum, & sedes viceregis. Atque inde postea progressi vltius, hinc inde parua quædam propugnacula extruxerunt: quinimo etiam retrogredientes vsque ad Ostium sinus Persici, Insulam Armuzium occuparunt, & in eo littore multa loca, ut Chaul, Damane, Bazani, & Diu subiugarunt. In Promontorio Malabaris (quod vocant Caput Comeris) versus sinum Gangeticum, negotiantur, & arcem habent in Insula Zeilan, quam aliqui antiquam Taprobanen esse putant, vbi nascitur optimum omnium cinamomum. Inde versus orientem præteruecti eum, quem dixi, sinum, & ostium Gangis, inueniunt alterum littus, in cuius Isthmo (quam antiqui auream Chersonesum vocabant) occuparunt urbem Malacam, distantem 25. miliaribus à magna illa Insula Somatra, quæ & ipsa à multis pro Taprobane habetur: & inde progressi vltius partim negotiando in regno Peru, & aliis regnis in continenti sitis: partim nauigando, inueniunt minorem & maiorem Giuam, Regnum Sinarum, magnum archipelagus Insularum Molucarum, vnde Caryophyllon, moscocaryon, & multa alia aromata aduehunt, denique Insulam Iapponem: & tandem eo vsq; penetrarunt, ut obuios ibi habuerint Castellanos, qui regiones occidentales, à Christophoro Columbo Genuensi, sumptibus & auspiciis Regum Castellæ nuper detectas, inuestigabant: atq; ita per harum duarum nationum navigationes vniuersus mundus circumdatus fuit, & Oriens cum occidente coniunctus. Occuparunt etiam tempore eiusdem Emanuelis è regione Æthiopiæ, & Capitis bonæ spei prouinciã quæ Sanctæ Crucis vocatur, & vulgo Brasile, regno Peru contiguam, quæ secundum littus in mille quingentorum miliarium longitudinem extenditur: sed in mediterranea loca non multum penetrarunt. Hanc in octo partes tribuerunt, quas vocant præfecturas, quæ salua maiori ex parte Regis Iurisdictione, fere omnes concessæ fuerunt illis, à quibus & subiugatæ fuerant. Etsi autem aliquandiu hæc prouincia fere inutilis futura esse videretur, atque ideo iudices causarum capitalium è Lusitania fures, homicidas, & alios facinorosos eo deportandos curarent: (id q; hodierno adhuc die fit) tamen, quia fertilis erat, paulatim habitari cœpit, & iam plurimæ ibi sunt colonie, multæque saccari officinæ: loca cæteris nobiliora sunt. Littus omnium sanctorum, & Pernambucum. Omnes hæc ditiones,

recens ut diximus occupatae, sunt ditissimae, & magni momenti: & ex illis quotannis naues saccharo, aromatibus, vnguentis, vnionibus aliisque pretiosissimis mercibus onustae in Portugalliam appellunt. Equidem magna laude digna est haec natio, quae, cum exigui, & sterilis Regni angustiis inclusa esset, disciplina, parsimonia, & virtute nonnullorum regum suorum hoc assecuta est, ut non tantum omnia Hispaniae regna aequaret: verum etiam cum summa gloria multis annis bellum gereret cum Castellae regno, quod Lusitaniam, ut & reliqua circumuicina regna, diuitiis & potentia superabat. Eiusdem, immo etiam maioris fortitudinis specimina edidit procul a patria, tam in Africa, quam in India, tum quia ad finem perduxit stupendam illam nauigationem, quae initio ab hominibus prudentibus pro temeraria & stulta habebatur: tum quia in illis regionibus aliquoties tanta cum virtute pugnavit, ut nonnullas res ab ipsa gestas scriptores miraculo non carere adfirment propter numeri, & copiarum inaequalitatem. In praелиis vero navalibus, & arcium defensione imprimis illius virtus enituit, ita quidem, ut, praeter adeo amplum tam vasti maris imperium (quod, ut dixi, sibi adquisiuit) etiam longe maior utilitas hinc nata sit, nimirum religionis Christianae in illis regionibus propagatio. Nam integra regna, quae antea Idololatriae referata erant, iam sedi Romanae parent cum non exigua laude patrum Iesuitarum, qui in Portugallia Apostoli vocantur, & a multis annis in hunc usque diem spiritualem militiam ibidem exercent. Veruntamen Lusitani, qui rebus magnis gerendis 460. annorum spacio amplius intenti, Cruces suas in extremo Oriente, ubi nomen Christianum ne fando quidem erat notum, posuerant, deinceps viam, quam ingressi erant, non institerunt: sed in India, littore contenti, in partes mediterraneas non penetrarunt; immo delitiis illorum populorum corrupti, & beneficio mercaturae ditati, partis rebus frui, & genio indulgere coeperunt, erga Deum, omnis boni fontem pro tot beneficiis parum grati. denique reditus bonorum, quae ordinibus equitum auratorum ascripta sunt, in usus molles conuertentes, & otio vanitatemque dediti, & illos honores, cultumque, quem fideles Christiani Deo seruant, sibi arrogantes, in hoc statu satis diu permanserunt, ita quidem, ut apud exteros opinione, & existimatione pristina non omnino exciderent. Hanc corruptelam, & debilitatem Regni, quae ex delitiis Asiaticis nata erat, in educatione Regis Sebastiani animaduertunt, & fugere studuerunt patres Iesuitae, homines religiosi, qui in sanando hoc morbo non mediocriter laborarunt: sed nesciuerunt adhibere remedia corpori tam languido conuenientia.

Neque enim considerarunt fieri non posse, ut gens adeo corrupta a summa licentia, qua utebatur, subito ad rigidam maiorum suorum innocentiam, & parsimoniam rediret: id quod in angusto monasteriorum suorum circuitu (nedum in regno vniuerso) difficulter obtinuisset. Tulērunt leges sumptuarias ita seueras, & in primis de cibis, ut olim vix in veteri illa Sparta receptae fuissent. Exprimebant leges nominatim genera ciborum, qui vel permittebantur vel vetabantur: item, quibus rebus comparandis quemque pecuniam suam impendere fas esset: adimebant ipsis usum omnium, quae ex aliis regnis importantur, quaeque vel delitiis, vel commoditati hominum inseruiunt. Itaque remedia tam violenta non solum inutilia fuerunt, & ridicula, verum etiam confirmarunt opinionem illorum, qui statuunt homines Ecclesiasticos non esse aptos ad Reip. administrationem, non magis, quam sint magistratus ciuiles ad tractanda Ecclesiastica idonei. Sed ut Deus homini, quem castigare vult, mentem adimere solet, & efficere, ut ille seipsum a quo pluris aestimet; ita eundem cum Lusitanis agendi modum obseruauit. Nam siue ob peccata rebus secundis commissa, siue per arcana sua iudicia, tunc illos castigauit, cum se ab omni periculo longissime abesse existimarent: & eo grauiore lapsu ruerunt, quo altius ascenderant.

Haec enim gens, omnium arrogantissima, in vltima expeditione, quam in Africam susceperat, ab Arabibus, & Mauris in seruitutem redacta, & cum pene libera antea esset, breuissimi temporis spacio armis subiugata fuit, idque a Castellanis, quos semper pro capitalibus hostibus habuerat. Calamitates huius Regni coeperunt, cum Rex Sebastianus annum aetatis vigesimum ageret. Hic natus fuerat post mortem patris, & paulo ante obitum aui, expetitus multis subditorum precibus, quae ipsis deinde exitio fuerunt: cumque esset corpore robustus, animo ferox, mire confidens (ad quod vitium natura Lusitani procliuēs sunt) & minime suo contentus, de industria, & sciens prudens diuturnam Regni sui quietem turbare animum induxit. Quanquam autem multae difficultates ipsius consilio obstarent, utpote qui circumcirca tingeretur a regnis regis Catholici, Philippi Austriaci, cui arctissimo amicitiae, & consanguinitatis vinculo iunctus, & viribus ita impar erat, ut nullo modo cum eo auderet contendere: nec

terrestri itinere in vllam aliam regionem penetrare posset : tamen (vt se præcipitem ex aliquo loco dare facile est illi, qui sibi ipsi manus afferre constituit) immoderatum illud, quo flagrabat, res nouas tentandi desiderium viam ipsi, & modum sese simul & suos subuertendi ostendit. Cogitauerat ille iam ante de expeditione contra Indos suscipienda: sed cognati & subditi non consenserunt : Et quia iuuenem belli auidissimum omnino ab instituto dimouere difficillimum erat, qui circum eum erant, vt animum eius saltem aliquo modo ab istiusmodi cogitationibus auocarent, hac expeditione reiecta, aliam proposuerunt, contra Mauros, incolentes Mauritaniam Tingitanam, vbi Lusitani magnis sumptibus in littore maris tres arces tuentur, quarum supra mentio facta fuit, nimirum Septim, Tingim, & Maragonem, scutum & clauim Hispaniæ; quorum locorum beneficio Mauri olim eam occupauerunt. Sed hæc diuersio, vtpote exiguo cum iudicio adhibita, magnis malis occasionem præbuit. Et si enim & valde difficile erat auocare ipsum omnino ab expeditione in Indiam, & ideo alia necessario proponenda esse videbatur: tamen non erat hominum prudentum liberare regem ab vno malo, & in aliud longe maius eundem coniecere. Isti autem consultores eum ab expeditione longinqua, & ad exitum perductu difficili dimouerunt, proponendo aliam, in regnum propinquius quidem suscipiendam, & faciliorem, sed cum maiori periculo coniunctam. Et licet existimarent eum nihil tentaturum hac in parte, nisi re bene perpensa; tamen non erat hic multum ipsius ætati fidendum: nec exigua pars culpæ Iesuitis imputatur.

10 Illi enim, qui in hoc regno latius, quam in vlla alia mundi parte ordinem suum propagarunt, studio quodam religionis ducti, hostiumque Christi & ipsi hostes adolescentem Regem, qui ipsorum curæ à regina Catharina commissus fuerat, diligenter ad istam expeditionem hortati sunt, tantique eorum auctoritas ponderis fuit, vt, cum postea regem magna cum temeritate eam vrgere animaduertissent, nulla ratione dimouere illum à proposito potuerint, quippe qui paulo ante gratia ipsius excidissent.

Itaque rex adolescens, inter mulierculas gynæcei, inter monachos in mediis voluptatibus & delitiis enutritus, Martem non secus spirabat, quam si in castris natus, & educatus fuisset. Conscripsit peditatum ex ciuibus Olyssipponensibus, quos nomina dare, sarissis ac sclopetis tractandis assuescere, & singulis septimanis semel in vicinum campum 30 egrossos sese exercere iussit, sperans fore, vt aliquando, necessitate exigente, opera ipsorum in bellis vti posset: Id quod etiam non ita multo post re ipsa fecit. Anno enim 1574. dissuadentibus prudentissimis quibusque, collecta manu ex his ciuibus, cum quatuor triremibus, & aliquot nauibus maioribus & celocibus in Africam traiecit, sub prætextu visendi loca illa, quæ ipsi in Africa parebant; quanquam reuera aliud animo agitaret, & tanquam iuuenis inexpertus, vires suas longe maiores esse, quam reuera erant, sibi persuaderet. Ingressus in Africam nihil effecit aliud, quam quod loca illa contemplatus est. Videbat enim sibi vires deesse: velitationibus vero cum Mauris, quæ ibi sunt frequentissimæ, ipse etiam libentissime interfuisset: edebatque veluti cor suum, quod animo morem gerere non liceret: Sed potius deceret illum, vt regem, adhibere regiam grauitatem, in 40 quam tamen non raro peccabat. Reuersus statim est Olyssipponem, nihil nisi bellum animo voluens, & erat ita inquietus, & ita in hac cogitatione defixus, vt nec diceret, nec faceret quidquam, quod non eodem tenderet.

Quinimo non tanquam rex, sed tanquam gregarius miles corporis labores obibat, existimans se hoc modo plus roboris ad belli incommoda toleranda sibi esse comparaturum. Hunc regis impetum, cuius bona pars fortasse ipsis astrorum influxibus accepta ferenda erat, nemo vel ex proceribus, vel ex maturioris ætatis cognatis retundere studuit: quorum tamen officium erat iuuenem de periculis, quæ sibi iam iam accersiturus erat, admonere, & vt auito regno contentus esset, hortari. Verum etsi illi conatus ipsius, tanquam temerarios, non probarent: tamen tantum in hominibus potest tum 50 ambitio, tum gratiæ regiæ effundendæ metus, vt non solum nobiles & magistratus: sed etiam proceres, qui quodammodo vi illum cogere potuissent, nec hiscere, nec voluntati ipsius aduersari ausi fuerint. Quin immo consilium, & propositum illius militare laudibus extollebant: & si qui forte obmurmurando contradicerent, erant homines, qui nec dignitate, nec auctoritate admodum valebant. Henricus vero Cardinalis, patruus magnus Sebastiani, frater Ioannis tertii, aui eiusdem, & regina Catharina, qui nullam regi adulandi causam habebant, apud illum parum poterant: nec vti auctoritate, qua fortassis pollere potuissent, voluerunt, vel quod se nihil effecturos esse existimarent, vel ne & gratiæ regiæ pariter, & exiguæ illius auctoritatis, & imperii, quod adhuc obtinebant, iacturam facerent: atque ita fatali quodam silentio vtentes,

inexpertum iuuenem denuo in Africam traicere, & manifestis periculis sese implicare permiserunt.

Fuit etiam magni momenti hac in re Petrus Alcasoua: qui, cum diu Regni Secretarius, & Regius consiliarius, ac apud regem Ioannem, & reginam Catharinam gratiosissimus fuisset, vehementer decrefcere cœperat: & officii male administrati accusatus, ac Senatu motus fuerat eo tempore, quo Cardinalis Henricus gubernationem regni Sebastiano commisit. Incidit autem in ista incommoda Alcasoua propter æmulorum obtreccionem potius, & quod Cardinalis nouam administrationis formam, nouosque ministros introducere cuperet, quam propter crimina, quæ ipsi siue vere, siue falso imputabantur.

Equidem hoc solet euenire aulicis, quorum fortuna inclinât, vt crimina, de quibus accusantur, potius ad tegendam aliorum ambitionem, quam ad pœnam reorum spectent. Verum Alcasoua fortiter ex istis incommodis eluctatus erat. Nam cum hunc casum æquo animo homo prudens, & copiosus tolerasset, ita tamen, vt diligenter omnes pristinam dignitatem locumque recuperandi occasiones obseruaret, tandem facile voti compos factus est arte, & industria aliena. Cum enim in eius locum substituti fuissent Martinus Gonzalesius de Camera, æmulus ipsius, & alii nonnulli, qui toti pendebant à Iesuitis, (quos Cardinalis promotos cupiebat) euenit paulo post, vt hi non minus, quam Alcasoua, ab æmulis & obtreccatoribus in inuidiam, & crimen vocarentur. Nam Aluarus de Castro, qui Regi in delitiis, & contrariæ factionis erat, flagrans desiderio priuandi Martinum & sequaces illius, ea gratia, qua apud regem valebant, arripuit occasionem, quæ ipsi offerebatur, cum Rex esset ad Caput Sancti Vincentii, quo æstiuo tempore, cupiditati, qua ardebat, nauigandi satisfaturus, excurrere consueuerat. Ibi Aluarus regi ostendit (& fortassis non immerito) Martinum, & Iesuitas, tanquam homines regni administrandi imperitos, quique non intelligerent quanti referat principes pecuniosos esse, redditus Regni vehementer imminuisse: & per leges suas, quibus collybum, & rem monetariam ad certam normam redegerant, incidisse regi neruos expeditionum, quas suscipere potuisset: denique, nisi eas abrogaret, fieri non posse, vt vnquam laudatissimos suos conatus ad effectum perduceret. Huic ictui, qui erat lethalis, addidit secundum fortasse periculo siorem, persuadens Regi iuueni superbo, cum ab eiusmodi hominibus seruitute premi: illos re, ipsum in speciem tantum regem esse: Quin imo eo res deuenit, vt scriba quidam, Regi non ingratus, & homo dicax, cum ipsi diploma, quod de re non magni momenti mandatum continebat, subscribendum porrigeret, instinctu Aluari, & sociorum, non dubitaret dicere, eum tuto, & sine hæsitatione posse subscribere: esse enim regem, donec Olyssipponem reuertetur: ita, vt ioca feriis miscendo, beneuolentiam, qua iuuenis ministros, à Regina, & Cardinale traditos, prosequeretur, in odium conuerterent, animumque eius à præceptis, quibus fuerat imbutus, alienarent. Porro omnem horum zaniorum fructum solus Alcasoua collegit. Postquam enim Rex odisse cœpisset eos, qui Petrum Alcasouam oderant, legesque ab iisdem latas sustulisset, mortuus est Aluarus de Castro, qui ista semina iecerat, nemine ex hominibus suæ factionis superstite, nisi Emanuele Quadragesima: cui commissum fuit expeditionis, quam vocant, officium, quod circa deliberationes de beneficiis, à rege concedendis, versatur, & ideo magni momenti est. Hic cum nec vsu rerum, nec auctoritate ea, quæ ad locum illum tuendum requirebatur, nec iudicio ita, vt posset cum Alcasoua contendere, valeret, factum fuit, vt ille ad pristinum locum redeundi occasione, quæ offerebatur, dexterrime vteretur. Aditum igitur tutum sibi patefacturus, Ludouico, filio primogenito, nuptias conciliauit sororis Christophori Tauoræ, hominis apud Sebastianum gratiosissimi: & hoc modo regi reconciliatus facile postea eiusdem erga se beneuolentiam confirmauit, accommodando se ad illius ingenium, & partim indagando modos inueniendi argentum, partim remouendo obstacula, quæ regis consiliis, & proposito moram aliquam iniicere posse videbantur. vnde cum præfectus ærarii regii, siue quæstor supremus creatus fuisset (quæ dignitas maior est ea, quam prius obtinuerat) rex ipsius opera in omnibus maioris momenti negotiis vtebatur. Et si autem huius hominis artificium cupiditatem res nouas tentandi, qua rex ardebat, adiuuaret: tamē paulo post alia quædam occasio eandem mirum in modum adauxit. In Africa ante complures annos mortuus erat Moleius Mahametus Xeriffus, ille qui regna Fessæ, Marroci, & Turedantis (quorum pars ante ad fratrem Moleium Hametum spectabat) coniunxit. Hi, cum concordēs viuerent, vnanimi consensu legem hanc sanxerunt, vt in regno succederent omnes filii, quos tempore mortis suæ superstites relicturi essent, priusquam vllus ex nepotibus ad hæreditatem admitteretur: ita vt patruo, natu omnium minimo natu maximus nepotum succederet. Et si autem illi morientes multos filios reliquissent, tamen ne regnum adfectare possent fere omnes

omnes (vt & patres ipsi) aut ferro extincti, aut in carcere strangulati fuerunt iussu Abdalę, vnus ex filiis Mahameti, qui, cum patri successisset, 17. an. ita feliciter, & tranquille imperauit vt omnes superiores reges hac in parte vicerit. Cum vero multa crudeliter fecisset, abstinuit tamen a cęde trium fratrum suorum, fortassis quod paruuli adhuc essent, cum ille ad regnum perueniret. Sed illi, simul ac ætate non nihil prouecti fuerunt, cum fratri non amplius fidendum esse iudicarent, duo ex ipsis ad Turcarum Imperatorem profugerunt: tertius in penitioem Africam ad Arabes se recepit. Hoc non obstante, & contra legem, quę fratres ad successionem regni vocabat, Abdala filium primogenitum Mahometum successorem nominare, & a subditis iureiurando confirmandum curare, decreuit.

¹⁰ Cumque id factum fuisset, statim rex nouus cępit patris insidiari, misso Mauro quodam Tremisennen, qui natu maximum, ibidem cum Turcis commorantem, interficeret: cui etiam res ex sententia successit. Nam in templo sagitta hominem interemit. Huius cędis nuntius non mediocriter perturbauit alterum fratrem, nomine Moleium Molucum, summa spei iuuenem, viuentem Algerii. Qui cum diu multumq; opem Philippi regis Hispaniæ per Rodericum Alfonsum Pimentellum, Comitem Benaudentanum temporis proregem Valentia frustra implorasset, decreuit auxilii petendi causa Constantinopolin proficisci. Ibi cum æquo animo moram ferens contra agnatos causam suam summo cum ardore egisset, diu tamen nihil obtinere potuit. Tandem cum in vltimo Turcorum contra confederatos Christianos prælio ad Nauarinum, vt & ante in expugnatione Goletæ, singularis fortitudinis specimina edidisset, impetrauit à Turca tria millia militum, quorum opera vteretur in occupando regno paterno sub quibusdam conditionibus, quę postea non obseruatae fuerunt. His copiis instructus, & manu è Mauris, ad ipsum ex Africa confluentibus, collecta, regnum nepotis ex fratre (frater enim iam mortuus erat) inuasit: deletisq; tribus exercitibus quorum vltimus (quod admiratione dignum est) sexaginta millibus equitum, & decem millibus peditum constabat, regnoque vniuerso subiugato, magnam tum apud Mauros, tum apud Christianos auctoritatem sibi comparauit. Moleius Mahometus, ad hunc modum regno exutus in arcem, quam vulgo Pegnon de Los Veles vocant, quamque Rex Hispaniæ in Africa habet, confugit, & inde de consilio cuiusdam, vt ferunt, qui ex Christiano Mahometanus factus fuerat, per legatos suos Regi Hispaniæ

³⁰ calamitatem, in quam inciderat, significauit, & opem ad regnum recuperandum petiit: cumque responsum Regis minus ipsi satisfecisset: Septam profectus de eadem re Sebastianum regem edocuit, simulque adiecit eum hac occasione facile peruenire posse ad imperium Marroci: quibus verbis inescatus iuuenis iustam hanc esse belli causam sibi persuasit, statimque de armis capiendis, & Mauro adiuuando cogitare cępit. Proposuit rem expendendam consiliariis suis: conatusque est docere esse honorificam, & vtilem. Nonnulli ex senatoribus quidem dissuadebant, ostendebantque eum nondum habere heredem; & principes Christianos potius in hæreticos, quam in infideles, arma conuertere debere: ipsum solum non habere satis virium ad rem tantæ molis aggrediendam: & suas rationes appositissimis exemplis confirmabant. Veruntamen, (vt principes præ nimio desiderio cęcutire solent, nec ex aliorum calamitatibus, in quas propter temeraria sua consilia inciderunt, exemplum sibi petendum esse putant) Rex omnia quę in contrarium adferebantur, reiecit, imo in sententia ita confirmatus fuit à nonnullis, qui bellum siue priuati commodi causa, siue iudicii inopia suadebant, vt arma quamprimum sumere constitueret. Et quanquam ipse imbecillitatem suam nõ agnosceret, tamen de consilio quorundam regem Hispaniæ in belli societatem pertrahere tentauit: existimans eum facile consensurum, propterea quod res Africanę eque, imo magis Hispaniam, tanquam viciniorem, quam Lusitaniam, tangerent. Cupiebat etiam, ducta vxore, liberis operam dare (quanquam medicis, ne parum idoneus ad gignendum esset, vererentur) expetebat nuptias alterius ex filiabus regis Hispaniæ, quarum iam ante pene certa spes ipsi facta fuerat. Cumq; ob has duas

⁵⁰ causas cum Hispano in colloquium venire cuperet, misit ad eum Petrum Alcasouam cum mandatis de tribus rebus agendi: de auxiliis in expeditionem Africanam: de nuptiis filia: & de colloquio. Legatus in Hispaniã profectus, iussa regis insigni cum studio, & diligentia executus est: cumque in aula diu hæssisset, tandem impetrauit tria illa quę petebat: promissionem matrimonii cum altera ex filiabus regis (ita tamen vt non exprimeretur de primogenitane hoc intelligendum esset, an vero de secunda) vbi ad legitimam ætatem peruenissent: quia nondum erant nubiles: item fore, vt Hispanus ad oppidum Guadalupum, cum Sebastiano collocuturus proficisceretur: & vt triremes, & milites ad oppugnandam Laraccen subministraret: quod vltimum promittebatur valde lente & frigide. Nam Hispanus, quod Lusitanum de viribus suis magnificentius, quam par erat, sentire animaduertit.

teret, nec in Africa quidquam, nisi validissimo cum exercitu, tentandū esse iudicaret, ardentissimum regis desiderium litteris quodammodo restinguere, eique. vt vel expeditionem intermitteret, vel ne ipse saltem in Africam traiceret, persuadere studebat. Cæterum cum iuuenis consilio nullū locum relinqueret, sed potius in sententia obstinatissime persistens litteris apud Philippum instaret, ille tandem militem, & triremes promisit, sub hac tamen conditione; nisi Turca classē in Italiam mitteret, & vt expeditionis initium sumeretur ab oppugnatione Laraccæ anno 1577. adiecitq; hæc omnia sigillatim fufius declaratum iri in oppido Guadalupo. Legatus reuersus in longe maiori, quam ante, gratia esse cœpit apud regem, cuius expectationem diligentia & industria sua superasse videbatur. Paulo post vtraq; aula se ad iter cœpit accingere. Venerunt hi duo reges in oppidum Guadalupum, cum exiguo, sed lecto comitatu Procerum & nobilium. Lusitani, qui vltimi aduenerunt, valde honorifice fuerunt excepti. Hispanus enim suæ ditionis magistratibus & præfectis iniunxerat, vt Lusitanum non minori cum reuerentia, quam seipsum, exciperent. Itaque Badagiosii & in aliis locis Lusitano optimates obuiam progressi, carceribusque apertis captiui liberati fuerunt: & ipse ad hospitium sub umbella fuit deductus. Magnam voluptatem Philippus percepit ex conspectu Sebastiani, quem tanquam hospitem suum, tractabat blande & humaniter, non habito respectu dignitatis, quia rex potentior, illi antecellebat: & in colloquio alter alteri maiestatis titul. tribuebat. Instituta vero de bello cōmentatione, quia res cum vtilitate, & gloria regnorum Hispaniæ coniuncta fore videbatur, Philippus non dissuasit: hoc tantū consuluit, ne Sebastianus in Africam ipse traiceret, ostenditque se non posse adeo magnas copias subministrare propter immensos sumptus, quos Italiæ contra insultus Turcorum defendendæ impendere cogeretur. Sed cum Sebastianus à proposito in Africam eundi dimoueri nulla ratione posset, nec excusationem vllam admitteret, morē ipsi gerere Philippus voluit: & ideo hoc modo inter ipsos conuenit. Quoniam & cōmuni omnium, & priuato Ducis Albani iudicio ad hanc expeditionem, requirebantur quindecim millia militum, qui extra Lusitaniam nati, & in armis non nihil exercitati essent, partim Itali, & Germani, partim Hispani, vt horum decem millibus stipendia à rege Lusitaniz soluerentur: reliquis quinque millibus ab Hispano, qui etiā daturus esset 50. triremes, sed sub hac conditione, nisi Turca classē in Italiam mitteret, & vt expeditionis initium ab oppugnatione Laraccæ, omissis locis mediterraneis, idq; ante finem anni 77. fieret: Alioqui enim Hispanum nolle ad quidquam teneri. His actis, reges in suum quisq; regnum reuersi sunt. In Lusitania lente admodum ea, quæ ad bellum necessaria erant, parari cœperunt: & pene in ipsis principiis pecuniæ inopia fuit laboratum. Reditus enim regii exigui sunt, & male expenduntur. Regni Lusitaniz annui reditus sunt vndecies centena millia ducatorum: quorum maxima pars consistit in portoriis, quæ sunt immoderata, quia pro omnis generis mercibus in singula centena soluuntur viginti, exceptis piscibus, quorum pretii dimidiam partem portorium excedit. Deinde decies centena millia ducatorum proueniunt ex terris nouis, quæ sunt Insula sanctæ Thomæ, Mina, Brasilia, & India, quæ summa in vniuersum constituit duos milliones, & centum millia ducatorum. Et quanquam ex India tertius etiam millio percipitur, tamen non magni momenti est, quia totus classibus & præsiidiis Indicis impenditur. Ex his duobus millionibus & centum millibus ducatorum in fine anni nihil reliquum in regis fisco manet: immo, si Rex est paulo liberalior, sumptus superant reditus, tum quia in exigenda, & colligenda pecunia nullus ordo obseruatur, tum quia promiscue etiam expenditur: neq; vquam hi reges tam felices fuerunt, vt virum tali prudentia, & iudicio præditum nanciscerentur, qui reditus, & expensas in debitum ordinem redigeret: Quinimo cum quæstores semper fuerint ex numero nobiliū, quibus gratia aulica potius, quam peritia ad illud officium viam aperuerat (hac enim & non alia ratione officia in illo regno obtinebantur) tantum operam dederunt, vt aliis rationibus dignitatem & locū tuerentur, de redivisibus Regni parum interim solliciti. Hinc fit, vt partim salaria ministrorum, partim reditus ad vitam concessi, iura vendita, præsidia, & arces Africanæ, classes, sumptus aulae regiz & similes facile omnes reditus absument. Itaq; quæstores regii quo iure quauē iniuria pecuniam corradere, subditos & primarios ciues præter morem ad contribuendum vi cogere cœperunt. Sed præterquam quod hac ratione non multum argenti collegerunt, subditi etiam in imprecationes, & exclamationes eruperunt, quantumuis alioquin obedientissimi: sed rapacitas quæstorum plane erat intolerabilis. Ab Ecclesiasticis petierunt tertiam partem reddituum, quod cum illi concedere nollent, & tamen Pontificem ad Regis partes procliuiorem esse animaduertent, facta transactione centum & 50. millia ducatorum promiserunt. Christianis nouis pro summa ducentorum viginti quinque millium ducatorum

ducatorum concessa fuit impunitas, ne bonis priuarentur, si forte deinceps in Inquisitionis statuta peccarent: id quod etiam olim concessum, & postea aliquoties reuocatum fuerat. Imposita fuerunt noua vectigalia sali: à nobilibus etiam & proceribus contra morem illius regni pecunia exacta & multis hanc ob causam immerito negotium exhibitum fuit. Inter ceteros pecunia exacta fuit à Francisco Melio, Comite Tentugelensi, qui per literas liberiores, quam pro huius seculi moribus sese apud regem excusauit. Exaggerans enim iniquitatem petitionis, dicebat illam non conuenire virtutibus, quibus rex ornatus erat: neque honestum esse, vt illi quorum maiores in regno acquirendo reges iuuissent, censibus & tributis, quæ ad bellum conferuntur, soluendis obnoxii essent, quorum tamen immunitate multi longe vilioris conditionis homines gauderent. Culpam huius rei imputabat peccatis regni, sed imprimis domesticis & familiaribus regis, de quibus conquirebatur. Adducebat exemplum calamitatis, in quam Tingi inciderunt filii regis Ioannis primi, Henricus & Ferdinandus, eo quod bellum contra Mauros mouerant impensis plebis, quæ tamen non habet talia priuilegia, qualia nobilitas: innuens non posse feliciorum expectari successum huius expeditionis, quam rex suscipiebat sumptibus eorum, qui nunquam quidquam contribuerant etiam longe periculosioribus, quam præsentia essent, Regni temporibus. In fine litterarum rogabat Regem, vt rem diligentius perpenderet, maiorum vestigiis insisteret, nec successoribus malo exemplo præiret. Hæc epistola, cuius lectione rex non mediocriter fuerat commotus, in causa fuit, vt & Comes, & multi alii onere contribuendi leuantur. Itaque aliæ viæ, eæque vt plurimum cum miseræ plebeculæ detrimento coniunctæ, inuentæ fuerunt: Et vt in regnum eo plus argenti importaretur, edixit rex, vt regales nummi argentei Castellani, qui antea ibi vsitati non fuerant, reciperentur, & vt nona parte pluris, quam prius, valerent: id quod pro non paruo prodigio à multis habitum, & notatum fuit. Tunc etiam rex ciues Olyssipponenses solito sæpius in vicinos campos educi curauit, vt acie instruenda, pugnis ludicris, aliisque belli imaginibus sese exercerent: quibus rebus ipse plerumque non sine periculo inter conferta sclopeta intererat: quanquam nullus dux, aut paulo peritior miles adesset, qui modum, & ordinem ista administrandi præscriberet, excepto quodam Ioanne Gama, qui veste Eremitæ indutus magnam rei bellicæ scientiam præ se ferebat. Itaque, quamuis miseri ciues valde in his exercitiis desudarent: tamen, quia inuiti, & coacti ista omnia faciebant, & insuper duce, ac magistro destituebantur, factum fuit, vt indices deficerent potius, quam proficerent: Erat rex totus in venationibus, & incredibili læticia perfundebatur, quoties ipsi soli cum ferocissima aliqua bestia pugnare vsueuebat, qua in re magnam sibi dexteritatem comparauerat. Si forte, vt solebat, animi gratia ab vno loco ad alium in mari, aut in Tago nauigaret, putabatur esse nauem conscendere mari tranquillo: & ideo studiose tempestates captabat: ita, vt crudeli quodam fato ad mortem properare videretur. Interim tempus elabebatur, nec res necessariæ parabantur, nisi admodum lente. Transcribenda erat in Italiam pecunia ad conducendum peditatum Italicum, & Germanicum, & piper omne, ex cuius venditione pecunia colligenda erat, sequenti ætate, erat adhuc Olyssipone, & nauibus quorundam mercatorum impositum Liburnum deuehi, & distrahi debebat. Hæc expeditio, quæ, quia parua pecunia ad eam opus fore sibi rex persuadebat, potest dici imprudens, etiam hoc tempore pene impossibilis, facta fuerat: Et Alcasoua, cui tanquam summo ærarii præfecto onus pecuniæ inueniendæ incumberebat, non audebat regi penuriam, qua laborabatur, detegere. Nam si ipsi dixisset contrarium eius, quod fortasse olim dixerat, metuebat ne in illius offensionem incurreret. Itaque diem ex die ducebat, sperans fore, vt Rex Philippus se excusaret, quod non posset copias promissas subministrare, siue propter classem à Turco in Italiam missam, siue propter aliam causam quamcunque: id quod Alcasoua vehementissime expetebat, vt haberet occasionem culpam omnem in Philippum transferendi: Cuius quidem rei non exiguam spem conceperat: idque propter illas conditiones, sub quibus Philippus pollicitus erat, quæ indicio esse videbantur illum non nisi inuitum, promissis satisfacturum. Veruntamen Alcasoua expectatione sua frustratus fuit. Interea temporis Moleius Molucus, accepto de apparatu Lusitanorum nuntio, veritus ne Philippus his se adiungeret, tanquam princeps prudens, eidem significari iussit, se paratum esse cedere parte ea regni sui, quam ille potissimum eligeret, dummodo amicitiam & foedus secum coleret. Philippus statim Sebastianum certiore fecit, quid sibi à Mauro oblatum fuisset: ostenditque fortasse non inutile fore, si eum suspensum aliquandiu teneret, peteretque vt sese amplius explicaret Hoc enim non posse non prodesse. quandoquidem tales actiones cursum armorum non impediunt: & posse commodi ali-

quid hinc promanare, siue quod Maurus fortassis non adeo anxie de defensione cogitaturus: siue etiam, quod sponte concessurus esset, quæ ipsi Sebastianus vi extorquere in animo habebat. Sed Rex iuuenis, qui non intelligebat, quantum certa pax victoriæ incertæ præstet: quique arma sua longe lateque circumferre potius, quam etiam satis magnam ditionem sine sanguine, & bello acquirere constituerat, adegit Philippum, ut pacis eum Moluco ineundæ negotium omnino abiiceret. Philippus itaque, intellecto consilio Sebastiani, videns eum nec pacem admittere, nec etiam expeditioni promouendæ satis nauiter incumbere (ita enim frigide omnia à Lusitano agebantur, ac si omnino propositum mutasset:) cœpit ipse operam dare, ut res ad effectum perduceretur. Cum enim ætatem appropinquare, & in Lusitania nondum vel Italum vel Germanum militem appulisse animaduerteret: Sebastiano per Ioannem Syluium legatum suum pollicitus est, si ipse minus rebus ad eam expeditionem necessariis instructus esset, se militem, & triremes daturum, hac tamen lege, ut Sebastianus bessem omnium sumptuum, uti conuenerat, sustineret. Sed cum ne hoc quidem Sebastiani consilio & scopo satis responderet, noluit conditione ab Hispano oblata uti. Et quanquam tempus fere præterlapsum, & omnia imperata essent, tamen Sebastianus (qui hæc incommoda non animaduvertebat, ideo quod ministri ipsi imponerent) nihil magis metuebat, quam ne Philippus inuenta aliqua excusatione, promissa negligeret, & ita sibi occasionem mouendi belli, cuius erat audivissimus, præcideret. Itaque apud eum institit, ut pure auxilium promitteret, omni-
sa conditione de impressione Turcæ. Hoc vero, quod rex subuerebatur, sperabant ministri: adeo eorum dissidebant voluntates. Qua de re edoctus Philippus cum existimaret fieri non posse, ut quidquam cum fructu tentaretur, satisfactorius promissis, aut potius ab iisdem sese liberaturus, permisit arbitrio legati sui, an Sebastiano offerendæ essent triremes 70. instructæ, & 5000. militum paratorum ad bellum, ut conuenerat: sed tamen iussit eum dare operam, ne quidquam offerret, nisi eo tempore, quo Sebastianus triremibus & militibus uti amplius nequireret. Nolle enim se periculo exponere suas copias solas, & sine iis, quas Lusitanus se coacturum sponderat. Cum itaque legatus ista Sebastiano obtulisset, ille errorem, in subducendis rationibus à se commissum animaduertens, agnouit, se eo anno in Africam non posse traicere: itaque publico edicto significauit expeditionem in annum sequentem fuisse reiectam. Philippus Hispaniæ Rex, motus consiliis, quæ de isto bello suscipiendo iniri videbat, paulo ante Franciscum Aldanam, hominem militarem, in Africam miserat, ut dissimulata persona, loca illa, & propugnacula in littore extructa, diligenter contempleretur. Reuersum, & non sine periculo, statim in Lusitaniam ad Sebastianum ablegauit. Sebastianus hominem benignissime exceptum de rebus Africanis accurate percontatus est. Et quanquam Aldana expeditionem maiori cum difficultate, ac periculo, quâ rex putaret, coniunctam fore ostenderet: tamen ne tantillum quidem ardorem illius restinxit. Imo ommissis istiusmodi sermonibus, ex Aldana, tanquam rei bellicæ perito, remotis arbitris exquirere cœpit multa, quæ ad ducendos exercitus, & imperatoris officium spectant. Quia in re cum Aldana ipsi prolixè satisfecisset, illico sibi persuasit, se facile ad usum translaturum esse omnia, quæ audiuerat, non considerans, quam diuersa sint animo concipere aliquid, & idem in actum producere. Quia vero hyems ingruerat, dimisit Aldanam donatum torque aureo, qui mille ducatis constabat, stipulatusque ab eo est fore, ut suo tempore, ipsi militaturus, reuerteretur. Interea temporis Sebastianus per Ioannem Gomefium de Sylua, qui legati munere in aula Romana ipsius nomine fungebatur, egit cum magno duce Hetruriæ, ut sequenti anno sibi in agro Hetrusco tria, aut quatuor millia peditum conscribendi copiam faceret: eaque in re dixit se velle uti liberalitate magni ducis qui per legatos suos non ita pridem sua studia & officia ipsi detulerat: quod quanquam magnus dux concessisset, tamen res propter pecuniæ inopiam effectum caruit. Misit etiam in Belgium Sebastianum Acostam, qui rogaret Guilielmum Nassouium Principem Auraicum (qui à Belgis gubernator contra regem Hispaniæ electus, inferiori Germaniæ præerat) ut ipsi tria, vel quatuor peditum Germanorum millia concederet. Ablegauit quatuor tribunos, in prouincias regni Portugalliæ, cum mandato 12. millia peditum conscribendi, ut videlicet Michaelem Norognam, Iacobum Lopesium de Sequeira, Franciscum Tauoram, & Vascom Silueiram, quorum nemo vlli vnquam expeditioni interfuerat. Ex regno Castellæ veniebant etiam milites, quos belli, & expeditionis regiæ fama excitabat: quorum satis magnum numerum (sine Philippi consensu tamen) collegit, & in ipsa etiam Castella, quanquam sine tympani sono, multi milites conscripti sunt: quorum ductores nonnulli postea à Philippo fuere puniti. Quanquam autem manifesti essent hi tanti apparatus, ta-

men nemo adhuc credebatur expeditionem ad effectum perductum iri. Præterquam enim quod vires Regis ad parui etiam momenti bellum (multo vero magis ad hoc quod utpote transmarinum, longe maiores sumptus requirebat) nimis exiguæ, & debiles esse existimarentur, communis etiam opinio erat, etiam si omnia impedimeta, & difficultates remouerentur, tamen neq; regem Philippum, neq; Cardinalem Henricum, neq; reginam Catharinam, nec subditos permissuros esse, ut rex ipse in Africam traiceret: sed potius fore ut magnis sumptibus factis, res tota in fumum abiret, ut anno superiori, & ut ante paucos etiam annos acciderat, cum classis Eduardi, patris Sebastiani, ad eadem loca Africæ inuadenda, & alias etiã res tentandas comparata, euanesceret. Verum (ut difficulter fatalibus astrorum inclinationibus resistimus) omnia ad promouendam expeditionem subito procliuia esse cœperunt. Regina mulier integerrima, & multis virtutibus prædita, quæ partim ducta amore erga regem, inter brachia sua enutritum, partim etiam Philippo, nepoti suo ex fratre, astipulandum rata, expeditionem vehementissime dissuasit, vitam cum morte commutauit. Pontifex, quia hoc bellum contra infideles mouebatur, ut incommoda, quæ obstabant, suo loco subleuaret, apertis thesauris spiritualibus promulgauit bullam Cruciatæ, quæ in hoc regno nunquam hactenus admissa fuerat. Naues Indicæ, preciosissimis mercibus & auro onustæ, salutæ ad unam omnes in portum appulerunt: Princeps Auræicus, quauis & ipse rerum suarum fatigeret, tamen ut ostenderet se non magni facere Hispani copias, quæ ipsi oppositæ erant, 3000 millia militum, ab ipso petita, concessit: ita ut omnia se ad voluntatem, nutumque regis Sebast. accommodare viderentur. Conspectus est hoc tempore (nono scilicet die mensis Nou. anni 1577.) in Zodiaco, idque in libra prope locum, in quo tunc erat stella Martis, cometa, omnium, qui à multis seculis apparuerunt, pulcherrimus, ac maximus. Et, quia Lusitani in proeinctu erant, incussit metum compluribus qui ex veteribus exemplis inferebant, Cometas portendere infelices successus, & quia ex aere infecto gignuntur, delicatæ principum vitæ exitum minari. Quæ admodum etiam veteres duces huiusmodi portenta, & sua auguria in bonam partem accipiebant non tam, quam fidem iis adhiberent, quam ut militibus animam adderent: ita quoque Lusitani suo quodam iudicio ducti, rem boni ominis esse dicebant, affirmabantque Cometa ipsum in lingua Lusitana alloqui regem hoc verbo: *acometa, id est, Rex hostem adoriatur.* non quod reuera ita sentirent, sed adulandi studio. Quod enim ipsis vehementes regis imperus noti essent, longe magis illius, quam cœli, iram metuebant. Philippus tum temporis pacificatione quadam motus Belgicos non nihil sopiuerat, eratque vicarius illius Io. Austriacus, frater ipsius naturalis: qui cum se nondum ad debitam obedientiam Belgas redigisse existimaret, videretque nondum acquiescere principem Auræicum, quem putabat malle totius Belgii imperium, quam unius aut alterius provinciarum præfecturam obtinere, ab utraque parte res nouæ contra pacta interposita tentata fuerunt. Cumque ex litteris, quas Io. Austriacus in Hispaniam scripserat, interceptis, proceres Belgii intellexissent, eum propter munitiones, in Hollandia à principe institutas, propositum (id quod tamē studiose dissimulabat) mutasse: cumque literas interceptas, & consilium Belgas armis subiugandi detectum esse, ipse non ignoraret, censuit non esse consultum, ut ab exercitu nudus diutius in illis locis subsisteret. Itaque die quodam prima luce se venatum exire simulans, cœrendit in arcem Namurcensem, quæ est in finibus Flandriæ, & Lotharingiæ, unam cum domesticis, & amicis: cumque ibi animam suam aperuisset, omnibus quibus minus fidebat, dimissis, reuocauit pedes Hispanos, qui iuxta pacificationis articulos à Belgio egressi, vix in Italiam peruenerant, atque ita conscriptis nouis copiis ex Valonibus & Germanis, bellum priori vehementius, recrudit, fuitque Regis hac in parte conditio deterior, quam antea, propterea quod ut pactis conuentis satisfaceret, omnia propugnacula Belgarum custodiæ commiserat. Hi repentini motus, & expeditionis in sequentem annum dilatio, quæ erat pactis contraria, præbuerunt Philippo occasionem sese excusandi, & Regi Portugalliæ auxilia promissa denegandi. Causabatur enim sibi necessario omnes curas, & vires in Belgium conuertendas esse, ut & existimationi suæ, & fratri in periculo versanti consulere, existimans se hac ratione à proposito dimoturum esse Lusitanum, si promissi auxilii expectatione, tali præsertim tempore, se fraudari intelligeret, sed frustra. Nam ille, utpote in agendo præceptus, siue cum, siue sine auxilio Hispani omnino traicere in Africam decreuerat, & more iuuenum, sibi persuaserat, copias suas cum Germanis & Italis, quos expectabat coniunctas ad totum orbem debellandum sufficere. Displicebat Philippo hæc Sebastiani obstinatio, magnamque ipsum molestiam adiciebat. Quia enim iuuare illum non poterat, verebatur, ne, si quid sine auxiliis suis tentaret, sese in propinquum discrimen adduceret. Unde cum periculum indies crescere intelligeret, denovo vehementissime apud Sebastianum institit, ut vel expeditionem omnino intermitteret, vel ne saltem ipse in Africam transfret. Quæ de re complures literas ad illum manu propria scripsit, plenas officii & amoris, & in eandem sententiam ad il-

lum scribere iussit Ducē Albanum : misit deniq; ad eū Ducē Medinę Cœli, vnū ex primariis procerib. Hispanię, qui omnia, quę ad regem à profectiōe Africana retrahendum excogitari poterant, tentaret : sed omnia ista fructu caruerunt. Sebastianus enim in Africam traicere animū induxit, etiam si Philipp. ne vnum quidem militē suo sumptu sibi subministraret. Ceterū (vt optime cogitata pessime homines interpretari solent) nonnulli dicere non dubitabant Regē Hispanię hęc omnia simulare, imo ipsam nihil magis in votis habere, quā vt Sebast. expeditionē susciperet : cuius quicunq; tandē exitus esset, siue felix, siue infelix, rem semper cum summo Hispani emolumento fore coniunctam. Nam si forte Sebastian. Laraccen, aut alium quempiam locum maritimum occuparet, ex hac re non tantum commodi, ad ipsum rediturum, quantum ad Philippum, cuius ditioes omnium maxime essent Africę propinquę. Sin vero Sebastianus in hac expeditione occumberet, utilitatem adhuc maiorem in Hispanum redundaturam, nempe regni Portugallię successiōnem. Sed (si verum dicendum est) cur Philippus bellum hoc dissuaderet, in causa erat partim ingenium eius quietum, & à rebus nouis tentandis alienum, partim etiam aliud quiddam non leuis momenti. Nam tum temporis cœperat agi de induciis inter Turcā & Philippum : ad quas eadem rationes vtrumque inuitabant, nimirum ne cogerentur distrahere copias, & vires suas, quibus coniunctis vti cupiebant, ille contra Persam, hic contra Belgas. Nisi itaq; omnem inducias stabiliendi ansam præcidere voluisset, non videtur potuisse Hispanus mittere classem, & militem ad inuadendam Africam, Turco vestigalem, & inprimis ad oppugnandum Moleium Molucum, amicitiam ac fœdus cum eodem Turca colentem. Eo autem fuit æquior hęc excusatio, quod Philippus Lusitanum in formulā induciarum comprehendere studuit : vtq; hanc conditionem acciperet, rogauit. Sed ille nō tantum respuebat inducias : verum etiam dicebat se mirari, cur de trium annorum induciis cum Turco, vt Italia interim extra periculum esset, ageret, cum manifestissimum esset interim totam Africam Turcis repletum iri, & ita fore, vt, triennialibus induciis finitis, in ipsam Hispaniam transferretur illud bellū, quod iam ab Italia conaretur depellere, quodque eo esset futurum periculosius, quo magis Hispania hostilibus insultibus exposita est, quam Italia : sibi non videri consultum, inducias fieri, & si omnino illas facere Philippus decreuisset, sese non debere comprehendere in formulā, idque in hunc finem, vt Philippus deinde clam sibi auxilia contra Moleium Molucum subministrare posset : atq; ita illū paruo sumptu consulturum tum Italię beneficio induciarum, tum rebus Africanis, per expeditionem, quę sub nomine Lusitanorū susciperetur. Philippo leuiusculę hęc rationes non satisfaciebant. Itaq; apud Sebastianum institit, vt disertis verbis responderet, vtrum vellent particeps esse induciarum, nec ne? Vnde post nonnullam moram interpositam, consensit in inducias : veruntamen, quia nec certi quādiu quā adhuc conclusum erat, nec directo cum ipso inducię inibantur, existimauit eas nō obstare, quo minus in expeditione Africana perseveraret. Quare Olyssipone naues maiores armabantur, nonnullę etiā quę erant priuatorū mercatorum, à regis ministris detinebātur, ex omnibus regni partib. nauigia, equis, cōmeatui, aliisq; rebus ad bellū necessariis vehendis idonea colligebantur, & alia similia, quę ad expeditionē requiruntur, parabantur. Summę rerum præfectus fuerat Ludoicus Dataidius, sed non habebat eam auctoritatem, quę alias illi officio propria est. Rex enim cum Alcaſoua, aliisq; familiaribus suis deliberabat, & statuebat de multis rebus ad bellum spectantibus quę ad officium Dataidii pertinebant, & quarum saltem eum conscium esse æquū erat. Quamuis autem celeberrimus inter Lusitanos esset, tamen quia regi non erat admodum gratus, expeditioni non interfuit, sed in Indiam, vbi viceregis munus sustineret, fuit ablegatus. Classi rex Iac. Sofam : nobilibus vero Lusitanis in Africam traiecturis, multisq; exteris, qui fortunę tentandę causa eo confluebant, Christoph. Tauorá, cubicularium, & magistrū stabuli, præfecit, eumq; voluntariorū ducem creatū, pene omnibus nobilibus anteposuit. Cumq; manifesto videret, se equitatu Mauris loge esse inferiorem, cōstituit bonitate peditatus hoc incōmodum compensare. Itaq; edixit, ne quisquam de equo sibi prospiceret, nisi quē ille nominasset, omnesq; à se nominatos, armari, non more equitū leuis armaturę, sed ad imitationem veterū cataphractorum, & ipsos etiam equos laminis ferreis regi iussit. Vnde factū est, vt multi ex nobilitate, qui in equitū numerum se relatū iri putabant, ad peditatum rescriberentur. Erat res digna admirationē videre Lusitanos ad bellum se parantes. Nam cum hęc ars omnium maxime ordine, & quadā veluti mensura indigeat, omnia ab illis sine ordine & confuse gerebantur. Quod errores in lustrando exercitu, & in soluēdis stipendiis cōmitterentur, quanta aliarū rerū superfluitas, aliarū vero penuria esset, dici non potest. Nobiles quod monstri simile erat, ad vnū omnes habitum Castellanū assumpserant : cū arma acuenda essent, vestes acupingi curabant : loco thoracum ferreo-

ferreorū cōparabāt sibi bombycinos, & auro intertextos: loco aque, & buccellati, onerabantur naues saccharo, & condimētis: vasa argētea, tentoria serico & auleis suffulta erāt sine numero: singuli nobiles regū more sibi de omnib. rebus prospexerāt, gregarii vero milites fame moriebantur: ita vt in hac opinione esse viderentur, illos, qui vestium splendore, luxu, & rerum ad delicias pertinentium copia optime omnium essent instructi, facillime etiam hostem esse superaturos. Sed aliter sentiunt veri milites. Statuunt. n. eum qui vestibus serico & auro insignibus indutus, cum hoste congregitur, aut occumbere, aut catenā ferrea vinciri: eum vero, qui ferro armatus pugnam inicit, victorem, & auro onustum redire. Erat Sebastianus sollicitus de gubernatore, cuius curā regnum committeret. Nam ex sanguine regio nemo erat superstes, nisi Cardinalis Henricus, patruus eius: quē quod iam senio confectus, & ipsi parum acceptus esset, inuitus ad tam amplum munus admittebat. Veruntamen, quia alius præsto non erat, profectus est Eboram ad Henricum, eumque rogauit, vt se absente regni administrandi prouinciā in se reciperet. Cardinalis excusauit se, causatus senectutem, & valetudinem. Itaque Sebastianus elegit quatuor Gubernatores, qui ipsius nomine præsēnt, nimirum Georgium Almedam, Episcopum Olyssipponensem: Petrum Alcaouam, Franciscum Sadam & Ioh. Mascaregnam: quibus amplissimam omnium rerum potestatem concessit, tradito etiam sigillo, quod atramento illitum imprimebat chartæ hoc verbum: Rex: eoq; illos ad subscribenda diplomata vt iussit. Interim ex Africa, Xariffus Mahametus per legatos vehementissime & frequentissime apud Sebastianum instabat, vt properaret, nec vllō pacto se à proposito dimoueri pateretur. Præter multas autem aureas spes, quibus Sebastianum inescabat, dicebat, se nō tantum copias non contemnendas paratas habere, sed etiam simul ac vexilla Lusitanorum in Africa conspecta fuissent, innotuissetq; illas vires sibi subsidio missas esse, nō dubitare, quin maior pars vrbium, oppidorum, & militum à Moleio Molucco ad sese defectura esset. Sane non suadebat, vt Rex ipse in Africam traiceret, neque enim opus esse: imo fore magno detrimento ipsius præsēntiam. Fieri enim posse, vt Mauri, quos in ipsius castra transituros, spes erat, si intelligerent regem ipsum Portugalliæ adesse, metuentes ne à Christianis subiugum mitteretur, non tam facile ab hoste desciscerent. Dicebat autem hæc Mahometus, partim quia facile ita euenire poterat, partim quia verebatur (nec iniuria) vt rex victor, & præsens ipsum libere regno frui pateretur. Superiora omnia animū Sebastiani valde inflammabant. Quo enim magis Xariffus dissuadebat, ne ipse veniret, eo maiori cupiditate proficiscendi incendebatur: & quia subodorabatur Maurum hoc consilium dare metuentem, ne regno exueretur, hinc firmiter concludebat fore, vt certo illud occuparet. Immo ita hoc desiderium ipsum excecauit, vt coronam & reliqua, quæ ad coronationem regis Fessæ & Maroci requiruntur, conficienda curaret, secumque ferret; nesciens quid ferus vesper veheret. Videbatur sibi fortunam in ipsis initiis fauentem habere, propterea quod Albacarinus Maurus, qui nomine Moleii Moluci ciuitati Arzilæ in littore maris sitæ, & à Lusitanis sponte in potestate Maurorum relicta, præerat, rogatu Xariffi Mahameti illius possessionem Gubernatori Tingitano tradiderat. Qua ex re magnam Sebastianus voluptatem cœpit, existimans illos populos cupere, & fauere Mahameto, ita vt dixerat. Eodem tempore incolæ Hiberniæ, qui se nimis ab ELISABETHA Regina Angliæ, idque in primis in negotio religionis premi putabant, seque exemplo totius Angliæ, ad doctrinam CALVINI, aut ZUINGLIJ amplectendam cogi ægre ferebant: conuesti sunt hac de re apud GREGORIVM XIII. Pontificem maximum: summaque rerum ad Comitem Desmondium, domi nobilem, & ad Ioannem Anelium (hominem obscuro loco natum) delata adfirmarunt, si sibi auxilium ferretur, se non dubitare de tota insula è potestate & manibus reginæ extorquendā. Quade re Pontifex Max. cum Regem Hispaniæ certiore fecisset, simulq; ad opus hoc Christianum promovendum, gentemque illam adiuuandam cohortatus esset, tandem inter illos de expeditione suscipienda conuenit. Verum quia Regina Angliæ ex vna parte verbis ostendebat, se amicitia cum Rege colendæ studiosam esse: ex altera vero in motibus Belgicis principem Auraicum contra eundem clam iuuabat: PHILIPPVS eadem via ingredi constituit, & veluti per cuniculos reginam oppugnare. Itaque decretum fuit, vt Hibernis auxilia mitterentur, auspiciis, & nomine Papæ: sed reuera, clam tamen, sumptibus Regis. Quamobrem in ditione Papæ aliquot cohortes militum conscripæ fuerunt: quorum sexcenti, Duce Thoma Esternuilio Anglo (quem paulo ante Papa Marchionis titulo ornauerat) conscensa in portu ciuitatis veteris nauis quadā Genuēsi, quæ ipsos in Hiberniam veheret, cōmodum appulserunt Olyssipponē tum, cum expeditio Africana ageretur. Rex certior factus de aduentu horū militū, & de spe copiarū Hettuscarū propter pecuniæ in-

piam deturbatus, voluit illos videre, statimq; de conducenda eorum ad bellū Africanū opera cogitauit. Cum itaq; illos è nauibus egredi, & Oeiras (quod est prope ostium Tagi oppidulum) diuerti iussisset, excurrit eo spectatum & quanquā non essent pedites lecti, tamen militaris ordo, celeritas in displodendis sclopetis, agilitas in tractādis farissis, & disciplinæ seueritas, magnē ipsi admirationi fuit: statimq; cum Marchione egit, vt sese in Africā vnaiturum esse polliceretur. Rex Hispaniæ, ne se socium expeditionis proderet, noluit Lusitano hac in re contradicere. Papa autem tam longe aberat, vt, antequam ad illū scribi, & responsum haberi posset, milites iam in Africa futuri esse putarentur. Itaq; acceptis à Sebastiano stipendiis, operā suam illi addixerunt. Interea pedites à tribus Tribunis (quorum supra metio facta est) conscripti, paulatim Olyssipponi appropinquabāt. **Quarti enim** 10
copiæ (is erat Franciscus Tauora) naues conscensuræ erant in regno Algarbii. Appulerant etiam naues Belgicę in ostiū Tagi, quibus uehebantur tria milla Germanorum, à principē Auraico impetratorū: quibus imperabat Martinus de Burgundia, Dominus de Tamberg. His non sine stupore rusticorū, qui ad incommoda belli non erant assuefacti, hospitium in oppido Cascais, & locis circumuicinis assignatū fuit. Cupiebat Sebastianus ante discessum denuo cum duce Albano cōmunicare, eumq; ad colloquiū inuitabat. Sed cum Dux se excusaret, diceretq; id sibi sine regis Philippi consensū non licere: Philippus vero (idq; dūcis rogatu) senis Albani valetudinē prētenderet, voti compos factus non est. Dicebant Albano amici, eū non debuisse hunc honorē à rege oblatum respuere: sed respondebat, se ex colloquio Guadalupensi, & ex literis regis sententiā illius satis superq; perspexisse: cumq; 20
de animo illius mutando plane desperaret, se, qui in iuuentute cautus esse studuisset, iam senio cōfectū cōmittere nolle, vt sibi regis, & regni illius interitū, quē prēuideret, homines acceptū ferre possent. Rex itaq; maturis cōsiliis destitutus, discessum vrgebat, omnis, quātumuis exiguæ moræ, impatientissimus. Vniuersis itaq; copiis, & omnib. nauibus Olyssipone congregatis, milites, quorum vix erant 9. millia, naues inuiti sane cōscenderunt. Proceres, & cōplures ex nobilitate singuli nauim instructā, & domesticis aliisq;, quos suo sumptu secum ducebant, uehendis destinatā, habebant: Sed à rebus charissimis, non nisi difficulter auelli poterant: Et quanquam certus dies discessui diceretur, tamen negligebatur. Itaq; rex, die quodā magna hominū turba stipatus mane ad templum cathedrale accessit, vexillumq;, quod expeditioni Africanæ destinatum, sibi præferri curabat, ritu solēni cōsecrari iussit; cōsecratum vexillifero magno tradidit. E templo vero egressus, cum eum 30
multi in aulam rediturum opinarentur, statim triremim suam conscendit, & vt omnes eo magis properarent, se statim soluturū edixit. Quanquā vero 17. die Iunii anni 78. ita vt dixi nauim conscendisset, tamē per integrū octiduum in eodē portu hēsit, nec (interim dum reliqua turba se ad nauigationē parat) vnquam ex triremi egressus est: Cumq; postridie D. Ioannis demū vniuersi naues conscendissent, statim tota classis, ventum secundum nacta, soluit, cum incredibili voluptate Regis, qui, iuuenis imperitus, & vel stellæ malignioris influxu, vel Dei Opt. Max. gentem illam castigaturi, voluntate impulsus, in Africā, res non minori cum periculo, quam gloriā coniunctas tentaturus traiecit, postquam regnum, pecunia & nobilitate exhaustum, sine herede in gubernatorum, parum patriæ amantium, 40
manibus reliquisset.

Liber Secundus.

ARGUMENTVM.

*In hoc libro continetur aduentus regis Lusitania in Africam: consilium illius de aduenendis locis mediterraneis; iter exercitus; apparatus bellici Moleii Moluci; conditio, & dispositio exercitus eiusdem; 50
prælium ad Alcasar; fuga Lusitanorum; mors regis Sebastiani, & Moluci: creatio regis Henrici.*



B I V S regis Portugalliæ vnā cum classe tam mœstus fuit, vt apertissima infeliciū successuum indicia apparerent. Neque enim in tanto, tamque variæ conditionis hominum naues conscendentium numero quisquam ridere, aut frontem exporrigere visus est, contra quam fieri solet in initiis expeditionum: sed potius omnes, quasi tristis exitus præfagi, se inuitos abduci querebantur. Erat in portu adeo funestum

silē-

silentium, vt toto illo tempore, quo ibi tantus nauium numerus hæsit, nullius vnquam fi-
 stulæ, aut tympani sonus exaudiretur. Regia triremis cum soluisset, aquæ impetu in nauim
 Belgicam illisa rostrum fregit: & obthurementum crassioris tormenti, ex littore dis-
 plosi, vnum ex nautis, qui nauicula ad regiam triremem pertinenti vehebatur, inter-
 emit. Equidem si nos fidem auguriis haberemus, vt veteres faciebant, poterant hæc
 satis mala omnia videri. Primus locus, in quem appulerunt, fuit Lagus in regno Al-
 garbii: vbi cohortes, à FRANCISCO TAVORA in ea regione conscriptæ, naues
 conscendere. Adiunxerunt etiam se classi aliquot aliæ naues, ita vt in vniversum tam
 paræ quam magnæ non multo pauciores essent, quam mille. Verum, exceptis quin-
 10 que triremibus & aliis nauibus, quinquaginta, reliquæ non erant ad pugnandum in-
 structæ, sed maxima ex parte onerariæ, traiciendis equis, & globis, ac pulueri tormen-
 tario. Paulo post appulerunt Gades, vbi Dux Medinæ Sidoniæ regem honorifice ex-
 ceptum ludis equestribus, & taurorum venatione, aliisque rebus quas tenuis Insula
 suppeditabat, exhilarauit. Laborauit Dux in dissuadenda Regi profectioe Africana:
 sed irritò conatu. Nam cum classis ibi per octiduum substitisset, sine vllis vigiliis & ex-
 cubiis, ita vt mercatorum potius quam ad bellum paratæ naues viderentur: cursu Afri-
 cam versus directo breui tempore Almandrauas inter Tingim & Arzilam appulit, ibique,
 iactis anchoris, aliquandiu commorata est, ideo quod Rex de copiis prope Laraccen
 (Maurorum oppidum, inde quindecim miliaribus versus Austrum distans) exponendis
 20 cogitaret. Sed paulo ante, quam classis littori appropinquaret, & certi aliquid de disces-
 su statueretur, Rex cum quinque triremibus & quatuor nauibus maioribus bellicis (cæ-
 teris relictis) nauigauit Tingim, vbi non diu substitit, nam, postquam Muleium Xe-
 quem, filium Xariffi duodecim annorum puerum, vna cum Martino Correa de Sylua,
 & aliquot equitibus Mauris & Lusitanis ad classem terrestri itinere misisset, vt inde Ma-
 zagonem versus profecti Mauris, qui à Moluco defecturi credebantur, auxilium ferrent:
 ad classem reuersus est, nouo præsidio arci imposito, & Xariffo, atque octingentis sclo-
 petariis præsidariis in naues receptis, Almandrauis cum tota classe Arzilam discessit:
 cumque milites aquæ dulcis penuria laborare intelligeret, eos animorum & corporum
 recreandorum gratia in littus descendere, iussit, eo consilio, vt postea in naues redirent,
 30 aut Liburnicis Laraccen veherentur. Sed, vt erat dubius, & incertus, neutrum horum
 consiliorum postea amplexus fuit. Nam cum copiæ non sine confusione magna semel
 expositæ fuissent, impetrare ab illis, vt denuo naues conscenderent, difficillimum erat,
 tum propter defectum disciplinæ militaris, tum propter inopiam aquæ dulcis, de qua
 nauibus prospiciendum erat: & sic factum fuit, vt Rex aliquandiu ibidem, consilii in-
 certus, hæreret. Castra metatus est in ipso littore, eaque ex duobus lateribus fossa, &
 plastris communiuit: reliqua duo mare, & oppidum tuta præstabant. Ita dies quindecim
 consumpsit. Interim fama de Regis Lusitaniæ aduentu totam illam prouinciam ita
 commouit, vt Mauri, qui Laraccen, Tituanum, & alia loca maritima incolebant, hostium
 40 viribus sese impares rati, domos deserere, & vna cum vxoribus, & peculiolo suo ad mon-
 tem Atlantem confugere inciperent. Sed Moleius Molucus (qui erat Marroci, & partim
 ex Portugallia, partim Gadibus, & Arzila iam ante de apparatu regis Portugalliæ, de
 numero, & conditione exercitus, diligentissime certior factus fuerat, vehementerque
 succensebat Sebastiano, qui Mauro regnum adimere, & alii Mauro, nullo amicitia iure
 sibi coniuncto, reddere constituisset, sine vlla causa, & sine omni inuestigatione, vter
 ipsorum meliori iure niteretur) de conditionibus, quas Regi Hispaniæ proposuerat, ob-
 tinendis desperans, se ad defensionem parare cœpit. Verum, quia non ignorabat, quid
 vel iniqua pacificatio bello etiam non infelici præstet, & quanta incommoda, quanti
 sumptus; quanta pericula Martem comitentur, cum rege transigere studuit, eique a-
 50 gram, arcibus quas in Africa habebat, circumuicinum, ad decem miliaria in circuitu
 obtulit. Sed Sebastianus, spretis his conditionibus, ipsi respondit, se iam fecisse magnos
 sumptus, & conduxisse militem externum: & eam ob causam ab expeditione se non posse
 discedere, nisi Molucus Tituanum, Laraccen, & Caput Augurii sibi concederet. Vifa
 est Moluco petitio iniqua: & ideo dixit, regem petere rem, de qua cogitandum esset de-
 mum post Marrocum obsidione cinctum, aut si Muleium Mahumerum, capitalè hostem,
 sibi vicissim dedere paratus esset: se illa regna armis, & virtute acquisiuisse: velle eadem
 summis viribus defendere. Statim mandauit Rodouano Lusitano Renegato, vt vocant,
 procuratori generali, vt extra urbem omnia tentoria, & tabernacula tendi curaret: id quod
 postridie factum est: fuitq; numerus tentoriorum vltra 4000. Die vigesimo sexto Maij ver-
 sus Susam, urbem primariam, ad septentrionem spectantem; iter instituit, mandata datu-

rus in ea regione de rebus nonnullis ad bellum pertinentibus : sed cum in itinere intellexisset regem Portugaliæ ex portu Olyssipponensi soluisse , statim Marrocum reuersus est , & Rodouano vicario creato , cogit in vnum locum copias , quas in illo regno , perpetuo stipendio sibi obstrictas , alit. Posuit castra Canisi : & inde Temisnam (hæc autem loca non ita procul à finibus Lusitanorum absunt) contendit : quo in loco ipsum morbus , cum copiosissimo vomitu , & feбри coniunctus , inuasit. Ibidem rescit Sebastianum Gades appulisse , & quanquam vehementer ægrotaret , tamen nihilominus , motis castris , Sale petiit. Habebat 14. millia equitum hastatorum , mille equites sclopetarios , mille etiam quingentos pedites itidem sclopetis rem gerentes : pene omnes oriundos ex Andaluza , & Renegatos. Hic intellexit Lusitanos appulisse Arzillam. Quade causa fluuium Marmor vado transiit : cumque Marroco certam æris quantitatem adferri curasset , in castris quatuor crassiora tormenta suis manibus confecit : quorum tria secum retinuit , quarto Marrocum misso ; Alcazar versus iter instituit. Moleius Hemetus , frater Moluci nothus , & regni Fessæ gubernator , mandato ipsius iam ante , utpote magister equitum illius prouinciæ , castra metatus erat , & equitatu , peditatuq; ex locis circumuicinis collecto , in eum locum , quem Feriam diei Iouis vocant , sex Alcazarquibirio milliariibus distantem progressus , fratrem , coniungendarum copiarum causa , expectabat. Ducebat autem 22. millia equitum , & quinquies mille , & quingentos sclopetarios. Peruenit eo Molucus vigesimo quarto die Iulii , viribus , vehementia morbi ita prostratis , vix ut equo insidere posset : cumque bonam itineris partem lectica confecisset , simulatque fratrem aduentare vidit , conscenso equo obuiam eidem processit. Dum autem sibi inuicem appropinquarent. Moleius Hemetus , equo admissio , ad fratrem properauit : cumq; prope abesset , desiliens , in signum reuerentiæ , terram osculatus est , interim dum perpetuam sclopetarii globorum grandinem ei aculantur. Quoniam vero moribus magis magisque inualefcebat , Moleius Molucus cum solita pompa castra ingressus non est : sed in lecticam illatus statim quiescendi gratia diuertit , fratre in locum suum substituto. Et quia intellexerat à Sebastiano Mazagonem versus cum copiis missum fuisse Moleium Xequem : & ipse eo ablegauit Moleium Dau , nepotem suum vna cum duobus millibus equitum , & aliquot peditibus , qui Xequis conatibus in illis partibus obsisteret. Miserat etiam milites nonnullos versus Caput Augurii , & Laraccen : sed illi cum regem Sebastianum exercitum suum prope Arzillam exposuisse intellexissent , in castra reuersi sunt. Erat Molucus homo magni , & intrepidi animi , & in loquendo liberrimus. Ut autem ostenderet se non metuere Portugallos , & Xariffum Mahametum , publice dicebat se nolle quenquam castra sua inuitum sequi , seque iis , qui Moleio Mahameto magis fauerent ; licentiam ad ipsum transeundi concedere ; imo rem gratã sibi facturos , adiciebat. Probabile autem est eum hæc locutum , non tam ut vires hostium contemnere videretur , quam quod intelligeret se non posse facile impedire , quo minus , qui vellent ad Mahometum transirent : quodque mallet eos mature abire , veritus , ne vel in ipso conflictu , vel alio periculosiori tempore cum maiori suo damno ad hostem deficerent. Atque ut iidem meliorem discedendi occasionem haberent , ex numero eorum , quos suspectos habebat , ter mille equites selectos exploratum , & copias Christianas velitationibus crebris vexatum , emisit , non tam quod speraret illos officium fideliter facturos , quam ne iis , qui vellent , discedendi facultas deesset. Verum illi , quibus consilium Moluci ignotum esset , mandatum hoc in contrariam partem , quasi Imperator ipsis omnium maxime fideret , interpretantes in fide permanserunt , & paucissimis ad hostem transfugientibus , diligentissime iussis Moluci satisfecerunt. Nam conglobati modo sexcētis plures ad ipsum Lusitanorū vallum excurrebant , & eos , qui paululum modo à castris abscesserant , interficiebant. Interim Lusitani , castris inclusi , antequam Maurum vllum viderent , bis iam classicum , vano metu perterriti , cecinerant. Cum vero sexcentos equites tanta cum audacia castris obequitare cernerent , homines , qui nec eminus , nec cominus hostem vnquam vidissent , exterrefacti ad naues promiscue confugerunt , quātumuis castra munita , & ciuitati amicę contigua haberent , & classis armata intra sclopeti iactum præsto esset. Et si autem hostes post leue prælium cum Mauris Xariffi Mahumeti , qui extra fossam castrorum confederat , statim discessissent , tamen tantus terror Lusitanorum animos occupauit , ut , quia naues conscendere prohibitum erat , ex castris se subducentes terrestri itinere Tingim versus contenderent ; quanquam ex fumo in ignem quod dicitur , incidebant , propterea quod in itinere intercipiabantur à Mauris Tituanum , & vicina loca in habitantibus , qui spe prædæ viarū angustias occuparant. Ceterū regi hic primus hostiū , tam repente abscedentiū conspectus , animum addidit , ita ut cum ante in oppido diuersatus esset , deinceps extra portam

consideret, eo consilio, ut, si usus veniret, tanto commodus velitationibus ipse interesse posset. Cum itaque postero die bis mille equites Mauri apparuissent, ipse cum sexcentis equitibus aduersus illos proficiscitur: & quia, confecto prelio leui, Mauri pedem referre incipiebant, Rex, strenui potius militis, quam cordati ducis officio fungens, Eduardum Menesium, castrorum praefectum (quem auiditas pugnandi paulo longius prouexerat) sequitur, & nullis stipatoribus, nullis scloperariis, comitatus, per decem milliarium spatium a castris abscedit: ita ut, cum ab ipsius salute totius exercitus salus dependeret, vitae potius tædio, quam vera animi magnitudine duci videretur: quanquam verisimilius est, eum, cui tanquam regi potenti in otio, & delitiis viuere licebat, sed o gloriae desiderio impulsus fuisse.

De hoc conflictu nuntium accepit Molucis in castris, quae trans Alcazar posuerat; ubi commorabatur, partim ut expectaret copias, quae Tituano, Mechinea, & ex aliis locis maritimis paulo post venerunt, partim etiam quia cupiebat Lusitanos in loca mediterranea pertrahere: à qua re illos non alienos esse intelligebat: & tamen simul etiam metuebat ne, consilio mutato, in littore maris permanerent: id quod etiam ratio belli suadebat. Qua de causa, si Lusitani mediterranea loca fugere pergerent, constituit primo quoque tempore castra ipsorum castris opponere, & , antequam locum aliquem tentarent, incursionibus illos fatigare, commeatu excludere, praelio iusto abstinere, nisi loci aequitas aliud suaderet. Sin vero, relicto littore, in mediterranea penetrare animum inducerent, nullum ipsis in itinere impedimentum obiicere, sed ubi iam satis processissent, reditu ad mare eos intercludere decreuit. Neque dubitabat quin hoc pacto victoria incruenta potiturus esset, tum quia numerosissimum exercitum habebat, tum quia intelligebat, Lusitanos non bene à commeatu instructos esse, inuitos castra sequi, effeminatos esse, & belli insolentes. Interea temporis rex Sebastianus proceres & duces conuocauit, ut de mouendis castris deliberaretur: cumque sententiam eos rogaret, multi libere loqui non audebant. Etsi enim commodissimum factu putarent nauigare Laraccen: quia tamen regem ab hoc consilio alienum esse animaduertebant, postposita veritate, ad adulationem conuersi gratiam inire male consulendo, quam bene consulendo in odium incurrere maluerunt. Rex auidissimus erat itineris terrestris, ut occasionem haberet militaria imperatoris, & tribuni muneris obeundi: nec considerabat, quantis cum difficultatibus & periculis idem esset coniunctum: imo destitutus bonis exploratoribus, nec de hostium viribus vel tantillum edoctus, putabat se totam illam ditionem tuto peruagari posse, & Mauros omnes, si quos obuios haberet, fuga sibi consulturos esse, ut fecerant pauci illi, cum quibus ad Arzilam manus conseruerat. Inter eos, qui regi praeter ceteris assentabantur, erat Alfonsus Portugallus, Comes de Vimioso. Hic fuerat olim regis cubicularius: cumque in priori profectioe Africana rex ei curam commeatus comparandi commisisset, tam male hoc officium administrarat, ut, si Regi vel in Africa, vel in mari paulo diutius hærere vsuuenisset, omnibus fame moriendum fuisse videatur. Inde æmuli Alfonsi occasionem sumpserant eum accusandi apud regem, cuius animus ex illo tempore ab eo erat paulo alienior. Alfonsus, homo ambitiosus, & astutus ad voluntatem ac nutum regis se accommodabat, quamuis forsasse non ignoraret institutum illius esse perniciosum, & temerarium. Ac licet vulgo putaretur intelligere e re non esse, tamen iter terrestre suadebat duabus de causis. Prior erat, ut hoc pacto rex in itinere penuriam commeatus experiretur, & ut, profectioe eam ob rem impedita, ministri, quibus cura commeatus demandata erat, in indignationem regis concurrentes iisdem telis ferirentur, quibus ipse percussus fuerat: praeterquam quod etiam hac ratione fiebat, ut iter necessario intermitteretur. Altera erat, ut ferocem se ostenderet extra periculum, ut regi morem gereret, & eius gratiam recuperaret, maxime quia existimabat regem omnino profecturum, siue ipse suaderet siue dissuaderet; & quia sibi vitae periculum adeundum videbat, existimabat se recte facturum, si auctor eius profectiois esset. Nam si male cederet, futurum erat damnum commune: sin bene: videbat ad se solum fructum, & gloriam victoriae redundaturam, utpote qui solus huius consilii auctor fuisset. Ut autem opinionem suam per se debile confirmaret. Regis quoque desiderium, terrestre iter instituendi, auget, dicebat non decere potentem illum exercitum in Africam ingressum, & toti agro circumuicino dominantem denuo naues conscendendo timoris speciem praebere: facile ei esse, quo cumque tenderet, ferro sibi viam aperire. Et licet numero hostibus esset inferior, tamen superiorem esse virtute, quae numero praestaret: praesertim cum experientia testaretur, quanto interuallo militem Maurum Christianus superaret. His addebat copias ad Laraccen non nisi difficulter, & cum periculo exponi posse. Postremo dicebat fore, ut rex Philippus & Castellani dictarent, Lusitanos sine ipsorum auxilio in Africam penetrare non audere: eosque militem exponendo inconsultos, ad naues

redeundo meticulosos sese præbuisse. Ludouicus de Sylua, vnus eorum, qui in primis apud regem gratia valebant, liberrime omnium sententiam dixit, ostenditq; non esse rationi cōsentaneum, vt exercitus, qui in maritimum Africæ locum proficisci constituerat, terrestri itinere eo contenderet, cum in promptu esset classis, cui, cæteris rebus omnibus instructissime, de aqua dulci, ad iter tam breue necessaria, prospici nullo negotio posset. Dicebat nauigationē futurā esse tutissimam, propterea q; nullū esset periculū à classe vlla hostili: cōmodissimam, propter breuitatē itineris: militē facile exponi posse: quia nemo esset prohibiturus. Contra terrestre iter non cariturum periculo, quod ignorarent, quo in loco hostis confedisset, & quem militum numerum haberet. Itaq; facile euenire posse vt, dum procul illum abesse putarent, ceruicibus ipsorum immineret: Et si forte exercitus penuria rerum 10 necessariatū, vt sit, laborare inciperet, à classe, tanto interuallo remota, vix ac ne vix quidē vllum subsidium sperari posse. Præterea inter exercitum & Laraccen interiectum esse fluiuium Luffum (à Ptolemæo Lixus appellatur) in cuius ripa sinistra oppidum illud aliquantum versus mediterraneas partes ædificatum est: & quia exercitus neq; ponte, neq; nauibus ad flumē traiciendum idoneis instructus esset, necessario relicto maris littore, in mediterranea penetrandum esse vadi, aut pontis inuestigandi gratia: imo eo etiam inuento, tamen incertum esse, quam facilis futurus esset transitus, propterea quod credibile esset, hostes vada & pontes præsidio muniuisse. Inter has duas sententias contrarias, quarum altera terra, altera mari eundum suadebat, media quēdā deinde via proposita fuit, videlicet, vt exercitus secundū oram maris semper in conspectu classis, impedimētis, & carris à ma- 20 nu sinistra valli loco dispositis, iter faceret, & vbi ad ostium fluminis peruentū esset, eadem classe ad traiciendum vteretur. Verum ne hæc quidem sententia, quæ fortassis minus incommodi habebat, regi placuit, quamuis non adeo displiceret illis, qui mari eundum iudicabant: quorum opinio licet pluribus suffragiis niteretur: tamen, quia Rex aduersæ parti ad stipulabatur, pondere & auctoritate destituta fuit, ita vt consilium de itinere terrestri, ex omnibus tribus pessimum, cæteris anteponeretur Moleii Mahameti, qui regem tanto cum ardore expeditionem vrgerere videret, metus, & sollicitudo in dies magis magisq; augete- bat, quod rem infeliciter successuram animo cerneret. Veritus erat iam ante, ne Sebastia- nus victor iugum nimis graue sibi imponeret: Sed, simulatque exercitum vidisset, statim de victoria, si manus confererentur, desperare cœpit, & ideo, rectius se facturum existima- 30 uit, si regi suaderet, vt Larraccen potius mari, quam terra proficisceretur: sperans eum, oppido facile expugnato, hac victoria contentum, in Lusitaniam rediturum esse, relicto in Africa exercitu, cuius beneficio putabat se posse tantā sibi apud Mauros auctoritatem conciliare, vt, deserto Moluco, in sua castra transirent: aut, si omnino prælii fortunam tentare animus ferret, lente festinandum, maioriq; cum consilii maturitate, quam Sebastia- nus facere videretur, rem tractandam iudicabat. Cæterum eius consiliū apud regem non plus ponderis habuit, quam reliquorum. Itaq; cum Iacobum de Sosa cum classe Laraccen petere & ibi expectare iussisset, Alcalarquibirium versus (illac enim ad pontem itur) duxit exercitum, in quo non erant vltra 13. millia peditum, & mille quingenti equites: nimirum 8. millia Lusitanorum, tria millia Germanorum, mille Castellani, & sexcenti Itali 40 vna cum duodecim tormentis crassioribus. Verum quo vterius in mediterranea penetrabant, eo magis metus crescebat, & præsertim in animis eorum, qui mari eundum censuerant. Et quamuis nonnulli denuo mollissimis verbis regi in mentem reuocarent errores, qui in bello committuntur, corrigi non posse: post breue temporis spatium fore, vt non liceret amplius consilium mutare: non, nisi re probe expensa, tentari debere ea quæ postea emendari nequirent; & quamuis rogarent, ne in manifestum periculum se præcipitaret, & in primis ne à mari nimis procul discederet, multisq; verbis periculū, exiguum fructum, penuriam comæatus, & militum imperitiam exaggerarent: tamen ne tantillum quidem effecerunt: imo (vt sæpe solet pro bonis consiliis mala gratia rependi) irainflammatu erga illos, quos præmiis & honore afficere debuisset, vix fidelem hanc admo- 50 nitionem audire sustinuit. Qua ex re cum isti consiliarii intelligerent regis aures consilio omni clausas esse, non amplius libere loqui ausi sunt, veriti, ne in ipsis indignationem incidere. Destituebatur autem exercitus ducibus eximiis, & rei militaris peritis: vnde fiebat, vt in itinere faciendo, in castris ponendis, & in pugnando, sine ordine omnia administrarentur. Etsi enim rex Imperatoris, & Eduardus Menesius præfecti castrorum partes sibi arrogarent, adessentque etiam nonnulli, alii tribuni inferiores, tamen ad vnum omnes erant inexperti. Militibus exteris quidem aliquanto peritiores duces præterant, propterea quod Dominus de Tamberg Germanorum, Marchio Itolorum, Alfonsus de Aguilar Hispanorum dux, bellicæ rei scientia Lusitanos superarent: veruntamen, quia

nec rei summæ præerant, & erant exteri, non poterant exercitum suo arbitratu dispo-
 re, & ducere: atque ita eueniebat, vt nemo Lusitanorum sciret, quid sibi agendum esset.
 Prima castra posuit Rex 29. die Iulii Molinis, tribus Arzila miliaribus: Secunda Meneræ,
 vbi Molucum sibi appropinquare intellexit. Ex eo loco misit Olysiptionem ad Petrum
 Alcaouam litteras breues illas quidem, sed solitam ipsius confidentiam redolentes. Si-
 gnificabat se certiore esse factum Molucum non procul abesse, seque constituisse ma-
 nus cum ipso conferere, nisi fortasse fuga sibi consuleret. Eo tempore venit in castra Fran-
 cis Aldana, qui regi in Africam cogitanti operam suam dicauerat, & hanc ob causam
 à rege Philippo (id quod nulli alii contigit) abeundi licentiam obtinuerat. Cum autem
 10 homo militaris in exercitu nihil ordine, & ratione geri videret, solus præcipuis pene om-
 nibus officiis defunctus est, & pro viribus copias ad ordinem & disciplinam redegit,
 quanquam non omnia ex animi sententia exequi posset: quod & militibus illis ignotus
 esset, nec ea, qua par erat, apud Lusitanos auctoritate valeret. Ita exercitus lente pro-
 gressus est, & opera, ac industria eiusdem Aldanæ, & Philippi Terzi (qui architecti mu-
 nereungebatur) castris loca cõmmoda, & tuta delecta fuerunt. Videbant enim equi-
 tes in campis circumuagari, nec de Moluci consiliis quidquam certi ipsis constabat. I-
 dem Aldana, regi attulerat literas à Duce Albano, vna cum munere, quod erat galea, qua
 olim CAROLVS QVINTVS vsus erat, & chlamys ex serico candido, qua indutus idem
 Imperator olim Tūnerum victor ingressus fuerat. Literæ Albani continebant responsio-
 20 nem ad literas regis. Dicebat se aliquandiu anxium fuisse, metuentem, ne rex cum ex-
 ercitu in mediterranea Africæ loca penetraret. Verum simulatque ex epistola, propria
 ipsius manu scripta, perspexisset Maiest. eius tantum Laraccen vsque cogitare, se ma-
 gna statim lætitia perfusum fuisse: atque hoc regis institutum magnopere laudabat. In-
 terea exercitus peruenerat ad colles quosdam, quos vulgo caput Ardanæ appellant, ibi-
 que tertia castra fuerunt. Inde motis castris, quarta Barcaini posuerunt. Ad locum ve-
 ro quintis castris destinatum cõtendentibus fluuiolus Mucazenus, qui paulo inferius in
 Luffum se exonerat, vado erat transeundus. Molucus certior redditus, quam in partem
 Lusitani iter facerent; postquam vltra Alcazar opinione sua diutius (ad Lusitanos in
 mediterranea quam longissime pertrahendos) hæssisset, omnesque copiæ, quas expecta-
 30 bat, conuenissent, secundo die Augusti, motis castris, in locis Alcazari circumuicinis
 confedit. Postero die iter ad pontem, quem Lusitani quærebant, direxit, traductoq; ex-
 ercitu castra in loco ad mare vergenti communiuit; eo quidem consilio, ne vltius pro-
 grederetur. Nam occurrebat regio referta collibus, leuiter illis quidem assurgentibus,
 & quo plaustra, & tormenta aduehi possent, sed qui tamen copioso equitatu ad dimican-
 dum impedimento futuri viderentur. Interim Lusitani eodem die Mucazenum transie-
 rant, & cum quintis castris locus deligendus esset, incerti erant, vtrum cis, an vltra ri-
 um quendam, qui ex paludibus Alcazarquibirii promanat, considendum esset: cum
 que iam pars exercitus aquam transisset, rediit in citeriorem ripam, postquam cis aquam
 manendum esse decretum fuisset. Ibi intellexerunt Molucum esse in vicinia, & non ob-
 40 scire significare se à committendo prælio, non abhorre: ac nisi nox tam cito ingruisset,
 exercitus se inuicem videre potuissent. Ægrotabat tum vehementissimè Molucus, ita vt
 non nisi paucos dies superuicturus crederetur; & tamen nihilominus magno animo de
 omnibus, quæ necessitas requirebat, mandata diligentissime dabat: cumque hostem ad
 eo vicinum esse animaduerneret, ante omnia fratrem vocauit, eique dixit, quamuis iu-
 dicio suo neque ingenio, neque audacia ad munus, quod ipsi commissurus erat, necessa-
 ria instructus esset, tamen, quia frater ipsius esset, se illum præficere toti illi equitatu, cum
 quo hostem aggredere, & vel vinceret, vel moreretur. Quinimo minatus est, si vlla
 in re timidum se gereret, fore, vt propriis manibus ipsum strangularet: egressusque paulo
 post è tentorio aciem instrui iussit, & ipse lecticæ, quam serui humeris ferebant, insi-
 50 dens, per singulos ordines transiens tribuni militum partibusungebatur. Hic exercitus
 ex variis hominum generibus compositus erat. Adierant tria millia Maurorum Andalu-
 ziorum, ducibus Doali, Algori, & Ofsarino, viris strenuis, qui tempore belli, quod ad
 montes Granatæ exarserat, in Africam transferant, partim equites, partim pedites. Ad
 hos accedebant tria millia peditum, viginti quinque millia equitum, mille equites sclo-
 perarii, maxima ex parte Renegati & Turci, omnes in armis exercitati, & perpetuo sti-
 pendio conducti. Et hi erant neruis exercitus, Collectitiorum erant fere decem millia
 equitum, quinque millia peditum, ita vt in vniuersum equites essent plures quadraginta
 millibus, peditum octo millia, præter multos Arabes, & voluntarios qui eo confluxe-
 rant. In collectitiis, & Arabibus non multum spei Molucus ponebat, illos pro timidis;

nos pro inconstantibus habens: & inter illos, qui stipendia merebant, erant etiam ter mille equites, quos, ut diximus suspectos habebat, tanquam partibus Moleii Mahameti studentes, & presenti imperio non contentos. Ceterum Lusitani, qui ad existimationem suam tuendam libenter hæc exaggerant, aiunt in exercitu Moluci fuisse septuaginta millia equitum, & viginta millia peditum. Et Mauri, qui patriæ potentiam magnifice prædicant, numerum faciunt etiam multo maiorem. Verum homines sine affectu iudicantes testantur Molucum quidem potuisse sexaginta equitum millia cogere, & plures etiam pedites, quam habebat: Sed tamen reuera in exercitu non fuisse maiores copias, ijs, quas diximus, vna cum triginta quatuor tormentis maioribus. Molucus erat Imperator, fratrem, ut diximus, crearat magistrum equitum, Osarinus Ragusæ præerat equitibus sclopetariis, Mahametus Faba Renegatis: Doalis Andaluziis: reliquis imperabant homines obscuriores, suæ quisque nationis militibus. Cohortis prætorix præfectus erat Musa. Eodem die cum aduersperaceret, Molucus Solimannum Cordubensem Renegatum, & præfectum stabuli, vna cum turma equitum misit, contemplatum exercitum Lusitanorum, & exploratum, an se ad prælium pararet. Hic cum videret Lusitanos, qui riuum transierant, in alteram ripam redire, nec illud riuus inter vtrumque exercitum interponendi causa fieri animaduerneret, sed potius existimaret illos retrocedere, rediens in castra vanum de Lusitanorum fuga rumorem disseminauit: quo commoti Mauri fugientes insequi, & extremum agmen carpere cupiebant, sed noluit hoc permittere Molucus, imo ut Dux, qui tantum de defensione cogitabat, paratusque erat hosti, fugere volenti, viam patefacere, abeant, inquit, bonis auibus. Se enim nolle eos insequi. Iussit statim confundi & misceri ordines, non tam quod Lusitanos discedere existimaret, quam quod Mahametus Faba, Dux Renegatorum, ipsi indicauerat periculum esse in exercitu a prodicionibus. Tria enim Maurorum sclopetariorum millia nec globis, nec puluere tormentario esse instructa. Itaque è vestigio edici publice iussit, ut ij, qui rebus necessariis destituerentur, ad procuratorem regium accederent, accepturi ab eo omnia, quibus indigerent: sclopetario vero, qui postero die quinquaginta globis, & duabus pulueris tormentarii libris non esset instructus, capitale supplicium constitutum fuit. Conuocauit etiam omnes Duces, & ut in fide permanerent, nec facultatem haberent prodicionem, si quas instituisent, ad effectum perducendi, singulis milites, quibus præerant, ademit, & totidem, qui sub alio Duce antea meruerant, illis reddidit, ita ut nemo fere ex nobilioribus ductoribus remaneret, quin officium eius, & locus mutaretur. Nox illa quietior fuit, quam duorum exercituum vicinitas polliceri videbatur. Et licet edicto cautum fuisset, ne in Mauros, qui ad castra Sebastiani transituri essent, vllum telum contorqueretur, sed ut humaniter exciperentur: tamen ne vnus quidem accessit, siue quod non adeo fauerent Mahameto, ut ille dictitabat, siue quod propter excubitorum, & vigillum diligentiam castris tuto excedere nequirent: & tamen nonnullos egredi constabat. Nec profuit quidquam, quod Mahametus, vexillo suo in fronte exercitus posito, quasi nominatim eos euocaret. Neque enim quisquam se commouit: Et ideo, vbi illuxisset, Lusitani, quid potissimum consilij capiendum esset, deliberare cœperunt. Rex aliquanto mitior factus, conuocatis primariis, patientiores, quam ante, aures adhibuit orationi eorum, qui hoc iter dissuaserant: consultatum fuit de reducendo exercitu per eandem viam, per quam venerat, aut saltem de itinere Laraccen versus instituendo, & de flumine prope ostium traiciendo. Verum peritiores rei militaris, qui iter, quod eo vsque Rex profectus erat, dissuaserant, quique summis viribus laborauerant, ne in conspectum hostis veniretur, necessario prælium committendum esse dicebant. Nam feruorem de euitanda pugna, deque retrogrediendo cogitari, propterea quod nec retrocedere sine insigni detrimento, nec diu in eodem loco commorari per inopiam commearus liceret. Iter vero cœptum continuari non posse, quin manus confererentur: & ideo præstare forti animo hosti obuiam ire, quam retrocedendo, aut de via declinando ipsi animum addere. Xariffus Muleius Mahametus, quantumuis spem omnem recuperandi regni in sola vnus prælii victoria collocaret, (nam ex Laraccæ, aliorumque locorum maritimarum expugnatione nihil ad ipsum fructus redire poterat) prælium tamen pro viribus dissuadebat, existimans Lusitanos hosti esse impares: imo dicebat differendum parumper, & cogitandum de ratione aliqua reducendi exercitus, etiamsi ea cum nonnulla iactura coniuncta esset. Etsi autem Sebastiani impetus non nihil deseruisset, tamen in communi omnium metu magnanimum se præbebat, permanens etiam in pristina pugnandi cupiditate, eo quod hostium vires minores, quam reuera erant, putaret. Nemo erat, qui ipsi contradiceret. Præterquam enim quod, ut dixi, complures, fortunam

nam pugne tentandam esse censerent, etiam maior pars Lusitanorum existimabat esse hominis timidi, praelium dissuadere, & longe praelarius esse superari temere pugnantem, quam vincere arte, & iudicio abstinentem praelio. Itaque communibus votis, (quæ tamen in multis ab animo discrepabant) pugnandum esse conclusum fuit, durante interim (sed exigua cum spe) pacis, & concordie tractatu. Atque ita mane illius diei, e castris exercitus eductus fuit, diuisusque in tria agmina, quæ tamen tam paruo interuallo à se inuicem distabant, vt non nisi vnum esse viderentur. Primum rursus veluti in tria distributum erat: Medium locum occupabant Lusitani voluntarii, Duce Aluaro Perezio, fratre, & vicario Christophoro Tauora: ad sinistram erant Hispani, Duce Alfonso de Aguilar, quorum latera eiusdem nationis sclopetarii cingebant: ad dextram erant Germani, Duce Tambergio, quibus adiuncti fuerant sclopetarii Itali, & nonnulli Lusitani, qui Tingi in præsidio fuerant, parebantque Herculi Pisano. Erant autem hi omnes ita dispositi, vt vniuscuiusque nationis milites ad frontem aciei pertingerent. In medio agmine, quod primum sublequebatur, erant duæ legiones Lusitanæ, ducibus Michaelæ de Norogna, & Vasquio de Silueira, & ad latera habebant sclopetarios eiusdem nationis. In vltimo agmine erant reliqui Lusitani, quibus imperabant Diegus Lopezius de Siquerra, qui tamen Arzilæ erat, & Franciscus de Tauora. Horum itidem latera, duæ veluti alæ sclopetariorum stipabant, & à tergo præsidio illis erant trecenti sclopetarii, qui crassioribus sclopetis rem gerunt. Ab vtroque exercitus latere figura triangulari dispositi erant equites, qui ad 1500. numerum non pertingebant. Triangulum dextrum ducebat GEORGIVS DALENCASTRIVS, Dux de Auero: in sinistro erat vexillum regium, legatus regis Hispaniæ Ioannes Syluius, & Theodosius adolescens, Dux Barcelensis: (ita enim primogeniti filii ducum de Braganza vocantur) à manu dextra paulo longius à reliquis locati erant 200. equites ex numero eorum, qui in illis limitibus semper militant, & Africani vocantur: & inde non procul constiterant Mauri, Xariffi, Mahumeti, ijque paucissimi. Hoc modo iter faciebat exercitus, impedimentis in eum locum, qui medius erat inter pedites, & dextri lateris equites, receptis, relictoque spatio, inter agmina, quo necessitate exigente, equitatus recipere sese posset. Molucus, qui otiosus non fuerat, interea temporis & ipse aciem instruxerat. Pedites qui omnes erant sclopetarii, in modum lunæ decrescens disposuit. Andaluzios primo loco, Renegatos secundo, tertio Africanos, idque hanc ob causam, vt nationes mutuo odio sese prosequentes altera alteram impellerent, nec pedem referre sinerent. In vtroque cornu locauit duo equitum agmina, quorum singula 10000. equitum constabant, à tergo vero harum copiarum reliquum equitatum æqualibus interuallis in turmas distribuit, hoc consilio, vt, si ad manus veniendum esset, Lusitanorum exercitum, multitudine suorum militum vndiquaque circumdatum, ex omnibus partibus adoriri posset. Ceterum dum hæc ageret, ita morbus inualecebat, vt pedetentim se mori sentiret, & licet medici nihil sibi ad summam diligentiam reliquum facerent, tamen malum ita indies crescebat, vt facile adpareret, cum vix per biduum viuere posse. Mors autem eo etiam acerbior ipsi erat, quod tali tempore sibi moriendum videret, & quod ea, quæ animo conceperat, exequi non posset, & de successore ad ea exequenda idoneo post se relinquendo desperaret. Et si enim aciem instruxisset, tamen præcipue huc non respiciebat, vt tum temporis praelium committeret: sed, postquæ Lusitanos in mediterranea vna cum impedimentis penetrare intellexisset, iudicabat eos, si ipse praelio abstinens bellum duceret, omnes perituros, seque sine iactura vel vnus militis, illos multarum rerum penuria in Africa, regione sterili, necessario laboraturos, in potestatem suam redacturum. Verum hoc consilium, quod aliquem temporis tractum requirebat, nec subito ad exitum poterat perducì, propter finem vitæ sibi imminentem, necessario abiiciendum esse intelligebat, quæ res animum ipsius mirum in modum excruciebat. Neque tamen fratri hæredi suo, rem detegi expedire ardebat, vt ille si sibi humanitus quid contingeret, consilium istud ad effectum perduceret. Præterquam enim quod prudentiæ illius diffideret, pro certo statuebat, si ante vitam moreretur, fore, vt Mauri aut fugerent, aut seditione contra fratrem excitata, Lusitanis cederent, præsertim vrgente præsentia Muleii Mahameti: atque ita regnum pessundaretur. Cumque ita his curis angeretur, hostemque cum exercitu tanto in vicinia esse, & sibi mortem imminere consideraret, statuit satius esse hæredi non fidere, & omisso priori consilio, praelii cruenti, & dubii fortunam, (quanquam militaribus præceptis non nihil reclamantibus) potius tentare, quam cum regni post mortem suam certo perituri metu expirare. Cum itaque pugnare certum ipsi esset, omni cogitatione de pace & compositione abiecta, duces exercitus, quos conuocari iusserat, reliquamque multitu-

dinem his verbis allocutus est. Virtus vestra, milites, & bonitas causæ, propter quam
 arma cœpistis, non patiuntur, vt multis verbis animum vobis addere enitar. Vos estis i-
 dem illi, qui me duce, omnia bella, quantumuis difficilia, & laboriosa magna cum laude
 confecistis: & hostes; qui vobis sunt oppositi, sunt iidem Lusitani, quos maiores vestri,
 & vestræ etiam ipsorum dexteræ sæpissime fuderunt, fugaruntque. Italos porro, & Ger-
 manos, quos stipendio illi conduxerunt, fama potius, quam re ipsa formidabiles, non
 est quod hoc tempore metuatis, cum sint tum inexercitati, tum pauci: Et ego, qui
 iam olim, quanti pretii sint, expertus sum, in me recipio fore, vt facile in potestatem ve-
 stram redigantur. Quod si in præliis alicuius momenti est causæ bonitas, cur nos de vi-
 ctoria dubitabimus? Viuebamus nos domi nostræ pacati, nemini molesti, in neminem
 iniurii, non insidiantes bonis, vel opibus alienis. Venit è locis remotis gens natura nobis
 inimica, & à religione nostra aliena, vt non tantum mihi regnum auferat, sed etiam vt vos
 bonis, libertate, vita priuet. Creditisne vos in hac impia natione commiserationem tan-
 tum posse, vt, Mahameti hominis peregrini, ab ipsorum religione abhorrentis, & neque
 amicitia, neque beneficiis cum ipsis coniuncti, in regnum restituendi causa tantos labo-
 res suscipiat, imo vitæ periculum adire non dubitet? Sitis auri, & sanguinis vestri, ac li-
 bido dominandi huc adduxit regem Lusitaniæ, fretum non tam viribus propriis, quam
 spe vos decipiendi sub specie fictæ commiserationis erga perfidum Mahametum: qui, si
 vel mediocris iudicii esset, sine dubio mallet viuere sub meo imperio, & legibus nostris
 conuenienter, quam ad regnum vi mihi eripiendum aspirando, exterminationi sui sangui-
 nis, exitio patriæ, vestræ omnium stragi occasionem præbere, & se ipsum in perpetuam
 seruitutem præcipitare. Sed intellexistis fraudem: restat, vt illi opponatis virtutem ve-
 stram, & propugnetis pro causa omnium, quæ vnquam disceptatæ fuerunt, longe iustissi-
 ma, vtpote, in qua non tantum à liberis & vxoribus iniuriæ propulsantur, libertas con-
 seruatur, vita defenditur, gloria comparatur: verum etiam siue vincendo, siue morien-
 do recta in Paradisum contenditur. Cupiebat Molucus addere plura, sed fuit interpel-
 latus clamore militum, qui flagitabant, vt statim in hostem ducerentur. Abrupto itaque
 sermone, in lecticam ingressus in medio lunatæ aciei, vbi erat vexillum regium, & co-
 hors prætoria, constitit. Interea processerat exercitus Lusitanorum, & appropinquaue-
 rat hosti in illa planitie, quam Mauri Tamitam appellant: vnde Molucus iam iam ani-
 mam exhalaturus, cum exercitum hunc adeo infirmum, & non pluribus quam 12. pe-
 ditum millibus constantem conspexisset, statuit operam dare, vt quoniam certus sibi de
 victoria esse videbatur, quam paucissimi fuga salutem quærerent. Cornua itaque aciei
 lunatæ, & turmas equitum in ingentem gyrum extendit, ita vt, cum vndiquaque milites
 ipsius extra tormentorum ictum positi essent, tamen exercitum Lusitanorum circumda-
 ret, & à tergo extremi Lusitanorum agminis, duobus cornibus coniunctis, figuram cir-
 culi oualis representaret. Quo facto, circulum paulatim angustiorē, & spissiorē red-
 didit: (tantum hi barbari in arte militari profecerunt) & ita exercitus Sebastiani à tribus
 partibus ab equitatu, & à fronte à Mauris peditibus, exitum omnem intercludentibus
 circumseptus aliquandiu substitit. Interim Mauri à spacio conuenienti disploferunt tor-
 menta maiora: quæ quanquam non nihil incommodi intulerunt, globis per medios or-
 dines hinc inde transuolantibus, tamen damnum non adeo magnum fuit. Lusitani, qui
 Mauros fugæ capiendæ causa sese mouisse primo crediderant, cum se circumeirca cin-
 gi vidissent, trepidantes propere & ipsi tormenta sua exonerarunt, sed sine vilo ordine, &
 tempore adeo alieno, vt pene omnes ictus essent inanes. Quia vero Mauri tormenta denuo
 onerata secunda vice displodebant (quanquam ictibus maxima ex parte vanis) Lusitanis
 tantus terror incussus fuit, vt ad primum ignis à puluere tormentario excitati conspectum
 omnes humi se prosternerent. Ne vero ita vel maius damnum à tormentis acciperetur,
 vel metus in animis Lusitanorum aueretur, Rex pugnæ signum dari iussit. Vnde statim
 agmina primæ aciei pari passu, præcipue vero equites magno cum impetu, & singulari a-
 nimi vigore in hostem ire cœperunt. Ibi pedites cum Mauris, qui magna cum vi irru-
 ebant, diu obstinatissime pugnarunt. Andalazij enim veteres iniurias vlturi summis viri-
 bus certabant: veruntamen tam fortiter primum agmen horum impetum excepit, vt quan-
 quam prælium anceps erat, interim dum eminus sclopetis res gerebatur, tamen, simulatq;
 cominus dimicari cœpū est, Mauri ter profligati, & signis amissis iu fugam conuersi sue-
 cumberent. Sed, quia erat eorum ingens multitudo, duces subinde fessis recentes sub-
 stituendo prælium instaurarunt. In postremo etiam agmine hostes Francisci de Tauora,
 & Diegi Lopezii de Siqueira legiones adorti erant, & eo in loco aliquandiu pugnatum
 fuit, sed minori cum ardore. Medium agmen omnium vltimum prælium iniit, cui & ipsi

negotium exhibuit Molucus, qui ab utroque latere Vasquium de Silueira, & Michaellem de Norogna inuadi curauit: atq; ita ab utroque latere, a fronte, & a tergo dimicabatur. Hi vero ultimi, cum ea, qua reliqui alacritate hosti non restiterunt: sed multi, armis turpissime abiectis, in genua procumbentes implorabant misericordiam Maurorum, quorum complures in præmium tam promptæ deditionis, ensibus suis falcatis supplicium capita findebant. prælio ita, ut dixi, vndiquaq; accenso, gyros equitatus Mauritani, & turmæ equitum, qui a tergo remanserant, appropinquantes, ante omnia in primum agmen impetum fecerunt, quod eo in loco suos laborare, & auxilio egere animaduertent: (Itali enim & Hispani multos Mauros, & in iis bellicosissimum quenq; ceciderant) & ita paulatim, quoad eius sine ordinum perturbatione fieri poterat appropinquantes in angustias redegerunt Lusitanos, qui non nihil perterriti pedem referre, & sese conglobare incipiebant, summa cum indignatione regis, qui quanuis nihil sibi ad extremam diligentiam reliquum faceret, tamen milites in loco suo continere non poterat. Horum autem equitum Maurorum impetum, turmæ equitum Lusitanorum, qui in limitibus illis militare consueuerant, Mauri Xariffi Mahameti, & Dux de Auero cum sua triangulari acie, magno cum animo exceperunt: primoq; qui occurrebant, tanta clade affecerunt, ut equitatum Maurorum ab illa parte in fugam conuerterent. Hoc felix principium victoriæ parum durauit, propterea quod dux (quem maior pars equitatus sequebatur) interim dum cominus cum hoste pugnat, a longinquo magnam equitum numerum a latere aperto in se irruere animaduertit, deq; eorum impetu sustinendo desperans, tergumq; de industria illis, quos a fronte habebat, obuertens, retro cessit, existimans se mox maiori cum comoditate ad prælium rediturum, quod & fecit. Conuersis enim equis, recta contendit in illos, qui ipsum a latere adoriri statuerant. Sed cum opinione citius magna multitudine vndique sese obrui videret, seque imparem fore intelligeret, pedem referre constituit. Conuersis itaque equis, hostibusq; magno cum ardore irruentibus non inuenit locum inter acies vacuum, in quem se reciperet: atq; ita in latus legionis Germanicæ inuectus, magnaque cum confusione pars equitatus cum peditatu permixta fuit: cumque non tam cito ordines instaurari possent, ibi plane inutilis constitit, detrimentoque affecit socios pedites, qui hac de causa eo minus hostilis equitatus, & peditatus ingenti cum multitudine irruentis, impetum sustinere potuerunt. Ab altera parte exercitus, ubi erat vexillum regium vna cum reliquo equitatu, qui paulo serius prælium iniit, magna strages Maurorum edita fuit, quantumuis rege absente, qui ad primam aciem se contulerat. Fugati enim fuerunt vsque ad tormenta sua maiora: sed, vna ex cohortibus quæ post principia substituerant, subsidio ipsis veniente, prælium tanta cum vehementia redintegrarunt, ut Lusitanis in illa parte fere idem eueniret, quod reliquo ipsorum equitatu acciderat: eratque eo deterior horum conditio, quod ab vna parte a Mauris feriebantur, ab altera impingebant in pedites socios, & in eos equites, qui hostem sese insectantem pauidi fugiebant. Itaque breuissimo temporis spatio summa confusio nata est, & equitatus Lusitanicus post aciem dissectam hinc inde sparsus nulla vel fortis animi, vel disciplinæ militaris specimina edidit. Etsi enim in eo essent multi præcipuæ nobilitatis, & nonnulli viri strenui, tamen plurimi adolescentes, quos patres, nunquam ad manus ventum iri opinantes, eo miserant, reliquos perturbabant, ita ut vnus, eiusdemque turmæ equites alii strenue pugnare, alii vero, nemine insequente, in fugam se conicere conspicerentur. Quanquam autem primarii ex his equitibus, & nonnulli inferioris ordinis, facie in hostem conuersa, factis, dictisque reliquis animum adderent, fugientesque sisterent: tamen quia pauci erant, & quia metus animos omnium occupauerat, nihil efficiebant. Interim in prima acie, ubi Rex ipse aderat, cum fortissime dimicaretur, ad duo Maurorum millia occubuerunt: sed tanta erat eorum multitudo, ut Itali, & Hispani, qui in eo loco pugnant a reliquis deserti, postquam etiam ipsis pugionibus cominus rem diu, & strenue gessissent, pene ad vnum omnes interficerentur, non victi illi quidem, sed cæde hostium defatigati. Nocuit ipsis confusio, cum qua hostem adorti fuerant. Nam cum in fronte eius agminis dispositæ essent diuersæ nationes, quæ de gloria inter se certabant, & altera alteram in inuadendo hoste anteuertere studeret: Germani, paulo lentiores, tardis aliquanto manus conseruerunt: & ita factum est, ut vires distractæ non possent id, quod vnitæ potuissent. Veruntamen horum virtus, & primus impetus equitum, in primis vero Africanorum, quibus Eduardus Menesius præerat, non mediocrem incussit metum Moleio Moluco: qui cum suos in fugam versos vidisset, quanquam morti vicinus, equum conscendit iram inflammatus, ut fugientes sisteret, animaretque. Et licet multitudo hostium magis magisque cresceret, ac Lusitani scopetarii ex vicino loco globum magnam vim eiacularentur, tamen ipse solus in confertissimos hostes irruere con-

stituit, vt suos pudore adfectos, & periculo imperatoris commotos, à fuga reuocaret. Ceterum familiarissimi quique ipsum circumsteterunt, & alii subicem ephippiarium, alij vestem, alij habenasprehendentes retinebant, orabantque ne in tam manifestum periculum se præcipitaret: cumq; ille in sententia persisteret, & hi etiam eum retinere pergerent, ita excanduit, vt ad viam sibi aperiendam, manum gladio admoueret. Verum eodem momento vis morbi ita inualuit, vt animi deliquium passus fere ex equo delaberetur. Itaque in vlnas à suis acceptus, & in lecticam illatus, cum digitum labiis in signum silentii admouisset, statim, aut, vt quidam volunt, etiam antequam in lecticam rediisset, expirauit: Renegati, quorum opera utebatur, & qui circa illum erant, summa cum diligentia mortem eius celauerunt. Ita enim ille fieri iusserat, antequam moreretur: id quod est manifestum argumentum magnitudinis animi in hoc barbaro, qui consilia sua ad horas, & momenta vitæ accommodans, cauit, ne mors sibi victoriam è manibus extorqueret. Operta itaque lectica, ad ostium eius puerum solertem, & quid sibi faciendum esset, probe edoctum, posuerunt: qui singula, de quibus interrogabatur, ad Molucum se referre, & ab eodem responsum accipere fingens, respondebat, illum iubere exercitum progredi. Neque parum Mauris hoc artificium profuit. Nam, si mors regis illico fuisset detecta; sine dubio omnes aufugissent. Arabes, qui non dimicandi, sed victos spoliandi animo eo confluxerant, cum nonnullos Maurorum in fugam se coniecere, & castrorum custodia turbam collectitiam, timidam, & de victoria desperantem præesse animaduertissent, impedimenta Maurorum inuasert, diripueruntque, in fugam versis ijs, quorum custodia commissa erant: qui vna cum lixis, & calonibus, qui in castris remanserant, Fessam vsque promiscue fugientes de Mauris victis famam longe lateque sparserunt. Adeo periculosum est vti auxilio hominum fluxæ fidei, qui, simulatque res minus ex sententia succedunt, in ipsos socios ferrum conuertunt. Sed fortuna, quæ hucusque ambigua fuerat (quamquam semper Mauris magis, quam Lusitanis fauere videretur) profligatis Italis & Hispanis, ac Germanis; & voluntariis (quorum tum satis magnus numerus adhuc reliquus erat) perturbatis, aperte (vt & ipsa victoria) cœpit inclinare in partem Maurorum, qui iam maiora Lusitanorum tormenta occupauerant. Nam Renegati qui in secunda Maurorum acie erant, ordinibus suis apertis sine vlla confusione Andaluzios, & alios, à primo Lusitanorum agmine in fugam actos, receperant: cumque recentes ipsi voluntarios, & Germanos adorirentur, nullo negotio eos profligarunt. Neque quidquam profuit, quod Renegati quidam in Lusitanorum castra transfugientes nuntium de Moluci morte attulerant. Nam etsi aliqui victoriam proclamando, mortemque Moluci publicando militibus animum addere enitebantur: tamen nullo modo à Lusitanis obtineri potuit, vt exterorum virtutem imitarentur; sed potius exterrefacti, & exanimati pedem referebant. Hastati mediæ aciei nunquam se loco mouerunt: sed à sclopetariis (qui contra disciplinam militarem loco suo deserto, progressi erant) nudi, pene immoti constiterunt, nec sociis subsidio venire voluerunt, quod ita se à rege in mandatis habere adfirmarent. Itaque ab equitibus Mauris sclopetariis circumuenti, miserum in modum interimebantur: cumque duces agnito errore, milites in hostem ducere vellent, illi iam metu ita obriguerant, vt mouere se loco nō possent. In postrema acie sclopeti ictu cecidit Franciscus de Tauora, qui virtute sua Maurorum impetum aliquandiu sustinuerat: eoque morruo, milites illius etiam magis, quam ante, consternati, abiectis armis, vel hostium misericordiam supplices implorauerunt, vel in fugam se coniecerunt; nec mouit illos præsentia, & conspectus regis, qui, cum aliquandiu in prima acie curasset, ad postremam se contulerat. Et sic summa cum ordinum perturbatione, non cernentes quo irent, retrocesserunt, omniaque agmina acie turbata, ita sese in eundem locum vndiq; restrinxerunt, vt, equis, militibus, carris, comæatu, tentoriis, & reliquis impedimentis promiscue in vnum veluti aceruum congestis, multi in illis angustiis à turba oppressi, multi à carris & equis suffocati, interirent: vtque exercitum illum, qui in circuitu tria miliaria & amplius occupabat, breuissimo temporis interuallo, partim propter stragem militum imminutum, partim propter metum in se ipsum collectum, exiguum admodum terræ spatium facile caperet. Dux de Auero, legatus Hispanicus, Aldana, & nonnulli alii homines primarii, ascitis aliquot equitibus, in diuersis locis, vbi opus esse videbant, Mauros adoriebatur: sed, quia & pauci erant, & ordines disiecti, in vna parte vincebant, in altera vincebantur. Cum vero paulo post quidam illorum cum Rege ad postremam aciem, quæ laborabat, se contulissent, primum agmen ingens multitudo Arabum (quorum mos est in victos, & fugientes sæuire) tanto cum impetu inuasit, vt Germanos fere interneccione vna cum duce deleret. Ibi sclopeti ictu interemptus fuit Dux de Auero, occubuit etiam Aldana, vulneratus, & captus fuit legat⁹ Hispanicus, captus Prior Antonius, & prefectus castrorum.

His itaq; cæsis, omnes effuse fugere cœperunt, Mauris interim, qui in medios ordines Lusitanorum penetrauerant, ensibus falcatis obuium quemque in frustra concidentibus. Eodem tempore casu fortuito vasis, in quibus puluerem tormentarium Lusitani asseruabant, ignis iniectus fuit, à quo non minus, quam ipsi, damni acceperunt etiam hostes, quia iam ad impedimenta pertigerant. Verum enimvero circulus equitum Maurorum non omnino versus mare dissolutus fuit, ita vt Lusitanis ad euadendum exitus patefieret: quiniimo quotquot Arzilam redire tentarunt, vel occisi, vel capti fuerunt. Nam si qui forte è Maurorum cruentis manibus elaberentur, quod & viarum, & vadorum, quibus flumen transitur, ignari essent, aut aquis suffocati peribant, aut vagabundi deueniebant in loca, in quibus seruituti mancipabantur. Submersi fuerunt plurimi, quos refluxus fluminis deceperat, & qui vadum, vbi prius transierant, reperire nescierant. Quia enim illi fluuioli (& in primis Muczenus) ad imitationem Oceani, & ad motum lunæ crescunt, & decrescunt, marisque vndam in se recipiunt, euenerat, vt, cum Lusitani prima vice illac transirent, pene exaruisissent: cum autem iam reuertentur, vna cum maris refluxu magna aquarum vis illos repleuerat. Quod cum Lusitanos, vadi etiam ignaros, lateret, consternati, Mauris vrgentibus tanto cum impetu in flumen se præcipites dederunt, vt, pene omnibus submersis, ne centum quidem ex tanto numero, euaderent. Adeo dextre barbari illi & vincere, & victoria vti nouerant. Rex qui initio, cum Molucis tormenta displodi imperaret, rheda vna cum Christoph. de Tauora circumuehebatur, equo conscenso, vt dixi, ad primam aciem se contulit; cumq; ibi non nihil post principia subsistens modo hunc, modo illum nobilem cum mandatis de rebus quæ occurrerant huc illuc mitteret, leuiter sclopæti ictu in brachio dextro prope scapulam sauciatus fuit: sed, neglecto illo vulnere, nihilominus huc illuc, vbi opus esse videbatur, imperatoris munere fungens, discurrebat, relicto agmine equitum triangulari, quod regio vexillo erat conspicuum. Sed quia erat iuuenis, & omnium, qui regibus obtingere possunt, thesaurorum maximo destituebatur, nimirum viro cordato, qui ab latere ipsius non discederet, & cuius consilium libenter etiam sequeretur: factum fuit, vt cum ordines perturbari, & ducem de Auero in hostem ire vidisset, ipse quoque paucis è nobilitate stipatus, cumq; priuatis militibus permixtus, hostem adoriretur: suosq; factis potius, quam verbis (paucissimis enim utebatur) ad pugnandum incitaret: Obstupescabant autem illi, qui eius in pugnando audaciam intuebantur. præterquam enim quod tres equi, quos ordine conscenderat, interfecti fuissent sine vlla ipsius perturbatione, nunquam hostem aggrediendo, feriendo, omnibus locis, vbi maximum periculû erat, succurrendo defatigatus fuit. Sed cum vnus tantû vir esset, & à paucis adiuuaretur, nec solus hostiû vim reprimere, nec virtutem suam cum suis communicare poterat. Complures è nobilitate, qui nondû ex equis deturbati fuerant, cum exercitiû fugere cernerent, hinc illinc obequitantes regem quarebant, vt saluti ipsius consulere. Sed vexillû, ex quo agnosci solebat, interempto signifero humi prostratum fuerat. Itaq; decepti ab alio vexillo, quod regio non absimile, Eduardo Menesio præferebatur, hoc secuti sunt, & ita euenit, vt rex in præsentissimo vitæ periculo solus cum paucis spectatæ fidei ministris, & cum Renegato quodam, qui vitam ipsius conseruare studebat, relinqueretur. Hi cum frustra fugam tentassent, suaserunt regi, vt, armis traditis sese dederet: verum cû ille recusaret, vnus ex illis strophium mucroni gladii impositum in altum tollens in signum deditiois, ad Mauros, tanquã orator de reliquorum etiam deditioe locuturus, accessit. Mauri siue innata barbarie, siue ira ducti, nûtio capto, impetum fecerunt in reliquos, eosq; quod pauci defessi, & consternati essent, omnes interfecerunt. Et sunt, qui dicant inter eos de rege ipso cõtrouersiam natã eumq; ob hanc causam occisum fuisse. Cadauer paulo post diligentissime quæsitû, & nõ sine insigni rerû humanarû inconstantia exemplo nudû ephippio pertransuersum impositum in Moluci tentoriû detulerunt. Vbi cû ex equo in terrã delapsus, iussu Moluci, nobiles captiui diligenter contemplanti, & testati essent esse reuera corpus regis, postea Alcasar quibirii custoditû fuit. Talis infelicis illius principis mors fuit, in qua concurrunt ea omnia, quæ lachrymabile illam efficere poterant: ætas iuuenilis, expectatio virtutû, inopia heredis, mortis violentia, cadaveris ipsius captiuitas. Erat à natura ornatus eximiis dotibus quæ tamen inutiles ipsi fuerunt, ideo quod propter immaturã ætatem prudentia, actionum humanarum moderatrice, destitueretur. Omnia enim illa consilia, quæ ipsum tandem in exitium præcipitarunt, à magnanimitate, à liberalitate, à studio religionis, à desiderio laudis bellicæ, à corporis robore, ab animi denique fortitudine proficiscebantur. Sane non male in hunc infortunatum iuuentem quadrare videtur id, quod olim dictum fuit de Alexandro Magno: nimirum eum à natura virtutes habuisse, vitia à fortuna. Reuera enim Sebastianus à natura

multis virtutibus instructus erat, sed ex educatione praua nonnullos nequos contraxit. Euaserat ex hostium manibus Muleius Mahametus: sed cum Arzilam cogitans Mucazenum vado nimia cum festinatione transire conaretur, submersus fuit. Ab illis quos otium curiosos facit, obseruata fuerunt diuersa illa genera mortis, quibus hi principes perierunt. In eodem enim praelio, idque intra sex horarum spatium, vni morbus, alteri ferrum, tertio aqua vitam eripuit. Hametus cum victoriam suos obtinuisse videret, properauit ad fratrem, ut illi, quem adhuc viuere existimabat, gratularetur: sed simulatque ad lecticam peruenit: certior de fratris morte factus, & quamuis Molucus filium reliquisset, ab exercitu sub signis decurrente, & nomen ipsius pro more magna voce proclamante, Rex salutus fuit. Auis enim testamento cauerat, quemadmodum dixi, ut nepotum natu-
 10 maximus succederet: & ideo etiam iam ante Hameto, tanquam proximo Regni haeredi, a subditis iuramentum praestitum fuerat. Mauri praedae, & vincendis captiuis operam dantes opima spolia reportarunt, tum propter multas res pretiosissimas, quas, ut dixi, Lusitani secum aduexerant, tum imprimis propter captiuorum & numerum & nobilitatem: praeterquam etiam quod Mauri captiuos Lusitanos longe pluris, quam ceteros, aestimant. Cum enim sint delicatuli, & ad incommoda perferenda minime omnium assuefacti, ingentia lytra persolunt: ut etiam fecerunt isti nobiles, qui, captiuitatis mire impatientes, ad 6. ducatorum millia, & amplius in singula capita promiserunt. Fuit hoc praelium memorabile propter mortem trium regum, Sebastiani, Moleii Moluci, & Moleii Mahameti: propter totius nobilitatis Lusitaniae, & tot militum captiuitatem: (quae
 20 quidem res antea aut raro, aut nunquam, aut saltem non ita repente acciderat) denique propter mutationes, quas mors regis Sebastiani in bona orbis parte generauit. Numerus occisorum minor fuit, quam captiuorum: de quo quia non facile certi aliquid haberi potest, Lusitani in diuersas opiniones abierunt. Quidam enim incredibilem hostium numerum cecidisse aiunt: & licet nonnulli sint moderatiores: tamen & hi nimis ista exaggerant. Verius est Maurorum ad tria millia, Christianorum ultra sex millia occubuisse: ex quorum numero sunt (praeter ductores exteros, & ducem de Auero) Alfonsus Portugallus, Comes de Vimioso, Ludoicus Coutignus Comes de Redondo: Vasquius Gamma Comes de Vidiguera, Alfonsus Norogna Comes de Mira, Ioannes Lupus Baro de Aluito, Aluarus Melius, filius Marchionis de Ferrera, Rodricus Melius primogenitus
 30 Comitis de Tenuguel, Iacobus frater ducis Braganciae, Ioannes Silueira primogenitus Comitis de Sorteglia, Christophorus de Tauora, & multi alii homines primarii, ita ut nonnullae familiae nobilissimae plane deleterentur. Occubuit etiam Arrius Syluius, Episcopus Portensis, & Emanuel Menesius, Episcopus Coimbriensis: Dux vero Barcellensis, & Antonius Prior Cratensis, capti fuerunt. Nouus rex, collecto exercitu, & quanto maximo poterat, captiuorum numero constituit redire Fessam, quam cum maximo triumpho ingressus est. Praeterquam enim quod vexilla hostibus erepta, & magnam multitudinem captiuorum ostentaret, pellem cadaueri Moleii Mahameti detractam, & stramine impletam in pompa praeferi curabat, ut Mauri, si quam de eo spem concepissent, penitus abiicerent. Deinde ad cognoscendos captiuos nobiliores conuersus, multos a Mauris, & Iudaeis qui
 40 illos emerant, vili pretio redemptos, magnam pecuniae summam postea soluere coegit: unde nonnullis auarus potius, quam vera animi fortitudine praeditus esse videbatur. Putabant esse magne imprudentiae, obtenta tanta, & tam integra victoria, omnibusque hostium reliquiis delectis, statim sese otio, & quieti dedere. Dicebant propugnacula, quae Lusitani in Africa habent, non nisi 25. miliaribus, inde distare, & ut tota prouincia ab illo veluti freno liberaretur, ad ea expugnanda statim esse proficiscendum. Rei enim militaris peritissimi quique in ea erant opinione, si rex eo exercitum duceret, fore, ut breuissimo temporis spatio arces in eius potestatem venirent, partim quod non essent instructae praesidio, & comectu, partim quod Lusitani, qui in illis remanserant, regis sui morte ita essent consternati, ut non diu resistere posse videretur, praesertim quia spes exigua erat fore, ut ex Lusitania ipsis
 50 subsidia mitterentur, propterea quod Rex Sebastianus secum abduxerat omnem nobilitatem, quae arces illas propugnare consueuerat. Cum itaque Hametus tam subito receptui canere iussisset, multi in ipsum contulerunt, quod olim de Annibale, eiusdem nationis homine, fuit usurpatum: Africanos etiam si interdum sciant vincere, nescire tamen uti victoria. Enimvero, si quis paulo attentius rem considerauerit, deprehendet Mauri consilium longe maiori cum prudentia coniunctum fuisse, quam vulgo existimant. Cum enim rebus secundis non nimium fideret, & regnum Fessanum propter falsum de exercitu Africano profligato nuntium (quem Arabes, & reliqui a primo Lusitanorum agmine in fugam acti disseminauerant) non nihil commotum intelligeret, memor se esse regem nouum, maluit exer-
 citu

citu, quem habebat, ad motus domi suæ natos sedandos, & ad regni possessionem capi-
 endam vti, quam noua expeditione suscepta, incerta persequendo certa in discrimen ad-
 ducere: præterquam quod ipsi sedulo de arcium maritimarum expugnatione cogitanti
 res non expedita fore, sed ingentes difficultates habitura videretur. Nam neque præsi-
 diis omnino nudatæ erant, neque Lusitania ita exhausta fuerat, quin in tempore subsidia pos-
 set subministrare: regem vero, Philipp. cuius intererat, totis viribus eas defensurum, iu-
 dicabat; id quod facile ipsi fore videbatur propter classem, quam paratam in Hispania ha-
 bebat, præfagiens fortasse ea, quæ euenerant. Quia vero metuebat ne Andaluzij cum Tur-
 cis in necem suam conspirarent, Doalem, & nonnullos alios ductores, & complices eo-
 rum capite truncari iussit. Hæ actiones Hameto conciliarunt opinionem prudentiæ, &
 sagacitatis, quam ille consilio maturo res omnes administrando, indies magis magisque
 confirmat. Porro Iacobus de Sofa, classis præfectus, qui cum ea vt dixi prope Laraccen
 substiterat, ex fragore tormentorum crassiorum, & strepitu ab vtroque exercitu excitato
 certo quidem colligebat manus conseri, sed nihilominus quod sibi potissimum consi-
 lium capiendum esset, ambigebat. Etsi enim rex illum iussisset eo in loco expectare: ta-
 men verebatur, ne, postquam in hostium conspectum venisset, consilium mutaret, aut
 ne propter prælium ab itinere declinare cogeretur, & ne frustra eum hac de causa expecta-
 ret: atque ita incertus, vtrû præstaret redire Arzilã, an vero ibidem comorari, animi pen-
 debat. Dubitabat etiã, vtrum Laraccæ oppugnanda esset. Inclinabat ad oppugnationem, pro-
 pterea quæ existimaret se & tormentorum fragore Regi significare posse classem esse in eo
 loco, & Mauris dimicantibus metum etiam hoc pacto incussum iri: verum, nullum ho-
 rum consiliorum amplexus est, quod nec mandati terminos excedere, nec reliquorû du-
 cum sententiæ refragari, tutum iudicaret. Post fuscum verò exercitum, accepit litteras à
 Petro Mesquita, præfecto Arzilæ quibus narratio de successu prælii continebatur, ita ta-
 men, vt veris falsa nonnulla miscerentur. Hortabatur autem eum Mesquita, vt cum classe
 reuerteretur Arzilam, ideo quod Rex nauim conscensurus, eodẽ contederet. Quanquam
 autem illis litteris nõ admodũ moueretur, existimans Mesquitam classem vocare potissi-
 mum, vt suæ ipsius salutis consulere: tamen, quamprimum de regis morte certi aliquid ac-
 cepit, secundum littus Tingim vsque nauigauit, vt exercitus reliquias, si quæ superessent,
 colligeret: & deinde Lisybonam reuersus est. Et hæc in Africa acciderunt. Nuntius de
 regis morte (quanquam non omnino certus) ad regni Gubernatores decimo quarto die
 Augusti perlatus, ita eorum animos percussit, vt aliquandiu consilii inopes, & attoniti hæ-
 rerent. Veruntamen rem totam studiose celantes statuerunt vocare Henricum Cardina-
 lem, ad quem recta regni successionem deuolutam esse dicebant: quiq; nuper, quod nepo-
 tes animum paulo à se alieniorem esse animaduerteteret, in monasterium Alcobassæ sese ab-
 diderat. Miserunt eo, (vt res tanto magis suspicione careret) patrem Georgium Serranum
 Iesuitam, qui, pugnae successu exposito, Henricum rogaret, vt Lisybonam ad sceptrum ca-
 piendum veniret: quanquam sunt, qui dicant Petrum Alcasouam Regem Hispaniæ clam-
 dere tota certiore fecisse, vt illius, quem regno Portugalliæ potiturum animo cerne-
 bat, beneuolentiam sibi conciliaret: nisi fortassis hæc ab æmulis Alcasouæ, ad suspicio-
 nem, qua ille apud Henricum Cardinalem laborabat, augendam, excogitata fuerunt. Re-
 gni incolæ maxima ex parte nihil certi de morte regis sciebant. Gubernatores enim omnes
 viatores detineri, omnesq; litteras, quæ è locis peregrinis adferebantur, intercipi curabant,
 populumq; ne forte de regis morte certior factus, tumultuaretur, variis fabulis demulce-
 bant. Cites vrbis Lisybonæ, vt & reliquarum omnium, diuersitate rumusculorum hinc
 inde agitati, mussitabant. Constat enim venisse veredarium, & nuntium talem attulisse,
 qui Gubernatores vehementer perturbasset, quamuis quid rei esset, nondum posset resciri:
 videbant singulis diebus senatum cogi, litterarum cursum impediri: intelligebant scri-
 ptum fuisse in Hispaniam, & ad Cardinalem: norant exercitus Maurorum, & Lusitano-
 rum sibi inuicem esse vicinos: hæc omnia toti regno ingentis alicuius calamitatis metum
 incutiebant. Non erat fere quisquam Lisybonæ, quin esset de exitu huius belli sollicitus:
 alii filium, alii patrem, alii fratrem, multæ fœminæ maritos desiderabant: mercatores vero
 & opifices, si forte ex eorum consanguineis nemo expeditioni interfuerat (quanquam
 plurimi etiam ex hoc hominum genere interessent) tamẽ pecuniam vel fœnoris causa, vel,
 quod à nobilibus & militibus ante discessum solutionem obtinere non potuerant, mutuo
 concessam in eam contulerant. Qua causa omnia luctu & mœstitia plena erant: omni-
 bus iacturam amicorum, & bonorum, quæ in Africa habebant, animus præfagiebat:
 & licet animi essent adhuc suspensi, & dubii: tamen iam occulti gemitus, & questus ani-
 maduertebantur. Rex Hispaniæ, cum interea quid in Africa contigisset, & quid in Lu-

sitania ageretur, intellexisset, statim eo ablegauit Christophorum Morum Lusitanum; vnum ex nobilibus, dapiferis, qui cum matre regis Sebastiani in Hispaniam venerat. Huic duo in mandatis data fuerunt: Prius, vt inuideret Cardinalem Henricum, eique indicaret fore, vt Rex paulo post mitteret legatum, qui illo munere plenius defungeretur. Posterius, vt animos Lusitanorum tentaret: quam ad rem, utpote ex ea prouincia oriundus, & de totius regni conditione, ac statu satis superque edoctus, longe omnium aptissimus esse iudicabatur. Non fuit ipsi tributum nomen legati, propterea quod eo munere fungebatur Ioannes Syluius, qui erat in Africa: de cuius morte aut vita cum nondum quidquam certi allatum fuisset, Regi nominatio noui legati aliquandiu adhuc differenda esse videbatur. Moleius Hametus ante, quam Marocum proficisceretur, Regis Hispaniæ beneuolentiam sibi conciliaturus, easdem pacis condiciones, quæ inter Philippum & Molucum intercesserant, illi per legatos obtulit, simulque dono misit cadauer Regis Sebastiani, & Legatum Hispanicum, quem viuum ceperat. Hæc legatio, cum in aulam Hispanicam peruenisset, accepta regi fuit: & legati quidem sui liberationem sibi gratam esse dixit: cadauer autem Sebastiani accipere noluit, sed per Andream Corsum nomine ipsius Xariffi præfecto Septæ, testibus & scriba publico adhibitis tradi iussit: nec ita multo post: vt Mauri liberalitati erga se aliquo modo responderet, misit in Africam Petrum Venegasium Cordubensem cum munere aliquot lapidum pretiosorum, qui centies mille ducatis æstimabantur: eique negotium dedit agendi tum de pace stabilienda, tum de liberatione Ducis Barcellensis: quem etiam Hametus, nullo lytro exacto, paulo post ad limites Hispaniæ deducendum curauit. Interim Cardinalis venit Lisybonam, & vna cum eius aduentu sparsi fuerunt tristes nuntii: simulque dolor, quem corde homines presserant, quemque rumorum incertitudo augebat, tandē in copiosissimas lacrymas, & eiulatus erupit. Non possum verbis exprimere, quæ omnia fuerint mœsta, quæ lugubria, quæ funesta: nemo sine cōmiseratione audire poterat feminas, quarū nobiliores in ædibus suis, reliquæ vero in plateis fletu, & questibus ad cœlum ipsum pertingentibus sese macerabant, eosdemque ingeminabant, quoties nouis nuntiis priores confirmabantur. Et vt animi afflicti facile ad superstitionem impelluntur, ita etiam ipsæ (vt & multi viri) nuntiis non fidebant, sed spem bonam concipiebant, vbi nihil erat spei, & confidebant, vbi nullus erat fiducia locus. Et quamuis vera ipsis de morte maritorum, vel propinquorum referrentur, tamen sibi persuadebant, eos esse adhuc in viuis, deceptæque a sagis, & fatidicis, & inprimis vehemēti desiderio excæcata, diu à vestibulis lugubribus abstinerunt, frustra expectantes nuntium ab illis, qui vitam cum morte commutauerant. Ex viris multi lamentabantur, quidam Regem, & eos qui ipsum in Africam traicere permiserant, execrabantur; alij culpam in regem ipsum conferebant, alii in consiliarios, & familiares eius, alii in Cardinalem, alii in Camerales Lisybonæ, idēo quod tam stolidis conatibus non obstitissent: quidam regni Lusitanæ periodum circumactam esse agnoscentes, vna cum priuatis malis patriæ etiam calamitatem deplorabant. Gubernatores administrationem regni detulerunt Cardinali, qui à nobilitate & magistratibus gubernator, & Sebastiani successor, iuramento præstito, electus fuit, idque populi in officio continendi gratia, interim dum certiora ex Africa adferrentur, vt paulo post etiam euenit. Nam priores nuntii ex omnibus partibus confirmati fuerunt, & ea de causa ventum fuit ad ritus, quos illagens in rege lugendo, & scutis eius frangendis adhibere consueuit: idque in hunc modum. Ex curia Cameralium Lisybonæ ciuis quidam panno nigro indutus, & equo, eiusdem coloris panno tecto, insidens egrediebatur, manu gestans vexillum magnum, & nigrum, ac in humerum ita reclinatum, vt pars eius solum attingeret. Hunc sequebantur tres senes, pedites, pulla veste amicti, singulique manu eleuata ferebant scutum, nullo alio nisi atro colore insigne. Hos iterum aliquot ciues, ex numero eorundem magistratuum, & nonnulli inferioris ordinis cum ingenti turba sequebantur. Vbi autem per primarias vrbs Lisybonæ plateas transierunt, perueneruntque ad gradus templi cathedralis, quod est vicinum illi loco, vnde, exierant: illi, qui scuta gestant aliquot gradus conscendunt, & vnus ex ipsis, scuto sublato, alta voce clamat: Ciues Lisybonenses deserte regem vestrum SEBASTIANVM, qui mortuus est: his dictis, & turba clamoribus lachrymas miscente, scutum, quod fragile est, gradibus, quibus insistit, illisum, confringit. Deinde progrediuntur, & vbi ad plateam nouam, quam vocant, peruentum est, conscensis gradibus parui templi, quod sacre virginis de Oliuera dicatum est, alter ex numero scuta gestantium eadem, quæ prior, verba pronuntiat, scutumque ad eundem modum frangit. Idem faciunt in gradibus Nosocomii: ac sic omnibus tribus scutis ita, vt dictum est, fractis, redeunt, vnde egressi fuerant. Dum hæc geruntur, Lisybonam venit

venit Christophorus Morus, cui in conspectum Cardinalis venire, & ea, quæ in mandatis habebat, exponere non licuit. Henricus enim (quæcunque tandem causa fuerit) in colloquium hominem admittere noluit, antequam rex iuramento à subditis præstito, salutus fuisset. Properatum itaque fuit ad ritum inaugurationis: eaque finita, Rex benigne audiuit Morum, qui in Lusitania substitit, defuncturus eo munere, quod Rex Philippus ipsi commiserat. Inauguratio autem ad hunc modum facta fuit: 18. die Augusti templum Hospitalis omnium sanctorum auleis fericis exornarunt, & pegmate quodam exstructo, in eo fellam tela aurea suffultam, collocarunt. Eo ascendit Rex tempore antemeridiano, habitu Cardinalis indutus: egredientem è palatio octo tympana ænea, & novem præcones equites & chlamydebis, quibus insignia regia inserta erant, amicti præcedebant. Sequebantur pedites fere omnes ministri aulici, Camerales, & alii magistratus: hos itidem sequebatur Dux Bragancia, equo insidens, capite aperto, & manu ensis vagina deaurata insignem, tanquam Conestabilis, gestans. Paulo post sequebatur Cardinalis, insidens mulæ, cuius habenam tenebat Aluatus Syluius, Comes de Portalegre, magnus aulae magister: in extremo agmine sequebantur multi proceres, & nobiles equites, & ingens caterua pedes. Cardinalis ingenti multitudine stipatus, ad gradus Hospitalis descendit, & ingressus in templum cum sacris, & precibus operam aliquandiu dedisset, consensu pegmate sedem sibi præparatam occupavit, statimque Franciscus Sada, vnus ex gubernatoribus sceptrum ipsi tradidit: Michael vero Morus Secretarius, in loco nonnihil à sede regia remoto, clara voce ex scripto legens, dicebat regem Henricum, mortuo rege Sebastiano, in regno succedere, & eam ob causam sceptrum ipsi tradi, eumque paratum esse præstare solitum iuramentum, de conseruandis priuilegiis, immunitatibus, & conuentionibus, quæ vel toti populo, vel singulis à maioribus concessæ, aut cum ijs interpositæ fuissent. His dictis, in genua ante regem cum libro aperto procubuit, cumque rex manu libro imposita se superiora omnia sanctè obseruaturum esse iurasset tympana magnum strepitum edere cœperunt, tota multitudine clamante: Viuat, viuat, Henricus Rex Portugallia: Quibus verbis auditis, Rex ab iisdem, quibus ante, comitatus, sceptrumque manu tenens ad Palatium, tympanis sonantibus, & præconibus nonnunquam superiora verba repetentibus reuersus est.

Liber Tertius.

ARGUMENTVM.

In hoc libro continetur genealogia regum Lusitania, & competitorum successionis regni: deliberationes regis Henrici, & postulata subditorum: profectio Ducis Ossuna, & reliquorum legatorum regis Hispania in Lusitaniam: detentio in custodia ducis Albani: litteræ regis Catholici ad urbem Lisbonam: comitia Portugallia: rationes, & argumenta competitorum in controuersia successionis: sententia regis Henrici, contra Antonium, Priorem Cratensem super ipsius legitimitate, vigore Breuis Pontificii pronunciata: argumenta regis Philippi, quibus sibi successionem regni contra omnes competitores vindicat: apparatus bellici eiusdem contra Lusitanos: suspensio Breuis: secunda sententia Henrici contra Antonium: mutatio animi Henrici in negotio successionis: & pollicitationes à Papa regi Hispania factæ.



MENTVM hominum mentes in præcipuis mundi partibus ad Lusitaniam erant conuersæ. Præterquam enim quod huc vsque res Sebastiani dignæ consideratione fuerant, cum intellectum esset Henricum senem, & orbem regni administrationem capessere, omnes principes solliciti esse cœperunt, & vereri, ne huius regni successio publicam tranquillitatem aliquando perturbaret. Nam complures erant ij, qui ad se spectare hæreditatem huius Coronæ dicebant, præteritus variis, & in speciem probabiles, ac non male, vt videbatur, fundati. Et licet omnium vires per se non essent pares, tamen occurrebant nonnullæ circumstantiæ, quæ eas quodammodo ad æqualitatem redigebant. Verum vt melius intelligatur, quibus fundamentis singuli competitores niterentur, paulo altius repetam originem horum regum: quorum licet septendecim regnauerint vsq; ad Henricum, tamen sufficere videtur, si ab Emã-

nuele incipiam, qui fuit decimus quartus, & regnare cœpit anno salutis 1495. præsertim quia ab ipso descenderunt omnes illi principes, qui postea de successione disceptarunt. Habuit Emanuel tres vxores. Ex prima, (quæ erat Isabella, filia Ferdinandi regis, & Isabellæ reginæ Castellæ, vidua Alfonsi, filii Ioannis secundi regis Lusitaniæ) non suscepit alios liberos (mortua enim est ex partu) quam Michaellem, qui nisi mortuus esset puer, verum, vt dixi, vinculum fuisset, & quasi lapis angularis, quo omnia Hispaniæ regna arctissime coniungi potuissent. Ceterum mors illius Lusitanis regna Castellæ, & Arragoniæ eripuit, quorum populi, linea masculina regum Castellæ extincta, Emanueli, & Isabellæ, tanquam futuris hæredibus, iuramentum iam præstiterant. Secunda coniunx Maria, primæ soror, & tertia Ferdinandi filia, complures ipsi liberos, videlicet sex mares, & duas 10 feminas, peperit. Isabella nupsit Carolo Quinto Imperatori: Beatrix Carolo III. Duci Sabaudia: Ioannes successit patri in regno: Ludovicus mortuus est cœlebs, relicto Antonio notho, qui, vt postea intelligetur, ad regnum aspirans patriam magnis incommodis adfecit. Ferdinandus mortuus est sine liberis, vt & Alfonsus, qui fuit Cardinalis tituli Sancti Blasii, & Henricus, ipse, quoque Cardinalis tituli Sanctorum quatuor coronatorum. Hic omnibus superstes fuit, & est rex ille, de quo in hac historia agimus. Eduardus ducta in vxorem Isabella, filia Iacobi Ducis Bragantiæ, ex illa suscepit Mariam, quæ postea nupsit Alexandro principi Parmensi, & Catharinam, vxorem Ioannis Ducis Bragantiæ. Suscepit ex eadem etiam filium, qui cum post mortem patris (vixerat ille tantum quatuor annos in matrimonio) natus esset, vocatus fuit & ipse Eduardus, & Sebastiano 20 regi non nimis gratus, Eboræ anno 1576. obiit. Ex tertia coniuge Leonora, filia Philippi primi regis Castellæ, & Archiducis Austriæ (quæ postea Francisco I. Regi Galliarum nupsit) genuit Carolum, qui mortuus est puer, & Mariam, quæ annos 56. & amplius nata, Lifybonæ anno 1578. cœlebs mortua est. Sed reuertamur ad Io. III. natum ex secunda coniuge, qui Emanueli in regno successit. Hic contraxit nuptias cum Catharina, sorore Caroli V. Imperator. ex qua nata est Maria, prima vxor Philippi I. Regis Hispaniæ, qui iâ regnat: quæ Maria peperit Philippo Carolum, qui mortuus est adolescens, & si vixisset, sine controuersia in successione regni Cardinale Henrico prior fuisset. Ioannes ex coniuge Catharina suscepit etiam complures liberos masculos, qui omnes pueri mortui sunt, excepto Ioanne, qui nimio amoris erga vxorem Ioannam, sororem Philippi regis Hispaniæ, ardore 30 adolescens mortuus est, relicta coniuge grauida, quæ postea Sebastianum peperit, superstite adhuc auo, qui paulo post obiit. Et hic est ille Sebastianus, qui in Africa occubuit. Itaque (vt redeamus ad fundamenta competitorum) primus regni successionem sibi vendicabat Rex Hispaniæ, tanquam natus ex Isabella filia primogenita Emanuelis. Et quanquam ille Lusitanis, hereditario odio Castellanos prosequentibus, exosus esset, tamen propter potentiam, & quia non tantum ipsius regna totam Lusitaniam vndiquaque circumdabant, verum etiâ Lusitani rei bellicæ omnino imperiti erant, breui in eius potestatem vel sponte, vel vi concessuri esse videbantur. Petebat successionem regni Ioannes Dux Bragantiæ, nomine Catharinæ vxoris suæ, quam rege Philippo propiorem esse dicebat. Et si enim esset femina, tamen filiam esse Eduardi, fratris dictæ Isabellæ. Quia autem Dux omnes proceres Portugalliæ potentia, & subditi ipsius reliquos populos armorum tractandorum pericia superabant, fiebat, vt fretus beneuolentia Henrici, qui ipsi impense tum fauebat, & rerum imperitus, se pene iam in possessione regni esse sibi persuaderet. Alexander princeps Parmensis, filius Octauii Farnesii, instabat nomine Reinutii primogeniti sui, nati ex Maria, filia natu maxima Eduardi, sorore Catharinæ. Quanquam autem ditiones Parmensis à Portugallia remotæ essent, tamē præterquā quod Pontifex eū adiuturus esse putabatur, Lusitani etiâ non alieni fore videbatur à rege adolescente, quæ suo more, & arbitratu educaret. Verum maiori cū vehemētia, quam reliqui omnes, ius sceptri sibi arrogabat Antonius Prior Cratensis, filius Ludouici fratris ipsius Regis Henrici, seq; non nothum, vt vulgo credebatur, sed ex legitimo matrimonio natum esse dicebat. Et licet ille nullā omnino ditionem, 50 & subditos nullos haberet, & regi esset exosus, quia tamen populus singulari ipsum amore complectebatur, credibile erat fore, vt quantumuis reliquis competitoribus reluctans post mortem Henrici rex coronaretur. Emanuel Philibertus, Dux Sabaudia, licet esset filius Beatrix, natu minoris sorore sua Isabella, matre regis Hispaniæ, à quo & ipse ætate superabatur: tamen nihilominus regnum ambiebat ipse quoq; sed modestissime. Sane quia Lusitani inter omnes competitors exteros ipsi maxime fauebant, nō deerant, qui tam egregiā occasionem minime negligendam iudicarent. Favor iste inde promanabat, quod omnium commodissime Lusitanos cōtra hostes protegere, & regi Philippo, si quid tentaret, strenue resistere posse videretur, idque partim propter rei bellicæ scientiā, qua excellat;

lebat, partim propter situm regionis Pedemontanæ, ex qua in vicinum Ducatum Mediolanensem impressionem facere non difficile illi futurum esset, præsertim si ea in re Galliæ regis vicini, & sanguine sibi iuncti auxilio vteretur. Putabatur etiam esse alicuius momenti, quod sibi arrogabant regni incolæ, qui extincta linea regum masculina, ius electionis ad se deuolutum esse autumabant. Rationem adducebant. quia nunquam feminæ ad regni successionem fuissent admittæ: imo dicebant olim in interregno, femina exclusa, à populo Ioannem primum, & regem ordine decimum, electum fuisse. Quæ quidem res non tantum omnibus competitoribus exteris impedimento futura, sed etiam intestina dissidia paritura esse videbatur. Catharina Medicea, vidua Henrici II. Regis Galliæ, & ipsa ad successionem aspirans, omnibus reliquis se merito præferendam esse contendebat, nitebaturque fundamentis è longinquo petitis illis quidem. Sed quæ fortissimis argumentis ab oratoribus ipsius stabilirentur. Dicebant, regnante in Lusitania Sancio primo, qui ab habitu pileus vocatus fuit, fratrem Sâcium vxorem duxisse Matildem, tum temporis Comitissam Bononiæ in Picardia: & deinde propter ignauiam regis Sancii subditos cum consensu Honorii tertii summi Pontificis Alfonso ad regnum tutorio nomine administrandum vocasse: ex quo adparet prisca religio huius nationis, quæ etiam in temporalibus ad Papam recurrebat) eumque, qui regnum sub hoc titulo, fortasse non satis iusto, occupat, paulo post Sancio sine sobole mortuo legitimum coronæ hæredem extitisse, postquam iam liberos aliquot suscepisset ex vxore Galla, eamque vbi maritum regem factum, & Bononiæ am non rediturum eum esse resciuisset, cum aliquot nauibus in Lusitaniã ad eum nauigasse: verum ab Alfonso, iam rege, qui ad secundas nuptias eum notha regis Castellæ, spe regnum Algarbii loco dotis acquirendi, aspirabat, (quæ res postea ad effectum perducta fuit, sed sine Pontificis consensu) in conspectum admissam non fuisse. Cum itaque sequentes reges Lusitanix ab isto Alfonso, & vxore Castellana originem duxissent, adfirmabant Oratores reginæ Galliæ omnes illos reges, qui Alfonso & posteris ipsius successissent, veros hæredes non fuisse, propterea quod essent spurii, & per consequens regni successionem deuolutam esse ad hæredes legitimorum liberorum Alfonso, & Comitissæ Bononiensis, atque adeo ad Catharinam Mediceam, matrem Regis Galliæ Henrici III. natam ex Laurentio Mediceo, & Magdalena Comitissa Bononiensi, eamque solam per rectam lineam ex illa prosapia descendente hæredem esse illius Comitatus: quem quidem iam non possideret, propterea quod illum, utpote Belgico, & Angliæ vicinum, reges Galliæ cum patrimonio suo coniungendum iudicassent, ita tamen ut permutatione facta, cederent vicissim comitatu Loranguellensi, cuius etiam tranquilla possessione ipsa frueretur. Non deerant etiam qui quanquam debilib. fundamentis nixi, dicerent Pontifici iuris aliquid in Portugalliam competere, & præterquam, quod regnum hoc esset spoliū Cardinalatus, etiam Alfonso, cum à sede Romana titulum regium impetraret sese ratione feudi ad certam pecuniæ summã soluendã obstrinxisset: id quod tamen non magni vulgo pendebatur.

Hæ controuersix, ut dixi, principes vicinos sollicitos reddebant, & in animis subditorum bellorum imminentium metum concitabant, præsertim quia intelligebatur, reginæ Angliæ, quæ Regi Hispaniæ propter motus Hiberniæ succedebat regi Galliæ, & Turcarum Imperatori nequaquam gratum fore, si Philippus vires suas tanti regni accessione augetet. Rursus Philippus etiam non passurus videbatur, ut quisquam alius Lusitaniã suis regnis contiguam occuparet. Denique ad minimum bellum ciuile inter ducem Braganciæ, & Priorem oriturum esse putabatur. Porro Cardinalis Henricus (ut ad eum reuertamur) in folio regio collocatus (quanquam & 67 annos natus & valetudinarius esset) otiosus domi desidebat, nec quia fatalis imminabat Lusitanix declinatio in administrando regno subditorum opinioni, de prudentia & industria sua conceptæ vlla ex parte respondebat. Quinto cum regnum hoc propter calamitates nuper acceptas simile esset corpori exhausto, & languido quod indiget medico prudenti à quo pharmacis corroborantibus reficiatur, notus Rex (ut plerumque vnum infortunium plura comitari solent) illi iam ante satis adfecto nouas afflictiones addidit. Etsi enim multi illum, utpote senem Sacerdotem, & spectatæ innocentix sperarent repressis adfectibus res Regni in meliorem statum restitutum: tamen nec sibi imperare nec adhibere eam prudentiam potuit, quæ & ætati & dignitati ipsius conuenire videretur. Et ut illi, qui aliquandiu pressi fuerunt: imperium nacti acerbe aduersarios suos vlcisci solent: ita etiam Henrico vsuuenit. Nam (contra quam fecit Ludovicus 12. Rex Galliæ, qui non decere putabat vindicare iniurias quibus adfectus fuerat cum adhuc dux Aurellanensis esset) cõstituit vindictam exigere ab illis, à quibus cum Cardinalis esset, sibi iniuriam illatam iudicabat: si iniuriam principi facere dici potest inferior, qui non statim summam ei reuerentiam exhibet, id quod Henrico acci-

derat. Cum enim non nimis charus esset regi Sebastiano, fiebat, ut minus fortasse, quam par erat, eum pronepotis sui ministri reuererentur, propterea quod nulli eorum in mentem vnquam venerat fieri posse, ut ille, qui senio erat cōfectus, Sebastiano iuueni in regno succederet. Qua de causa pene omnia maiora munera aulae, & nonnulla officia, quae circa patrimonii administrationem versantur, veterib. ministris remotis, hominib. sibi addictis commisit. Primus, in quem iram suam euomuit, fuit Petrus Alcaſoua, tum quod illū odisset inde vsq; ab eo tēpore, quo Alcaſoua secretarii, & ipse gubernatoris munere, Sebastiano adhuc puero fūgebatur: tum q̄ iustam in eum animaduertendi causam sibi habere videretur, partim propter ea, quae tempore superioris belli admiserat, partim etiā, quia in omnibus reb. ad nutum, & voluntatem Sebastiani sese accommodauerat. Nā cum vnus esset
 16
 ex supremis quæstorib. maxima ex parte bellicorum apparatus cura illi cōmissa fuerat. Vnde ipsi omnib. officiis, quib. præerat, interdixit, idq; actione in iudicio contra ipsum instituta. Quamquam autem omnia crimina, quae ipsi imputabantur, huc redirent, q̄ expeditionem Africanā Regi vel suafisset, vel saltem non dissuasisset, tamen per sententiā iudicū officiis, priuilegiis, & beneficiis, nuper à Rege Sebastiano acceptis, priuatus, & in locum 50. milliarib. ab aula distantem relegatus fuit. Nec quidquam ipsi profuit, quod diceret, ipsum Cardinalem, si maxime expeditionem non suafisset, tamen consensu suo approbasse, & hac in re tanto grauius peccasse, quam reliquos, quāto maius pondus illius consilium apud Regem habere æquum erat: quandoquidem Cardinali in tanta dignitate constituto soli audacter sententiam dicere, & Regem veluti cogere licebat: cum reliqui tanquā subditi, Regis adhuc iuuenis indignationem merito reformidarent: à qua quo minus sibi metuere necesse haberet Cardinalis, in causa erat tum dignitas eius, tum ætas, quae nec metui, nec spei obnoxia esse debere videbatur. Eandem animi impotentiam adhibuit contra Ludouicum Syluium, & nonnullos alios, qui rari ex Africa redibant, qua ex re adparuit Regem nesciuisse vel summa clementia, vel summa iracundia uti: quia nec facile ignoscebat, cōtra quam decere sacerdotē videtur: nec ita iniurias vlciscebatur, ut principes irati solēt. Propter has mutationes fere totum regnum nouam quādam faciem induit: nec satis erat illos qui ad noua officia promoti fuerant, esse homines inexpertos, sed accedebat etiam hoc, q̄, utpote imperiti omnib. illis, quib. cum ipsis aliquid negotii erat, incredibilem molestiā exhiberent. Quinimo (ut homines ad mala procliuēs sumus) fuerunt nonnulli, qui, ut ostēderent, quanta cum fide negotia Regis administrarent, non tantum curam habebant eorum, quae suo tempore accidebant: verum etiam inquisitione in priorum ministrorum actiones instituta, cauillando, & vtilitatis regiae speciem iustitiae anteponendo pacta, & leges cū detrimento, & molestia plurimorum, & cum magno suo ipsorum dedecore, violabant, existimantes se tum iustitiam administrare, cum iis, qui apud Regem defunctum fuerāt gratiosi, negotium exhiberent, & in omnib. reb. ordinem, & morem receptum inuerterent. Sane si quid ab eiusmodi hominib. factum fuit, q̄ laudem mereatur, est abrogatio vectigalis, q̄ salix rex Sebastianus imposuerat. Dū hæc geruntur in Lusitania, Rex Hispaniae, Christophoro Moro ad Hēricū, & Petro Venegasio in Africā ablegato, curauit celebrari exequias Sebastiani in templo S. Hieronymi Madridi: quamquam nonnulli susurrabant, Ducē Albanum dixisse æquius esse illas à Rege celebrari in Lusitania in templo virgini Belemēsi sacro, vbi solet regib. Lusitaniae parentari: innuebat nimirū dux Philippū esse successorē Sebast. aut saltem illum recte facturum, si vi Lusitanos ad iuramentum de successione sibi post mortem Henrici deferenda præstandum adigeret. Cum hoc ducis Albani dictū percrebuisset, non mediocriter Ferdinādum Syluium, Legatum Regis Lusitaniae, reliquosq; Lusitanos commouit, utpote mordax, & profectum ab homine, quem parū fauere nationi suae existimabant propter veteres cū Ruyo Gomezio Lusitano, Regis Philippi deliciis, simultates. Præterea quia Dux erat hominis tantæ dignitatis, suspicabantur eū hæc dixisse, quod non ignoraret mentē Regis, quem in hanc partem inclinare inde colligebāt. Interim varii erāt de re tota sermones. Et si n. dux Albanus, & vnus & alter ex Procerum Hispaniae numero ita, ut
 20
 30
 40
 50
 dixi, sentirent: tamen in genere reliqui nec credebant nec considerabant Regē Philippum esse huius regni heredē, imo existimabant iure ad filiū principis Parmensis illud pertinere. Verū Lusitanis, qui diligentius hac de re cogitarāt, & quorū leges magis fauent Philippo, quam statuta Hispaniae, veritas huius controuersiae erat perspectior. quamquam etiam Rex Philippus paulo post de iure suo certus esse cœpit, eo quod ex hominib. peritis, & exercitatis, quib. in Hispania, in Lusitania, & in aliis regionib. veri Portugalliae hæredis inquirendi negotiū dederat, post mortē Henrici, se gradu proximum esse intellexisset. Neq; solū hanc communem doctorum opinionem esse deprehendebat: verū etiam ex ipsis nonnulli, & quidem Lusitani, Regē Cardinale propinquiorem, & regnum illud ad coronam Castellae deuolutum

nolutum esse adfirmare non dubitabant. Adducebant hanc rationem (paucorū doctorum
 au Toritatib. allegatis) quod iura Lusitaniæ, & communia in materia regnorum proximo
 vltimi possessoris cognato, ex eodem stipite descendenti successionem deferunt. Addebāt
 Sebastiano, vltimo regi, neminem esse propiorem rege Philippo, ex eodem stipite descen-
 dente. Præterquā enim quod esset nepotum regis Emanuelis natu maximus, illū tanquam
 auunculū regis mortui vno gradu priorem esse Cardinale, Sebastiani patruo magno. Re-
 dintegrabant etiam veteres actiones Hispanorū, qui dicebant, Lusitaniā ad Castellæ co-
 ronam spectare, ideo quod Alfonso Sextus rex Castellæ, nec cū vniuersali subditorū con-
 sensu, nec sub villo alio prætextu eam iure à ceteris regnis disiungere, nec Alfonso X. regnū
 10 Algarbii filiz in dotem dare, vel feudi nexu liberare potuisset. Quanquam vero hæc vltima
 ratio, quæ Philippū Cardinali anteferebat, satis tum ipsi, tū ministris valida esse videretur,
 tamen prius consilium de hæreditate post mortem Cardinalis demū sibi vindicanda am-
 plecti cōstituit. Cum. n. regnum illud sine armis & subditis non repugnantibus acquirere
 cuperet, iudicabat, Henrico iā in regem electo se sine tumultu & sanguine possessionē ap-
 prehendere non posse: ad quæ accedebat, tum obseruatiā, qua auunculum prosequatur,
 tum spes de morte ipsius propinqua. Et sane notatu dignū est, in quantum periculū Rex (si
 modo proximus hæres fuit) liberos suos contecerit, ius suū dissimulando, ne nationē illam
 offenderet. Præterquam. n. quod viuente Henrico Lusitani, si ab imperio Hispani forte a-
 lieniores essent, ad muniendos sese cōtra vim illius satis tēporis habituri essent, metuēdum
 20 etiam erat, ne Philippo forte ante Cardinale mortuo, liberi ipsius tā ampla hæreditate ex-
 ciderent. Eo. n. casu Emanuel Philibertus, Dux Sabaudiz, tanquam gradu proximus, reli-
 quos omnes exclusisset. Dū de his in Hispania cōsultatur, in Lusitania rex Hēricus interea
 nō nihil solii regii possessionē stabilierat: cumq; in eo pristina vindictæ cupiditas aliquantū
 remisisset, omnes regni ordines ab illo petierūt, vt mature ante mortē certum successorem
 sibi nominaret, ne forte post obitū illius hac de re laborare necesse esset. Inprimis vero Ca-
 merales vrbis Olyssiponis, vt pote quæ reliquas totius regni ciuitates dignitate superat, val-
 de hanc rē vrserunt: & die quodā cum ad vnum omnes cōgregati in aulā regiam sese con-
 tulissent, vnus ex ipsis in hanc sententiā regem allocutus est. Putamus non fugere te, seren-
 30 issime rex, quam ardentib. votis hic tuus populus Lisybonensis Deū O. M. oret, vt tibi in
 multos annos proroget vitā, a qua omnis nostra felicitas depēdet, & cuius beneficio tēpus
 ipsum multa speramus esse miraturū, quæ nos iam magnopere habet sollicitos. Ita sunt re-
 centia adhuc vulnera illarū calamitātū, quæ hoc regnum obruerunt, vt tū ob hanc causam,
 tū quia sine lachrymis referri nō possunt, ab earū cōmemoratione absteineamus: sufficiat
 eas tales esse, vt dū hæc rerum vniuersitas cōsistet, nunquā earum obliterari memoria pos-
 sit. Et quanquā culpa merito peccatis nostris imputetur, tamē etiā pars eius recte tribuitur
 negligentiz populi, & eorū, qui tum tēporis Remp. administrabant. Cum itaq; non deceat
 nos priores errores nouis errorib. cumulare, existimauimus viua voce, & cū debita animi
 40 submissione tuā, serenissime rex, opē implorandā, vt, quoniam es iustus rex & sanctus, ma-
 lis illis, quæ ceruicib. nostris imminent, remediū adferas. Non est nostrum à serenitate tua
 flagitare, vt vxorē ducat: (neq; n. vel de conscientia, vel de valetudine T. S. iudiciū nobis
 sumimus) veruntamen hoc non dissimulamus, si neutrum horum impedimentorū T. S. ob-
 stet, re ne quidem dieculæ dilationē pati. Quod si vero T. S. à matrimonio abhorreat, è re
 erit, quam primū admonere omnes, qui ad successionē aspirant, vt ad præstiturū tempus,
 rationes suas coram T. S. exponant. nā si Lusitanus aliquis succedere debeat, subditi sub-
 leuabuntur magnā parte onerum, quib. iam premuntur: sin vero exterus aliquis, interest
 quam primū hoc sciri, vt mature quid agendum sit, possit deliberari. nam si forte ob pecca-
 ta nostra Deus Opt. Max. S. T. hoc rerū statu ex hac vita auocaret, quid, quæso, de nobis fi-
 eret, cum constet omnes competitores consultare, militē scribere, varia moliri, vires suas
 50 perpendere, subditis interim dubiis, quā in partem, tanquā meliorem causam fouentē, po-
 tissimum inclinent? Quod si hoc tēpore causa nondū decisa, regnum tua Serenitate priua-
 retur, cōsideret, quæsumus, T. S. in quas calamitates, miseros subditos incidere necesse sit:
 cōsideret latrocinia, caedes, violationē feminarum, & rerum sacrarū, & similia, quæ in tali
 rerū statu ab hominib. dissolutis committi solent: quæ quidē omnia euitari possunt, si cer-
 tus regni successor cōstituatur. Non petimus à T. S. vt iuramento successor confirmetur
 (quia fieri potest, vt is, cui iam iuris aliquid competit, ante T. S. diem suū obeat) sed si cōtra-
 rium forte accideret, vt tū certus sit successor: quia in hac re totius regni tranquillitas confi-
 sit. Quod si T. S. non libēter successorē nominat, vel aliqua re quo minus id faciat, impedi-
 tur: æquū est T. S. permittere: vt subditi hoc faciāt, & inprimis ciues huius vrbis Lisybone,
 quæ vniuersa Portugallia dependet. Spiritus Sāctus, qui est Dux Regū, suo afflatu excitet

T. S. vt studeat mitigare iram Dei, quę ob peccata nostra nos obruit: idemq; nobis veram pœnitentiam largiatur, T. que S. cui vitam diuturnam omnes subditi precantur, saluam & incolumem quam diutissime conseruet. In hunc modũ locutus est, quanquã frustra, Cameralis Lisybonensis. Verũ cum regi, occulta Dei providentia frigide ista tractanti nec remedia ita facilia esse, nec res ita celeriter, vt illi putabãt, decidi posse videretur, respondit se omnes curas & meditationes in hoc negotio positas habere, seq; illud ad effectum perducturum prima quaq; occasione, de qua diligenter esset cogitaturus. Ceterũ in Hispania crebriores, quam vsquam alibi, de hac successione & cogitationes, & sermones suscipiebantur. Rex enim omnino Lusitaniam ceteris suis regnis adiungere constituerat, quę res non admodum placebat nobilitati: imo proceres Hispaniã iam inde à Caroli V. tempore regum suorum nimia potentia offendi videbantur. Putabant enim eam in causa esse, cur & minoris iam æstimarentur, quam maiores ipsorum à priscis Castellæ regib. estimati fuerant, & legib. ac iudiciis æque, atq; inferioris ordinis homines, parere cogerentur. Minorum etiam gentium nobilibus, & reliquis subditis, eadem vnio displicebat, quod dicerent nisi hoc regnum à reliqua Hispania seunctum maneret, filias regum necessario in matrimonium collocandas esse principib. exteris: hoc vero esse periculosum, tũ quia filię regum Hispaniã ad successionem, masculis non extantib. admittuntur: tum propter hæreses, quib. hodie ditiones septentrionales infectæ sunt. Deniq; erant plurimi omnium ordinum, qui Lusitaniam tanquam asylum quoddam Castellanorum, ab Hispania semper separatã esse cupiebant, vt eo delinquentes tuto possent confugere. Porro Rex iudicabat non tantum aliquem in Lusitaniam mittendũ, qui exactius & accuratius tractaret negotiũ à Christoph. Moro inchoatũ, verum etiã necesse esse, vt vnus ex præcipuis regni procerib. isq; scientiæ politicę peritissimus ad causam successionis promouendã eo proficisceretur. Fuerunt itaq; vt fama erat propositi Gaspar Quiroga, Cardinalis, & Archiepiscopus Toletanus: Ferdinandus Aluarenzius de Toledo, Dux Albanus: Antonius de Toledo, prior ordinis S. Iohannis, & magnus stabuli magister: & Franciscus Pacecus, Cardinalis Burgensis, omnes homines summæ auctoritatis. Quiroga propter dignitatem, & prudentiam valde idoneus ad hoc munus videbatur, & in primis propter rerum vsu, quem sibi in aula Romana, vbi diu Rotę auditorem egit, cõparauerat. Ducis Albani auctoritas, experientia, & prudentia multorum iudicio, merebatur, vt ceteris antepõneretur. Et quia res ad arma spectare incipiebat, videbatur ille non tantum negotium successionis vrgere posse, sed etiam explorare vires Lusitanorum, & à quo auxilium sperarent; ac deinde, si opus esset, tanto meliori cum iudicio & eo tutius, pro ea, qua præditus erat, rei militaris scientia, bellum totum administrare. Antonius de Toledo probabatur multis, quia prudentiæ opinioni, quã de se concitabat, adiunxerat studium pietatis, religionis aliarumque virtutum, quę ipsum Henrico non mediocriter commendaturę esse credebantur. Verum iudicio cordatissimi cuiusque, omnib. antecellebat Cardinalis Burgensis. nam non tantũ instructus erat illis dotibus, quib. ceteri, verum etiã ad res politicas tractandas reliquis iudicabatur aptior, ac, quia erat Sacerdos, & Cardinalis, ad Henricum veluti collega quidam mitti videbatur. Verum quantumuis inter proceres Hispanië, præter hos, nemo esset vsu rerum ita edoctus, vt tam grauis negotiũ (nunquam enim huic Regno grauius occurrit) ponderi sustinendo par esset: tamen illis prælatus fuit Petrus Gironius, dux Ossunæ. Et quamuis illi (qui vnus esset ex præcipuis regni proceribus) quælibet ardua prouincia cum dignitate committi posset, quod multis virtutibus & dotibus, ad tale munus necessariis, ornatus esset: tamen hanc electionem multi vsitato aularum morbo, & respectibus, qui in regum consiliis cõsiderari solent, imputabant, innuentes Ducem ad hoc munus promotum fuisse opera Petri Fassardi, Marchionis Velesti, cognati sui, qui tum temporis in summa erat apud regem gratia. Nonnulli etiam dictabant (& fortasse verius) non visum fuisse expedire, vt in Lusitaniam mitteretur aliquis, cuius sagacitas, & prudentia vulgo nota esset, ne forte Lusitani deterrentur, quò minus cum eo sine suspitione, & libere de re tota agerent: imo necessarium esse iudicabatur, eum apud ipsos opinionem facilitatis, & humanitatis habere, vt eo libentius animum suum, & veluti viscera apud eundẽ effunderet: Aliter autẽ Portugalli de superioribus quatuor sentiebãt. Et quanquã ex vna parte Cardinales idonei iudicarentur ad agendum cum Rege, qui & ipse erat Cardinalis: tamen ex altera periculum esse videbatur, ne Hæricus sine interprete interpretaretur, quod ad ipsum homo eiusdem dignitatis missus fuisset. Accidit eodem tempore quiddam, quod nõ tantum aulæ Hispanicæ, sed aliis etiam admirationi fuit: & quia accidit viro, cuius sæpissime nobis facienda erit mentio, breuiter rem, quanquam à proposito nostro non nihil alienam narrabo. Dux Albanus Vzedam, 25. miliaribus ab aula distantem, iussu regis relegatus fuerat: Causa hæc erat. Cum Fridericus primogenitus filius

filius Ducis, Tordefillis, oppidulo regni Castellæ, sub custodia detineretur, eo quod nollet
 ducere in vxorem primariam quandā virginem ex gynæceo Reginae Isabellæ Valesiæ, cui
 nuptias promississe dicebatur: fama erat, interim dum cognati puellę apud regē de Friderico
 ad nuptias contrahendas cogendo instant, Fridericum de consilio patris, iure carceris
 violato, Albam profectum consobrinam suam Mariam de Toledo, filiam Garciae Thalassiar-
 archę, matrimonio sibi copulasse, nuptiisque celebratis, Tordefillas in custodiam rediisse.
 Ferebat dux hoc incommodum singulari cum animi æquitate, & constantia, ita, vt liuore
 nō nihil remittēte, ipsi etiam æmuli commiseratione senis adficerentur. Fuit hæc relegatio
 memorabilis tum propter Ducis potentiam, etatemque, & operam fidelem sæpissime re-
 10 gibus Hispaniæ nauatam: tum imprimis propter integritatem Philippi: qui quanquam Al-
 bani industria in grauiissimis rebus, quæ imminabant, sibi opus fore intelligeret: tamē hoc
 eum non mouebat, quo minus in illū statueret, id quod vel iustitiæ, vel auctoritati suæ con-
 sentaneum esse videretur. Fuit etiam memorabilis propter plurimorum principum pro
 Albano intercessionem, & imprimis summi Pontificis, qui ipsius liberationem vehementer
 per nuntium suum vrgens dicebat, se quidem de prudētia & bonitate Regis sibi aliud per-
 suadere non posse, quam eum grauiissima de causa ducē in custodiam tradi iussisse: verun-
 tamē, nisi officio suo deesse velit, se necessario pro illo intercedere cogi: Debere se hoc Al-
 bano propter varia illius erga sedem Apostolicam merita; propter diuturnam militiā con-
 tra infideles, & hæreticos: imo propter bellum ipsum, quod contra sedem Apostolicam
 20 gessisset: in quo, dum exequitur ea, quę ad Regis sui commodum spectabant, dumque vt
 hostis illam aggreditur tanquam amicus eadem defendisset: & hoc beneficio non tantum
 Paulum IV. tum temporis summum Pontificem, sed & omnes ipsius successores in perpe-
 tuum sibi deuinxisset. Et sane videtur res admirabilis, sedem Apostolicam plurimum ipsi
 debere propter bellum, quod contra ipsam gesserat. Ordines etiam Hispaniæ, qui tū tem-
 poris in aula erant, pro ipso intercesserunt: & quanquam rex ostenderet ipso sibi rem gra-
 tam facturos, si a petitione desisterent propterea quod nollet illos quidquam petere, quod
 non statim ē vestigio concederetur: tamen hic ipse modus petendi & negandi, etiam suo
 ponderare non caruit. Sperauerat iam inde ab initio Rex se possessionem Lusitanię sine ar-
 mis consecuturum; licet non ignoraret Lusitanos à nomine suo esse satis alienos: verū non
 30 ideo cessabat adhibere omnes artes, quas ad demulcendos illos facere existimaret. Hanc
 ob causam primariis ciuitatibus, quid iuris in regnum Lusitaniæ haberet (beneuolentię si-
 gnificationi minas intermiscens) per litteras exposuit, quas tamen maxima ex parte magi-
 stratus publico nomine accipere recusarunt. Ciuitati Lisybonę scripsit in hac sententiam.
 Magnifici, & dilecti, quanquam Christophoro Moro dedi negotium nonnulla vobis meo
 nomine indicandi, vt ex ipso audietis: tamen visū mihi est eadē etiā per litteras vobis signi-
 ficare & ostēdere non esse quenquā qui tantum, quantum ego ex infelici Serenissimi Regis,
 & exercitus Lusitanię interitu dolore perceperit. Rationes non sunt obscurę, quia amisi
 filium, & amicum, quem tantopere amabā: & eodem loco habebam, & habeo omnes, qui
 occubuerunt: quoniam omnes Lusitanos eodem, quo meos subditos proprios, honore &
 40 amore prosequor. Spero autem publice constare de diligentia, & labore, quem expedi-
 tionis impediendę causa, tum præsens Guadalupi, tū ante, & etiam deinceps per ministros
 meos suscepi: cuius rei multi ex Lusitaniæ proceribus testes esse possunt. Verum, ne tā in-
 gentem dolorem refricemus mittamus illa, quæ corrigi non possunt, oculosq; ad consolatio-
 nem veram conuertentes statuamus id, quod res est, hoc flagellum à manu Dei, & arcana
 ipsius prouidentia immissum fuisse. Debet etiā nobis esse singulari cōsolationi, quod Lusi-
 tania tam turbulento, & calamitoso tempore Principem adeo pium & prudentē nacta est,
 qualis est Sereniss. Rex meus auunculus, de cuius raris virtutibus, & vita innocentissima
 merito hoc nobis possumus polliceri, fore, vt pristinę quieti regnum suū restituat, omniaq;
 50 rali cum lenitate, & clementia administret, qualem ego opto tum propter amorem, quo o-
 mnes eius subditos complector, tū propter amicitia & sanguinis iura quæ semper fuerunt
 inter has duas coronas, & inter me, ac reges Lusitanię quippe cum ex eodē sanguine de-
 scendamus, tū ego, tum filii mei, qui sunt, nepotes Sereniss. regis Emanuelis: quem etiam a-
 morem & affectum Imperatrix mater mea, sedulo in me nutriuit: ita vt ob has causas, Sere-
 nissimum regem auunculum meum, non minori, quam vos ipsi, obseruantia prosequar, &
 æque, ac vos, vitam ipsi diuturnā, ac felicē precer. Verū quia successionis coronæ Lusitanię
 ea conditio est, quā omnes nostis, volui diligenter, & adhibito maturo cōsilio, inquirere in
 ius, quod in regnum Lusitanię Deus Opt. Max. occulto suo iudicio mihi concessit: cumq;
 rem totam tam in Regnis meis, quam alibi viris doctis, & bonis discutiendā proposuissem
 omnes vno ore pronunciarunt, me esse extra controuersiam legitimum Regni Lusitanię

heredem, nec superstitem esse hodie quenquam: qui iure mihi contradicere possit: idque
 tum multis aliis de causis, tum imprimis, quia mas sum & omnium natu maximus, ut pu-
 blice notum est. Cum itaque existimarem hac de re Serenissimum regem, auunculū me-
 um ea, qua decet pietate, & animi submissione certiorum faciendum, amanter ipsum ro-
 gavi, ut quamprimum hoc subditis declaret: uti etiam aliter facere non potest, si modo, ut
 par est, & conscientiam suam exonerare, & iustitiam administrare velit. Sed multo etiam
 magis hoc facere tenetur ideo, quia spectat ad salutem, pacem, quietem, augmentum, &
 felicitatem regnorum, & subditorum ipsius, quibus omnibus nos ambos pro virili ope-
 ram dare æquum est, & contraria incommoda antevertere: ac præter ea quæ diximus, e-
 tiam aliud quiddam grauiissimi momenti hinc dependet, nempe cultus Dei Domini no-
 stri, & securitas, atque incrementum Sanctæ nostræ fidei Catholicæ. Eodem modo vo-
 lui hac de re admonere ciuitatem Lyfibonensem, utpote quæ semper spectatæ erga reges
 suos fidei specimina ediderit, & caput Regni sit. Confirmo autem vobis omnibus, me,
 qui hæres coronæ sum, non esse regem exterum, sed indigenam, ut supra dixi, quippe qui
 sum soboles vestrorum principum & ex sanguine ipsorum procreatus; imo vos omnes fa-
 cili me utemini patre: quod re ipsa experiemini, ubi Deo Opt. Max. placuerit. Peto autem
 iam a vobis, ut pro vestra prudentia, & longo rerum usu consideretis & notetis, quibus
 in rebus potissimum vobis honorem exhibere, & gratificari possim: idque non tantum
 vestra priuilegia, & immunitates conseruando, verum etiam eadem siue publica siue pri-
 uata augendo: id quod etiam ceteras regni ciuitates scire velim: vosque rogo, ut eas de
 hac re certiores faciatis. Neque enim par est quenquam ignorare amorem & beneuolentiam,
 qua omnes complector. Vestri autem officii etiam erit, agnoscere hanc meam erga vos
 beneuolentiam, & obtemperare voluntati Dei, cuius iudiciis, & decretis nemo potest re-
 sistere; & credendum est omnium optimum esse, quidquid ille statuerit. Cum itaque con-
 fidam fore, ut tum vos, tum reliqui subditi debito tempore officia sua faciant, nihil restat,
 nisi quod præter dolorem, quem in vniuersum ex recentibus Lusitaniæ calamitatibus per-
 cepti, singulari etiam mœrore me adfecit infelix casus tot nobilium, aliorumque subdito-
 rum, qui in Africa vel cæsi, vel capti fuerunt. Quare vos rogo, ut cogitetis quam re ego
 iuuare possim captiuos, & me statim de eo, quod vobis videbitur, certiorum faciatis.
 Etsi enim sponte mea omnem diligentiam & adhibuerim hac in re, & adhuc adhibeam,
 tamen nihilominus mihi gratum erit ex vobis etiam intelligere, quamnam vos potissimum
 rationem captiuos liberandi ineundam censeatis. Et velim vobis persuadeatis, me omnia
 ea, quæ ad vos pertinere intellexero, paterno & amore, & fide curaturum; id quod, oc-
 casione blata, re ipsa experiemini, præsertim cum fieri huius rei periculum facile possit,
 ut prolixius ex Christophoro Moro audietis; ad quem me refero. Hanc epistolam misit
 Philippus Moro, ut eam Cameralibus redderet. Morus cum Camerales in palatio con-
 gregati essent, illis epistolam porrexerit: qui attoniti cœperunt vereri, ne, eam accipiendo
 crimen læsæ maiestatis incurrerent. Recusantes itaque iusserunt Morum, epistolam retinere,
 & Regi tradere: quod cum Morus abnueret, epistola clausa in manibus Cameralium re-
 mansit. Ut autem nihilominus sententia litterarum innotesceret, Morus exemplum earum ex
 sinu depromptum publice legit, & alia deinde variis ciuitatis locis spar sit: authographum vero
 Syndici Regi obtulerunt. Hæc autem epistola nihil utilitatis Philippo sed damnum potius
 attulit: & ab hominibus cordatis tam Hispanis, quam Lusitanis, atque etiam a nonnullis con-
 siliariis regis hoc remedium iudicatum fuit parum accommodatum ad morbum Lusitano-
 rum, quos, tanquam maxima ex parte Hispanis infensos, harum rerum insolentes, & aspe-
 ros, probabile non erat, per epistolam flecti posse. Interim intellectum fuerat Ioannem Syl-
 uium, qui legati munere in Lusitania Philippi nomine fungi consueuerat, non tantum vi-
 uere Alcafarquibirii, licet grauiissime vulneratum, sed etiam a Xariffu libertati restitutum
 cadauer Regis Sebastiani Septimæ comitari: & paulo post, circa natalē Domini anno 1578.
 nunciatum fuit eum Hispalim appulisse. Illis, qui rerum Lusitanicarum periti erant, vide-
 batur Syluius opportune admodum rediisse. Nam, si ad pristinum officium reuertetur,
 rem tam arduam vnus omnium rectissime curaturus putabatur, propterea quod in eo præ-
 ter iudicii acumen, multæ aliæ dotes, in homine tale munus administrante necessariæ, con-
 currerent. Nam non tantum regis Henrici & Lusitanorum mores perspectos habebat, verum
 etiam apud illos in summa erat gratia, fortasse quod illum, tanquam è nobilissima familia
 Syluiorum, qui nata inter regem Iohannem primum, & magistrum equitum Auisi contro-
 uersia, è Lusitania in Castellam migrarunt, descendente, & insuper matre Lusitania natum,
 pro populari suo haberet. Adhæc, auspiciis regis Sebastiani, in Lusitania cum Philippa Syluia,
 Aluari Syluii, Comitis Portalegrensis, magni aulae magistri, & inter procures Lusitanos non
 postremi, herede matrimonium contraxerat. Verum, dum omnes existimant eum Hispali rectam

ro

20

30

40

50

Portugaliã profecturũ, ecce tibi Rex illum in aulam vocat, q̄ se coram illi animũ suũ exponere, & de præsentium negotiorum conditione eum edocere velle diceret. Dum hæc fiunt, peruenerat Lisibonã Dux Ossunã, qui cum fingeret, se Regis Henrici salutandi, & ei studia ac beneuolentiã Philippi deferendi causã venisse, sumptu eiusdem exceptus fuit, & habitus splendidissime: & expositis illis, quæ sola in mandatis habere se simulabat, profectus est Setubalum, inuisurus Magdalenam Gironiam sororem suam, & viduam Georgii Dalencastrii, Ducis Auerii: sed breuiteruersus, exhibuit alterum mandatum tractandi de negotio successionis, non sine indignatione Regis Henrici, qui moleste ferebat nomine Philippi apud se residere hominem tantæ dignitatis, tanquam actionum suarum obseruatorem. Displicuit hoc etiam omnibus Lusitanis: idq; eo impensius, quod vna cum Morõ apud Regẽ de Philippo regni successore declarando, instare inciperet, multis rationib. ad bonitatem causæ probandam adductis. Interim Henricus Rex, urgentibus etiam hoc regnicolis, constituerat negotium successionis, quoad fieri posset, in tuto collocare, & satisfacere subditis, qui eam ob rem dubii, & suspensi erant. Cum igitur paucos, eosq; familiarissimos in consilium adhibuisset, post multam deliberationem, & disceprationem, tandem statuerunt non expedire, vt tum temporis successor nominaretur, idq; hanc, vt videtur, ob causam, quod animaduertent, proximum & legitimum hæredem esse Regẽ Philippum, quem ipsi maximopere oderant, & cuius imperium effugere cupiebant. Neq; ad hanc rem quidquam accommodatiũ esse iudicabant, quam designationẽ successoris differre. Nam nec Philippum nominare volebant; & si alium nominarẽt, indignationem ipsius se incursum, & occasionem meliori cum fundamento actionem suam instituendi illi, aut hæredibus ipsius præbituros videbant. Ex dilatione autem designationis hæc saltem spes, quamquam infirma, promanabat, fore, vt Philipp. licet iunior, tanquam mortalis, prius diẽ suum obiret, quam Rex Henricus senex decrepitus: quo casu ipsi liberabantur à iugo Castellanorum, & ordo successionis tangebatur Ducem Sabaudia, quem minus metuebat, & ad cuius imperium perferendum procliuiores esse videbantur. Existimabat Rex Henricus Catharinam Ducissam Bragancie omnibus competitoribus, excepto Rege Hispania, gradu esse propinquiorem & impulsus fortasse etiam naturali quodam amoris impetu, serio cogitare cepit, de regno in ipsam transferendo, & in Academia Coimbriensi, multa consilia pro ea conscribi curauit. Ad hunc autem finem consequendum factu commodissimum putabat, citare omnes competitores, vt certo die ad ius suum probandum comparerent: idque statim fecit, quamuis multi consilium hoc immaturum, & rem in conuentu publico prius, quam ad effectum perduceretur, proponendam & decidendam esse iudicarent. Quia exre apparuit Regem quasi in diem viuere, nec eum ordinem & consilii maturitatẽ, quam oportebat, in regni administratione adhibere. Nihilominus tamen præuidit fieri posse, vt ipse interim ante Philippum moreretur: cumq; eo casu regnum, capite destitutum, necessario perturbatum iri consideraret, statuit eligere quinq; gubernatores, qui, tempore interregni, præessent, & quibus iam tum proceres & reliqui subditi obedientiam iureiurando promitterent: quo facto, postea controuersias competitorum commode discuti posse putabat. Et quanquam vererentur, ne hæc res Regem Philippum offenderet, tamen sperant eum placari posse, si dicerent nihil hic fieri ad iura ipsius vel turbanda, vel remoranda, sed vt posset actionem suam eo solidiori cum fundamento (id quod ipsum maxime decebat) proponere. Spargebant etiam rumorem, Regem Henricum velle ducere vxorem, & quia erat sacris initiatus, licentiam à Papa petere: cumque fieri posset, vt liberos suscipere, non esse rationi consentaneum, vt de iuramento successoris præstando ageretur. Cum superiora omnia à paucis, iisque primariis decreta essent, paulo post, vt consilium hoc non priuatim, sed publice communi omnium consensu captum fuisse videretur, & vt Gubernatorum electio eo magis acceleraretur, Henricus indixit conuentum trium regni ordinum, Ecclesiasticorum, nobilitatis, & procuratorum vrbium, & oppidorum, qui cum Kal. April. ann. 1579. in maiorem aulam palatii Lisibonensis conuenissent, Rex præeuntibus, noxiem præconibus regis & Duce Bragancie, aliisque proceribus eum comitantibus tuba toga Cardinalitia indutus, nulloque regio ornatu, scepro excepto, insignis ad eos ingressus est, consensuque pegmate, quod in capite aulæ extructum altitudine 4. graduum locum, vbi constiterant procuratores, excedebat, cathedram tela aurea suffultam, & cælo, ex eadẽ tela confecto, tectã occupauit: cumq; vnusquisq; locum suũ, iuxta antiquas prædialia leges, cepisset, in loco pegmatis prominẽtiori Alfonsus Castellblancus sacerdos, iussu regis surgẽs proluxa oratione memoriã præteritarũ calamitatum non nihil refricatã spe futurorũ bonorũ tẽperauit, & in laudes Regis excurrẽs, eumq; ab omni virtutũ genere cõmendans, exaggerauit fidẽ & diligentia, qua cõmoda regni procuraret; ita vt ne quidẽ ppter valerũ

dini, & saluti parceret: deniq; comparauit eum regi cœlorum propter amorem, iustitiam, misericordiam, & quod seipsum pro populo suo sacrificaret. Laudabat etiam illum cœuentum, eumq; quia similis esset sacris Synodis, errare posse negabat. Postremo addidit regem illos conuocasse vt admonitus de iis, quæ ad regni salutem pertinere viderentur, de ipsorũ consilio & sententia omnia administraret. Finito hoc primo actu edictum fuit, vt quotidie Ecclesiastici, nobiles & procuratores regni (singuli ordines loco à reliquis separato) cœuenirent: quod cum fieret, in sententias longe diuersissimas discessum fuit. Quidã qui finem deliberationi quamprimum imponi cupiebant, dicebant sine mora pronuntiandum esse, ad quem successio pertineret, rationib. litigantium non auditis: alii citatis competitoribus legitimoq; processu instituto per sententiam rem definiendam: multi creandos gubernatores putabant: alii ne quidem sermonẽ de his institui ferre poterant, insistentes vias adeo discrepantes, vt admodum exigua esset spes concordiz, & consensus. Quod cum Rex intellexisset, primarios singulorum ordinũ, viritim ad se vocatos certiores fecit de eo, quod facere in animo habebat, ostenditq; regni libertatem ita omnino flagitare. Redactis itaq; ad concordiam votis ante discrepantibus, conclusum fuit, non esse agendũ de publica declaratione successoris: sed auditis competitorum rationib. tantum à rege pronuntiandum, ad quem hæreditas regni spectaret, & quis post mortem ipsius successor designandus esset. Quanquam autem Deus O. M. in pœnam fortasse Lusitanorum permisit, vt hoc consilium regi omnium optimũ videretur: tamen experientia docuit peius capi non potuisse. nam ex eo, quod causam successionis in dubium vocabant, tunc nonnulli cœpetitorum spes vana, & regno damnosissimas, cœceperunt. Vt autẽ rumor de matrimonio regis sparsus non de nihilo esse videretur, Eduardus Castelblancus in Conuẽtu electus fuit, qui Romam ad dispensationẽ à Papa impetrandam proficisceretur. Retulerunt in catalogum 15. nobiles, ex quorũ numero rex 5. eligeret, eorumq; nomina manu sua scriberet: nominati regnum administrarent, donec de certo successore constaret. Non mediocris etiam controuersia fuit inter regẽ, & consiliarios Conuentus de nominandis gubernatorib. Rex. n. solus 5. illos nominare volebat: Consiliarii contra ius illud sibi arrogabant: cumq; conuenisset, vt consiliarii 15. eligerẽt, & ex iis 15. rex 5. exciperet, nata rursus noua controuersia est, propterea q; Consiliarii scire volebant, qui essent illi 5. Fuerunt etiam, qui non tantum vellent nomina gubernatorũ publicari: Sed etiam eos, viuente rege, gubernationem inchoare, vt postea eo maiorem auctoritatem haberent. Tandem tamẽ conclusum fuit nomina gubernatorum silentio premenda esse: quanquam coniectura facile homines assequeretur, quinam essent. Confecerunt itidem Catalogũ 24. iudicũ, ex quib. rex 11. excerpit: qui sententiam ferrent in causa successionis, si ipse forte lite pendente, moreretur. Verum Hispani hoc pro insigni errore habebant, quippe quod rex ignoraret iurisdictionem regiã vna cum vita exspirare, dicebantq; gubernatores nominare nihil aliud esse, quã regnare velle etiam post mortẽ: cuius rei exẽplũ videre liceret in Elisabetha regina Castellæ, quæ frustra leges in regni administratione post mortẽ suam obseruandas prescripisset. Ita dimissus fuit conuẽtus: & Dux Bragaciæ, ac reliqui proceres vna cũ Antistitib. & procuratorib. regni paulõ post iuramentũ præstiterunt de obedientia gubernatorib. à rege electis, & illi, qui rex declararetur, exhibẽda. Non visum est omittere formulã iuramenti, q; præstitit Prior. Vocatus. n. à rege, & iuramentũ de exhibenda obedientia præstare iussus, dixit, se cupere prius regem alloqui. Cũ rex responderet, non esse opus, & iuramentũ vrgeret: Prior vero recusare pergeret, rex subirasce cœpit. vnde Prior, oculis in amicos, quos adduxerat, defixis, innuẽs se vici cogi, manu Euãgelii imposita iurauit contra expectationẽ multorũ, qui eũ potius turbatũ aliquid daturum, quam iuraturum esse putabant. Catalogus gubernatorũ vna cum nominatione, alteri paginæ faciei inscripta, cistæ cuidã inclusa, & Cameralium vrbis Lisibonæ custodiæ commissa fuit. Plebi Lisibonensi hæc non satisfaciebant, veritæ, ne in manus Hispanorum incideret: idq; ex eo adparuit, q; in loco, vbi nobilitas conuenerat, paulo ante in conspectum totius confessus magna cum audacia prodierant duo homines mechanici ex numero eorum, qui nomine plebis in magistratuum collegium recipiuntur, quorum alter, impetrata audientia, dixit se intellexisse nonnullos ex præcipuis illius conuentus officii, & famæ suæ cura omni deposita, loqui & facere contra bonum publicum, & regni tranquillitatem. Huic incommodo se tanquam ciues patriæ amantes, constituisse remedium adhibere, exemplo maiorum suorum, qui idem tempore Ioan. I. & aliorum regum fecissent. Se itaque à conuentu illo, tanquã à capite & præcipuo Reip. mēbro petere, vt regnum fulcire, sustentare, & ne illud quorundã, priuata dignitati & commodo studentiu, culpa existimationis & libertatis iacturã faceret, præcauere eniterentur. Subiunxit ad hunc finem, & ad iura sua tuẽda, & ad turbulentorum Lusitanorũ temeritatẽ coercendã parata esse 15. aut 20.

hominunt

hominum millia, tã in vrbe, quam in vicinia, qui si opus esset, duarum horarũ spacio coacti, combusturi essent ædes illorũ qui & verbis, & factis bonum publicũ oppugnarẽt, & cõtra quietem regni machinarentur: id q̃ tamen facturi non essent, donec sperarent fore, vt pœnas à nocentib. exigendo, malis impendentib. occurreretur. Postremo dixit, hãc admonitionem in hũc finem institutam esse, vt omnes, deposito metu, eo liberius de bono publico agerent, & vt occluderetur os illis, qui in hac re suspecti, difficultatẽ, & impossibilitatẽ inculcantes, nec ipsi remedium malis adferrent, nec alios ad adferendum hortarentur. Cum finem dicendi fecisset, vnus ex illis, qui omnium prudentissimi habebatur, respondit, consiliarios, ipsi gratias agere pro egregia voluntate & amore, quo bonum publicũ prosequerentur: neminem vero ex consiliariis esse, qui non eodem modo esset adfectus. Iussit igitur eos esse bono animo, nec dubitare, quin omnia ordine, & bona fide administrarẽtur. Veruntamen non obstante hac responsione, illi duo minabundi discesserunt. Ex hoc conuẽtu rex Philippus manifesto cognouit, quomodo non tantũ Lusitani, sed etiam ipse Rex Henricus, erga sese adfecti essent. Videbatur enim ipsi cõiuratio potius contra se, quã legitimus ordinum conuentus fuisse. Henricus impulsu familiarium de ducenda vxore cogitãs, singulis dieb. cum medicis conferebat, exquirebatq; num ipsum gignere posse existimarent: id quod magnæ admirationi fuit illis, qui ipsum norant. Putabant enim eum, qui tam caste semper vixisset, etiamsi ad regnum multo iunior peruenisset, tamen vxorem non fuisse ducturum: cumque de nuptiis adeo decrepitis, & sacris initiatus cogitaret, videbatur in eo desiderium Regem Philippum regni successione priuandi tantũ posse, vt ipsum veluti vim suæ naturæ inferre cogeret. Verum honores mutant mores hominũ: quanquam senectus ipsius argumento esse videbatur eum inuitum potius quam sponte animum ad hanc rem applicare. Dicebant autem nonnulli magni iudicii viri Regi Philippo metuendum esse, ne sub specie matrimonii deciperetur. Et si enim tum ætas, tum valetudo Henrici securum ipsum reddere videretur, tamen, quia res esset tanti momenti, merito timeri posse vel partum supposititiũ, aut adulterinum, vel similem aliquam fraudem. Cum itaq; Philippus clã (vt putatur) cum Pontifice de dispensatione Henrico deneganda egisset, in Lusitaniam misit Ferdinandum Castillæum, ordinis prædicatorum, Theologum eloquentẽ: Qui quæ de causa eo profectus esset, & vulgo ignorabatur, nec à me certo resciri potuit: communis tamen opinio erat, finem itineris fuisse, vt Regi Henrico matrimonium dissuaderet, cũ ob alias rationes complures, tum in primis, q̃ tempore adeo periculoso propter frequentiam hæreseon, & hæreticorum, qui clericis vxores ducere licere adfirmant, ipse sacerdos & rex simul, si nuptias contraheret reliquis pessimum esset exemplum præbiturus. Hæc opinio inde confirmata fuit, quod intelligebatur Castillæi orationem Regi ingrata, ipsumq; subito dimissum fuisse. Citati interim fuerant competitores, nimirum Rex Hispaniæ, coniunx Ducis Braganciæ, Dux Sabaudia, Princeps Parmensis, & Antonius Prior Cratensis: vt actiones suas per legatos, & procuratores proponerent. Non respondit Rex Philippus per literas, quanquam ipsi scripsisset Rex Henricus sua manu: sed tantum per vnum ex Secretariis suis Legato Lusitanico schedulam dari iussit, qua professus est se citatum fuisse. Multi improbabant hos agendi modos, & omnes vno ore adseuerabant imprudenter à Rege factum, quod Ducem Sabaudia & Priorem citasset. Nihil enim aliud hoc esse, quam lites ferere, quod & Priorem nothum esse apud omnes constaret, & Rex Philippus manifesto potior esset duce Sabaudia. Philippus citatus, statim ex procerib. regni, iisdemque supremi senatus consiliariis, ex cõfessore suo, & alio quodam theologo, & ex quinque doctorib. consilii regii, nouum senatum composuit, qui congregatio successione Portugallia vocabatur, constans ex duodecim personis, & nihil nisi ad hanc rem pertinens, tractabat. Interea venerat Hispali in aulam Ioannes Syluius, vt, de iis, quæ ad munus suum pertinebant, edoctus, in Lusitaniam reuertetur. Quanquam autem à Rege humanissime exciperetur, ac non raro consilio illi, de quo diximus, interesset, vel sententiæ dicendæ causa, vel vt, quid agendum sibi esset, intelligeret: tamen diu detinebatur, adductis variis excusationibus & quantumuis diligentissime instaret, vt mandatis acceptis, dimitteretur, quod & in grauissimo illo de adiungenda Hispaniæ Lusitania negotio Regi suam operam nauare, & vxorem ac liberos post tot labores exantlatos præsentia, ac cõspectu suo recreare cuperet, tamen voto ipsius vel æmulorum malitia, vel fortunæ iniquitas, obstitit. Postquam in Africa captus fuisset, Consilarii quidem Regii iudicarunt, neminem in ipsius locum substituendum, antequam compertum esset, vtrum viueret, an vero occubisset: sed nihilominus deinde & Rex, & iidem illi consilarii inclinare huc videbantur, vt illum non tantum præsentem, sed etiam eo tempore, quo maxime ipsius industria opus erat ab officio remouendum iudicarent. Rex enim qui Christophoro Moro iam antè multa arcana dẽ-

texerat, inuitus alii eadem denuo committebat: cuius rei manifesta indicia apparuerunt, cum diuersi tabellarii ex Lusitania literas compluribus illorum, qui negotiū successionis tractabant inscriptas adferrent. Accedebat, quod Dux Ossunæ (ad cuius voluntatē Cardinalis, Archiepiscopus Toletanus, & reliqui consiliaris se accommodabant) Morū, cum quo summā familiaritatem contraxerat, Regi prædicans, operā dabat, ne quis alius tractandi huius negotii causa mitteretur: idque eam, ut quidā dicebant, ob causam, quod Ossunensis sibi cum Syluius, utpote paulo superbiori, non tam bene conuenturū esse arbitraretur. Diluebat Syluius obiectiones, & nō tantum se cum Duce Ossunæ, & cū reliquis quos Rex missurus esset, consensurū: verum etiam, si eū negotio successionis interesse nollent, se hoc misso, legati munere solo contentum fore, & si opus esset, se etiam hoc se abdicaturum, spondebat. 10
 Verum hæc modestia cum fortassis adhuc magis suspectum reddidit, quia videbatur hoc agere, ut semel in societatem receptus, postea totum negotiū, & omnem administrationem in se transferret. Circa hoc tēpus reuocatus fuit in aulā Christophorus Morus, qui dū cum Rege, arbitris remotis, prolixè de rebus Lusitanicis conferret, effecit, ut de integro in Lusitaniam titulo legati ornatus, mitteretur, quantumuis illū multi eo rediturū non putarent, propterea quod ea, quæ in mandatis habuerat, iam erat executus. Verum cum pro homine (ut reuera erat) fido, diligenti, & cordato haberetur, (quantumuis in negotiis magni momenti non esset admodū exercitatus) in numerum cubiculariorū regionū ascitus, & legati titulo, quem affectabat insignis in Lusitaniam rediit. Ne vero Syluius, de omni spe deturbatus, & ipse in Lusitaniam reuerteretur, detētus fuit sub hoc prætextu, quod rex ipsius opera ad ea, quæ ex Lusitania scriberentur, rectius intelligenda egeret. Vnde numero consiliariorū, qui de successione tractabant, à 12. ad 4. redactō, Rex Syluiū ex his vnum esse iussit: reliqui erant Cardinalis Toletanus, Ludoicus Mauriquius Marchio Aquilatiensis (ambo senatores consilii supremi) & Anton. Padiglianus, consilii triū ordinum equitū auratorum præses. Varii fuerunt hominum sermones de electione vnius legati, & de alterius exclusione. Ceterum exclusus, cum videret se ea quæ acciderant, mutare nō posse vsitato aulicis more, se omnia in bonā partem interpretari, & beneficii loco habere simulabat. Dum hæc in Hispania geruntur, in Lusitania competitores tam indigenæ, quam exteri citati, actionibus suis propositis, Regem de suo quisque iure edocere studebant. Agebat Philippi causam Dux Ossunensis: Ducis Sabaudia Carolus Rouerius: Reinutii Farnesii, Ferdinandus 30
 Farnesius, Episcopus Parmensis. Regina Gallia citata quidē non fuerat: sed tamen & ipsa actionem instituit per Urbanū de S. Gelasio, Episcopū Comingensem, qui non sine labore obtinuit, ut ad agendū admitteretur. Videbatur. n. Rex magnis dubitationū fluctibus agitari, dum ab vna parte propter beneuolentiā qua Ducissam prosequabatur, omnes excludere, & ab altera, præ nimio Regem Philippum excludendi desiderio, omnes promiscue admittere conatur. Ceterū vicit odiū beneuolentiam, & effecit, ut cū summā sua ipsius ignominia, pateretur à Regina allegari ipsum regē Henricum, a quo sibi iustitiam administrari petebat, & vndecim reges, qui ipsum antecesserāt, fuisse nothos, & illegitimos. Huc. n. reginae rationes tendebant. Et licet non nihil dubii moueret circa mandatū Episcopi: tādē tamen, cū de alio mandato, intra certū tempus proferendo, cautionē præstitisset, ipsi ad agendū admissio aduocātū adiunxit. Præcipua competitorū argumenta talia erāt. Antonius 40
 post 50. ann. decursū (toto. n. hoc tempore nihil tale asseruerat) omnino pro legitimo se venditās, sine controuersia successione regni ad se spectare dicebat, seq; tanquā masculum à masculino descendente, ratione patris superare ætatem, qua Philippus eū anteibat: ratione sexus se ducissa Bragacia: ratione ætatis, & propinquitatis Reinutio Farnesio esse potiorē. Philibertus Dux Sabaudie & ipse nondū spem omnem obtinēdæ successionis deponebat. Sed tamen quia in illū tantum casum, si Philippus ante Henricū moreretur, se principe Castellæ propinquire esse probare conabatur, minus, quam ceteri laborabat. Pro Reinutio Farnesio validæ rationes adducebantur, & pro ipso I. Cti Patuini consiliū conscripserant. Ut autem eum contra proximitatē, quā à reliquis competitoribus vincebatur, tuerentur, dicebant secundum ius purū, & simplex quot filios rex aliquis relinquit, tot inde promanare primogenituras: harum primā lineam succedere, donec durat: ea finita, succedere secundam, & ita deinceps. Iam autem Eduardum, auium Reinutii maternum, esse caput secundæ primogenituræ filiorum regis Emanuelis: & ideo, primā per mortem Sebastiani plane extincta, merito succedere debere lineam secundæ primogenituræ, donec durauerit: per quam de gradu in gradum descendendo inueniri Reinutium: Philippum vero, & Philibertum, quamuis essent competitores masculi, & legitimi: tamen tanquam ex linea feminina descendentes, nō posse admitti ad hereditatē, donec heredes ex primogenitura masculina descendentes superuiuerent: ex quorum numero ipse esset: cumque neque ducissa; 50
 quippe

quippe femina, neque Antonius, utpote illegitimus ei obstarent, ipsum necessario omnib.
 esse potiorum. Ducissa Bragançæ bene sperans, & partim iuri suo, partim Henrici bene-
 uolentiæ confisa, prolixum & elaboratum consilium conscribi curauerat ab I. Ctis vni-
 uersitatis Coimbriensis, qui, præterquam quod totius regni doctissimi essent, etiam ideo,
 quod regi se rem gratam facturos sperarent, hanc quæstionem, quam maxima fieri potue-
 rat diligentia, excusserant. Nitebantur hoc fundamento, quod in regnis succedunt hære-
 des ultimi possessoris: & quod in hoc successionis genere leges beneficium repræsentatio-
 nis concedunt: & (quia Doctores disputant, utrum nepotes hoc beneficio gaudeant, cum
 in hæreditate adeunda cum patruo non concurrunt) dicebant sine dubio sequendam esse
 10 partem adfirmatiuam, & feminas non tantum repræsentare gradum parentis, sed etiam
 sexum, & ius masculinum. Cum itaque Ducissa repræsentaret patrem suum Eduardum,
 filium regis Emanuelis, & fratrem Henrici, volebat omnes superare: Regem Philippum, ut-
 pote descendente ex femina, Antonium ut illegitimum, Reinutium, tanquam ab Hen-
 rico remotiore: neq; admittebat vllas lineas, ad primogenituras, aut repræsentationem,
 eamque ad rem multæ Doctorem auctoritates allegabantur. Hoc consiliū impressum fuit,
 & missum ad Papam, & reliquos Principes Christianos, apud quos magnū pondus habi-
 turum esse credebatur. Rex Philippus allegabat, ex nepotib. regis Emanuelis, qui super-
 erant se natu maximum esse, & legitimum: Ac reliquos cōpetitores, qui manifesto illum
 priorē esse animaduertent, confugere ad fictiones & repræsentationes, quas in hoc ca-
 20 su, & inter huiusmodi personas à nullo iure concedi probabat, dicebatque se præterquam
 quod omnes in genere ætate superaret, etiam singulos peculiari ratione vincere: Antoni-
 um quidem natiuitate legitima: Ducissam sexu, Reinutium proximitate, Ducē Sabaudia
 ætate Isabellæ Imperatricis, matris suæ, natu maioris Beatrice, Sabaudi matre. Regnicolæ
 dicebant extinctam esse lineam regum masculinam, & hoc casu ius electionis ad ipsos per-
 tinere. Fulciebant hanc rationem exemplo Ioannis primi, ab ipsis electi: sed hæc actio, tan-
 quam nimis generalis, non magni æstimabatur. Regina Gallia rationib. miris, & cum tot
 regum ignominia coniunctis nitens, contendebat se per directam lineam ad Regni suc-
 cessionem venire: aiebatque ex monumentis veterum archiuorum Francia, & ex anti-
 qua Comitatus Bononiensis possessione satis probari se directo à Ruperto, filio Alfonsi III.
 30 & Matilde Comitissa prima, & legitima eius coniuge descēdere, & ex illo tempore iniuste
 regnum possidisse posteros Beatricis secundæ vxoris Alfonsi, ex qua quia descenderent
 omnes reliqui competitores, ipsos non plus iuris, quam maiores suos, habere posse. Ve-
 rum enim uero Rex Henricus frigidius, quam pro rei magnitudine, & vitæ suæ breuitate,
 in cōtrouersia successionis decidenda versari videbatur. Instabant apud eū subditi homi-
 nes eo ingenio, ut etiā alias difficulter ipsis satisfieri posset. Cū vero eum tam lente viderēt
 hoc negotiū tractare, & verbis & literis sine auctoris nomine sparsis cōquererentur, & que-
 relas suas ad regis aures peruenire cupiebant. Dicebant inter alia vulnus in bello Africano
 acceptum, quod per Henrici successionem aliquo modo sanatū fuerat, iam recrudescere,
 propterea quod animaduertent vanam esse spem, quam conceperant fore, ut ille malis
 40 imminentibus medicinam adhiberet. Querebantur tempus, quod totum cōtrouersia
 successionis discutiendæ tribuendum erat, in reb. minus necessariis & à proposito potius
 alienis cōsumi. Nihil. n. nisi actiones cōtra eos, qui Regi iniuri essent, & inquisitiones iudi-
 ciales in res parui momēti, institui: pecuniā mutuo peti à mercatoribus in redemptionem
 Lusitanorum captiuorū in Africa: noua vectigilia in perniciē subditorum inuestigari, & a-
 lia huiusmodi: quorū nonnulla (utpote redemptionē captiuorū, & iustitiæ administratio-
 nem) cum tanquā per se bona, improbare nō possent, saltem tempus & modū, quo fiebant,
 reprehēdebant. Porro digrediētes ab hoc proposito (more hominū maledicorum) mini-
 stros iustitiæ acerrime pungebant, ostendebantq; illis esse animas venales, pauperes premi,
 diuitib. faueri, omnes pœnas aut esse pecuniarias, aut barbariem redolere, utpote quæ de
 50 industria ad pauperes & innocentes vexandos & diuites (qui quantumuis nocentes casti-
 gari non solerent) extollendos inuentæ fuissent. Redibant deinde ad demonstrandum,
 quantum situm esset in matura litis de successionem motæ decisione: ostendebant non satis
 prudenter factum competitores citando & conuentum ordinum regni indicendo. Esse
 enim hæc omnia coniuncta cum longis ambagibus & si neutro horum ipsi ad sceptrum
 adipiscēdum opus fuisset neque etiam successorem illis indigere. Deuissē Henricum in-
 tra se, & de sententiā nonnullorum peritorum & fidorum Doctorem rem decidere, &
 pro ratione personæ, ad quam hæreditatem pertinere intellexisset, conuentiones & trans-
 actiones ita instituere, ut regni libertati quam maxime consulereur, exclusis ex parte sa-
 tisfieret, & multis membris in vnū corpus compactis, belli ciuili periculum auerteretur:

Et sane, vt verum dicam, hoc consilium omnium maxime cum prudentia, & pietate erat coniunctum. Improbabant electionem gubernatorum, eosque truncum sine capite vocabant. Dicebant illos post mortem Regis nihil posse recte administrare: quia verisimile erat fore, vt inter ipsos dissensiones orirentur, populus tumultuaretur, proceres imperium detrectarent, & vnusquisque competitorum Regis nomen sibi vindicaret. Prædicebant Regnum scissum iri in studia contraria & hunc vni, alterum alteri factioni adhæsurum: & interim potentiorē partem vi rem gesturam. Sapientiores ceteris, metuebant vires Regis Hispaniæ vicinas, & semper paratas: & quanquam multi tantum de ipsius modestia sibi pollicerentur, vt existimarent eum esse post Henrici mortem sententiā expectaturum: tamen illi, qui vsu edocti, cupiditatem augendi imperii nescire terminum, & modum, ac regna sententiis Doctorum nec dari, nec adimi norant, magis, quam reliqui timebant. Vocabant tentationem eorum diabolicam, qui Regi Henrico matrimonium suaderent, & vel vnicum verbum de eo proferrent. Dicebant enim huiusmodi homines non esse tam bene de Deo O. M. meritos, vt in ipsorum gratiam miraculum ederet. Rex motus his rationibus (quas ex parte ad ipsum delatas fuisse credibile est) maiori quam ante, cum ardore negotium successionis tractare cœpit. Quoniam autem Prior, postquam iuramentum de obedientia gubernatoribus exhibenda præstitisset, Almadam (quod est oppidum in ripa Tagi è regione Lisybonæ, vbi commorari solebat) se contulerat. Rex metuens, ne ille Almada Lisybonam, & vice versa Lisybona Almadam more suo proficiscēs, incideret in Ducem Braganciæ, atque ita ambo, vt pote regni competitores, & de præminentia etiā inter se certantes, & odia ac similtates mutuas exercentes, ad rixas, & verbera deuenirent, mandauit Priori, vt se in suum Prioratum Cratensem reciperet. quod & fecit. Duci vero (quanquam aliquanto tardius) iniunxit, vt in ditionem suam reuerteretur. Prior citatus fuerat, sed ita, vt ipsi non coram comparendi, sed procuratores tantum mittendi copia fieret. Itaque Prior inique secum agi putans, misit ad regem literas, in quib. ipsi gratias agebat, quod ad agendum fuisset admissus, & simul se pene relegatum esse querebatur. Ostendebat Regem non debere permittere, vt sibi facultas causam suam coram agendi denegaretur, cum Duci Ossunensi, Legato Regis Hispaniæ, & Duci Braganciæ, iudicio interesse liceret. Præterquam enim quod ita futurum erat, vt non nisi cum maximo incommodo rationes suas proponere posset: illos etiā qui ipsum ex aula, interim dum negotium tanti momenti tractaretur, remotum viderent: gratia Regis quoque eum excidisse iudicantes, causam illius libere agere & defendere non ausuros. Sed laborauit sine fructu. neq; enim Rex vllo pacto permittere voluit, vt Crato discederet: qua in parte quanquam mandato Regis non omnino satis fieret, (non raro enim hinc inde circumibat) tamen numquam in aulam veniendi licentiam obtinere potuit. Prima causa, quam rex diiudicandam suscepit, fuit legitimitatis probatio, quam Prior promiserat, & qua in re omnes competitores tacite ipsi aduersabantur. Voluit hanc esse primam, vt & consentaneum erat: quia à legitimitate Prioris, vel admissio eiusdem, vel exclusio à successione pendebat. Et quia principes sedulo solent exequi ea, ad quæ impetu quodam feruntur, ob hanc causam, & vt rata maneret sententia, quam super hoc negotio esset pronuntiaturus, prius à Pontifice Romano clam impetrauit diploma, quo ipsi concedebatur potestas decidendi litem legitimitatis, idque sine solenni iudicii forma, inspecta sola rei veritate. Examinatis itaque seuerè testibus, argumentis quibusdam acceptis, quibusdam reiectis, & processu iudiciali ad finem perducto, venit tandem ad sententiam, quæ fundamento diplomatis Pontificii nitebatur. In ea repetebatur pene totus processus, dicta quatuor testium, quorum duo criminis falsi conuicti fuerant (reuocarunt enim depositiones, & confessi sunt, se ab Antonio subornatos fuisse) & reliqui duo erant suspecti, quod & consanguinei essent, & dissentirent: in eadem referebantur verba testamenti Ludoici, patris Prioris, quibus ipsum diserte nothum appellabat, vna cum multis aliis rationibus: quibus motus Rex declarabat Antonium (hæc sunt verba sententiæ) esse non legitimum, sed illegitimum: & super prætenso matrimonio, & legitimitate vigore diplomatis Pontificii silentium perpetuum ipsi imponebat, reseruata sibi facultate in testes, & ipsum Priorem, prout ius & æquitas postularer, animaduertendi. Publicata hac sententia, Rex Eduardum Castelblancum, præfectum spiculatorum, misit Cratum ad comprehendendum Priorem, quanquam vulgo existimaretur, hoc potius metus Priori incutiendi gratia, quam alium ob finem factum fuisse, ideo quod credibile erat (vt & postea euenit) Priorem aduentum præfecti non expectaturum. Interim Rex Hispaniæ plenius & exactius inquisiuerat in ius, quod sibi in regnū hoc competebar. Et si enim statim ab initio, Doctores Hispani, quos consuluerat, ipsum proximum hæredem esse affirmassent, tamen certiora hac de re etiā ex Iuriconsultis exteris, & in primis Lusitanis exquirere

quirere studuit. Hi ergo rationibus singulorum competitorum in vtramque partem pro more disputatis, concluderant, Philippum hæredem esse sine controuersia, utpote qui esset omnium cognatorum Henrici solus proximus, natu maximus, & legitimus, & propter has rationes omnes & singulos competitors excluderet. Antonium habebat pro illegitimo notorie: propterea quod in hac opinione & vixerat & mortuus erat Ludoicus ipsius pater, ut adparet ex eiusdem testamento. Quamuis autem legitimationem à Pontifice petiisset: tamen, etiam si illam forte obtinisset, nullam legitimationem siue regiam, siue pontificiam ad regni successionem obtinendam prodesse. Philibertum Ducem Sabaudie paucis verbis amouebant, dicentes, eum natu minorem esse Philippo, & filium Beatricis, natu minoris sorore sua Imperatrice, matre Philippi, & in regnum diuisionem non cadere.

Quantum ad Reinutium, negabant rationes à primogenitura petitas, quibus ille nitetur: & præterea aiebant illas sine periculo cõcedi posse, propterea quod ipsi Doctores, qui hoc fundamentum adducebant, statuerent inutile esse primogenituræ ius, nisi iam ante extiterit in eo, qui illud vult ad alium transmittere. Et quia Eduardus tot annis ante, quam Henricus succederet vel vnquam de succedendo cogitaret, mortuus esset, non potuisse illum habere ius, vel spem aliquam, quam ad descendentes suos transmitteret. Parui itaque faciebant, ea, quæ à Reinutio de agnatione, primogenitura, lineis imaginariis, & transmissionibus allegabantur, dicebantq; eos, qui omnium maxime subtilitatibus nituntur, semper illas fulcire adminiculo repræsentationis, sine qua nullas vires habent. Iam autem Reinutium ad repræsentationem confugere non posse, ideo quod esset constitutus extra gradum, in quo leges illam concedunt: & per consequens illum à Philippo excludi. cõtra Ducissam Bragancie dicebant, quia regna essent antiqui iuris gentium, illorum successiones non debere exigi ad amissim iuris ciuilibus, pleni subtilitatibus, & fictionibus, quas post tot annos Imperatores inuenissent. Et licet Reges absoluti Ius ciuile in sua regna ad commodiorem iustitiæ inter subditos administrationem introduxissent: tamen illos non propterea mutasse simplices regulas naturales successionis regie: quas dicebant in hoc casu sequendas, perinde ac si euenisset ante, quam nasceretur Iustinianus, qui fuit inuentor iuris repræsentationis: & parum ad rem facere, quod nonnulli Doctores successiones regnorum ciuilibus institutis temere subiicere tentassent. Ex his itaq; rationibus concludebant ius Philippi esse indubitatum: & ii, qui hanc opinionem amplectebantur, erant homines docti, & peritiores antiquitatis, quam vulgus I. C. torum esse soleat. Ne autem quisquam existimaret, ipsos hæc in medium adducere, ut effugerent leges: profitebantur se etiam velle hac de re disputare ex iure Cæsareo, perinde ac si lis inter duos homines priuatos de priuatis bonis ageretur. Hac in parte probabant in regnorum hæreditate in primis succedi iure sanguinis, ut vocant, id est, habito respectu primi institutoris: & sequendo hoc ius, personas competitorum per se solas considerandas sine omni repræsentatione, & sine respectu patrum suorum, non secus quam si omnes essent vltimi possessoris filii: & hac ratione Philippum intraturum in locum filii primogeniti Henrici. Dicebant etiam, quantumuis concederetur, quod Ducissa volebat, nimirum in regnis non succedi sanguinis iure, sed tantum iure, quod vocant hæreditarium, habito tantum respectu vltimi possessoris: tamen illam nullo modo sese æquiparare posse Philippo. Repræsentationem enim qua illa hoc casu niteretur, non concedi nepotibus, nisi cum patruo concurrant secundum opinionem antiquiorem, receptiorem, & probabiliorem. Addebant successionem regnorum non tantum de iure gentium, ut supra dictum est, sed etiam de iure ciuili expertem esse omnis repræsentationis, nisi per pactum vel consuetudinem sit introducta. Et etiam si Ducissa posset repræsentare gradum patris sui, tamen non posse eam repræsentare qualitatem sexus masculini: immo esse iniquum, foeminam, gradu solo æqualem, & reliquis rebus omnibus inferioriorem, præferri mari, in administratione regnorum, & minus illi proprium defectum nocere, quam defectus matris Philippo nocuisset. His itaq; fundamentis positis, statuebant inter omnes nepotes regis Emanuelis potiorum esse illum, qui natu maximus, mas, & legitimus esset: hunc vero esse regem Philippum. Quamuis autem rationes subditorum, & reginæ Gallie friuolæ, & tantum ad negotium Philippo exhibendum motæ esse existimarentur: tamen etiam ad has accurate responderunt. Contra subditorum actionem replicabant, illos non plus priuilegii habere in eligendo rege, quam reliquos populos in Hispaniarum regnis, quæ per successionem deferuntur, donec aliquis legitime natus ex stirpe regia superest: imo Lusitanos minus hac in parte iuris habere, quam reliquos, quod regnum Lusitanie partim ex donatione regum Castellæ, partim ex ditionibus virtute regum Lusitanie acquisitis conflatum esset: cumque subditi regnum primis regibus non contulissent, nullum posse casum existere, quo facultatem Regis vel nominandi vel eligendi sibi arro-

gare iure possent. Ad id vero, quod de electione Regis Ioannis adferebatur, respondebant, illam rationem non tantum pro illis non facere, sed etiam inde constare, regnum hoc casu esse hæreditarium, propterea quod (præterquam quod id totum certæ factionis, victoria potitæ violentus clamor potius, quam legitima electio fuisset) ipsi tacite confessi essent, se non habere ius eligendi, donec legitimus heres ex linea regia superesset, dum se fundant in eo, quod Beatrix regina Castellæ notha esset, ut docerent regnum incidisse in eum statum, quo etiam cetera regna hereditaria regem eligere possunt, nimirum omnibus legitimis ultimi regis heredibus deficientibus. Aduersus Reginam Galliæ dicebant ipsius actionem esse improbabilem, & præscriptam, propterea quod posteri Comitibus Bononiensis (si modo ulli sint) nunquam hac de re quæstionem mouissent: nec credibile esse, si hoc ius ad coronam illam potentissimam vnquam deriuatum fuisset, Franciscum I. & Henricum II. principes adeo potentes, & prudentes illud negligere, aut dissimulare voluisse. Ceterum verissimum esse, Comitissam Matilden nullos omnino liberos reliquisse, ut constaret ex ipsius testamento, quod esset in archiuo Lusitanæ, in quo nulla liberorum ex Alphonso conceptorum vel ab ipsa relictorum, fit mentio. Imo, antiquitatibus regni paulo penitius introspectis, aiebant hallucinatum esse quendam historicum, qui adfirmat filium quendam regis, qui in templo D. Dominico sacro Lisybonæ sepultus est, esse filium Matildis: quod quanquam concederetur, tamen nihil ad rem facere, propterea quod non diceret illud habuisse liberos: immo in pueritia mortuum esse scriberet. Probabant præterea Matildem liberos non habuisse, ex libello quodam supplici authentico, qui in eodem archiuo inuentus est, & in quo omnes Regni præfules Papam Vrbanum V. rogant, ut, quia mortua esset Matildis, excommunicationem ipsius causa cõtra regnum promulgatam abrogaret, & approbato Alphonso cum Beatrice, secunda vxore, matrimonio legitimeret liberos ex ea natos, ne illis quidquã impedimento esset ad hereditatem regni huius adeundam. Vnde inferebãt, si Alfonso legitimos ex Matilde liberos habuisset, non potuisse illum petere à Pontifice, ut iisdem nothos Beatricis anteponeret. Addebant in Gallia hæc esse satis nota: immo ibi nuper impressum fuisse librum de genealogia familiæ Medicæ & Bononiensis, vsq; ad reginam Catharinam: ex quo manifesto adpareret, Matildem nõ reliquisse ullos liberos ex Alfonso posteriori marito: priorem autem eius maritum fuisse Philippum, filium Philippi Augusti regis Galliæ, & ex eo matrimonio natam fuisse filiam, nomine Ioannam, quæ non successit matri in ditione, quia iam ante sine liberis mortua erat. Itaque successionem delatam ad Robertum, filium Alisæ, fororis Matildis: & hunc esse illum Robertum, à quo deducere conarentur genealogiam Reginæ matris, cum tamen ille nepos ex forore, & non filius Matildis fuisset. Cum itaque nullo modo probaretur Alfonso 3. liberos ex priori matrimonio suscepisse, imo cum satis de contrario constaret, concludebant reginam neq; actionem ullam habere, nec in tempore illam proposuisse. Innixus ergo Rex Philippus his fundamentis, misit in Lusitaniam, ut Duci Ossunensi adessent, Rodericum Vasquium, & Ludoicum Molinæum, Doctores Iuris, & auditores consilii regii, ornatos titulo legatorum. Habebant autem illi in mandatis, ut extra iudicium Regi Henrico ius manifestum, & causæ bonitatem Philippi ostenderent, hac tamen lege, ne quid facerent, ex quo in Regis Henrici iurisdictionem consensisse videri possent. Cum Lisybonam venissent, vna cum reliquis ministris Regis Hispaniæ, habita deliberatione, negocium successionis eo, quo iussi erant, modo proposuerunt, regique prolixum scriptum, quo rationes Philippi continebantur, exhibuerunt. Verum cum initio Rex vehementer in partes Ducissæ Braganciæ propenderet, aliquandiu frustra laborarunt, antequam regi persuadere possent, Philippum iustam causam fouere. Vbi sunt omnino illis artibus, quæ ipsis ad rem facere videbantur: & non tantum in rege, & intimis illius, sed etiam in nobilibus, & proceribus persuadendis Christophorus Morus singularis industriæ specimina edidit: ita ut partim argumentis, & rationibus, partim muneribus, promissis, factis, verbis, & scriptis in partes Philippi pertraheret, quotquot poterat: Et sane hoc artificium nobiles illos argento, & promissis tentandi, valde tum profuisse videtur. Quanquam vero Philippo hæc via, per quam ad scopum suum se peruenturum sperabat, bona videretur, tamen non vsq; adeo illi confidebat, ut quoniam Lusitanos homines pertinaces esse non ignorabat, armorum adminiculum non adhibendum esse existimaret. Itaque cum illum non fugeret, quomodo Rex Henricus erga se adfectus esset, animũ induxit mature res suas ita comparare, ut si forte, rege Henrico mortuo, Lusitani sponte se ipsius imperio nollent subiicere, vi possessionem regni celeriter acquirere posset. Quia vero usus, & difficultates belli Granatensis, iactura Goletæ, & defensio insulæ Malta, cum docuerant vnã nationem solam non pugnare tam forti animo, quàm adiunctam aliis (habet enim magnam vtilitatem, quod inter se de gloria certant) constituit militem ex diuersis nationibus

scribere, non secus ac si certo sciret, se non nisi vi regnum illud obtinere posse. Quamuis autem vulgo existimaretur, non magnis copiis opus fore contra Lusitanos, homines inexercitatos, & potentia ipsius neminem posse resistere: tamen cum non ignoraret, nullius hominis vires tantas esse, quin possint alterius alicuius viribus superari: existimabat, sibi non pauciores quadragies mille peditibus conducendos: ideo quod Lusitani, etiam si tales essent, quales diximus, tamen domi suae bellum gesturi essent, quodque ex totius regni turba promissa, odio & furore quodam impulsa, ac in vnum locum concurrente, sexaginta hominum, ad pugnandum promptorum, millia colligi possent. Cum ergo hanc ob causam validis & firmis copiis opus esse consideraret, Ignico Lopezio de Mendoza, Marchioni Mondegariii, & tum temporis vices suas in regno Neapolitano gerenti iniunxit, ut paratum haberet peditatum Hispanicum, & naues, ac com meatum, quibus ad traiciendum in Lusitaniam opus futurum esset. Petro Mediceo, magni Ducis Etruriae fratri, negotium dedit conscribendi nouem millia Italorum: conduxit sex millia Germanorum, duce Hieronymo Comite Lodronensi. Et licet in Hispania ex turba collectitia satis magnas copias conscribere potuisset: tamen solos milites, qui stipendia merent, neruum exercitus esse statuens, quantum maximum potuit horum numerum collegit; sperans se Hispanis istis, qui adhuc tyrones erant, adiungere posse nonnullos ex iis, qui in Italia, & Belgio militauerant. Sed haec copia tardius, & in minori numero coacta fuerunt, quam rex mandasset. Viceregis enim Neapolitani ardor, quo initio regis iussa exequi coeperat, refrixit, & in negligentiam commutato est, simulatque intellexit, sibi successorem datum esse Iohannem de Suniga, Commendatorem maiorem Castellae, sequi in Hispaniam reuocari. Nilominus tamen milites scripti, & armis com meatuque instructi, & per fretum Herculeum Gibilterram, & in alia Andaluzae vicina loca deducti fuerunt, vnde postea ad limites Lusitaniae contenderunt, postquam fames, & incommoda itineris numerum eorum, in primis vero Italorum, valde imminuissent: quamuis numerus nouem millium in Hispania aliam non ita exiguum videri solet. Et si autem toto anno tardius, quam rex iusserat, venissent: tamen ante venerunt, quam illis opus esset. Viuente enim adhuc Henrico, diu in iisdem locis otiosi desederunt. Haec praeventio fuit actio principis magnanimi, & praediti iudicio. neque enim dubitauit suscipere in se onus alendi exercitum (quo non utebatur) in finibus suorum regnorum, idque donec viueret Henricus, cuius mors naturalis erat expectanda: cum tamen nemo adeo vicinus morti sit, quin annum adhuc possit viuere. Quod vero Philippus maluit sustinere sumptus istos, quam incurrere periculum, quod certum esse videbat, si, moriente Henrico, ipse ab exercitu imparatus esset, indicium est non prudentiae tantum, sed etiam vehementis desiderii regnum illud quamprimum in potestatem redigendi: eaque in re vicit tum naturam suam, tum consuetudinem nationis Hispanicae, quae propter moram, & lentitudinem saepe occasiones rei bene gerendae amittit. Triremes, & naues, quibus haec copiae vehabantur, appulerunt in portum S. Mariae, qui locus totius classis congregationi fuerat destinatus. Pergebat Rex Henricus succensere Antonio, qui, quoniam spreto nouo regis mandato, quo ipsi, ne ad centum milliaria aulae appropinquaret, interdicebatur, hic illic circumuagabatur regnicolarum animos sibi concilians; rex cogitabat de via seuerius aliquid in ipsum statuendi. Verum Prior, interim dum lis legitimitatis coram rege vigore diplomatis Pontificii agitabatur, veritus id, quod postea euenit, de consilio Alexandri Formeti, nuntii Pontificii in Lusitania scripserat Romam ad Papam, conquerens de iniusto patris erga se odio, & rogans, ut Papa litem ad se auocatam solus decideret, quandoquidem Rex sibi suspectus esset. Papa itaque, qui negaret sibi vnquam animum fuisse Henricum absolutum iudicem constituendi, vel facultatem sententiam definitiuam pronuntiandi ipsi concedendi, per aliud diploma, Regi iniunxit, ne progrediretur in ea causa: & in ea novos iudices creauit Formentum Nuntium, & Georgium Almedam Archiepiscopum Lisybonensem, non cum auctoritate pronuntiandi, sed hac lege, ut, causa cognita, acta sibi Romam transmitteret. Hoc diploma missum fuit ad nuntium, ut illud redderet regi: cui ille per manum notarii Apostolici id tradi iussit, veritus, ne alioquin traditum fuisse negaretur. Tulit aegerime Henricus Papam hanc litem ad se auocare, tum propter sententiae executionem, quae erat magni momenti, tum propter iniuriam, qua se adfici putabat, causam, in qua iudex factus erat, sibi e manibus extorquendo. Ira itaque contra Pontificem accensus, & maiori, quam ante, odio nepotis inflammatus, constituit uti potestate regia, & abiectione Commissarii Pontificii officio, propria auctoritate contra Priorem mandatis seuerissimis fulminare incepit. Et quamquam nuntius, siue iussu Pontificis, siue (quod verisimilius est) sponte sua Prioris partes tueretur, regisque Hispaniae parum se studiosum proderet, tamen Henricus in cognoscenda successione causa (quanquam frigidius aliquanto) progrediebatur. Citauit Priorem,

vt in aulam veniret: quod cum ille, metu alicuius periculi, facere recusasset, valuis Palatii Rex edictum adfigi curauit, quo Priori terminus 12. dierum ad comparandum præstituebatur. Prior, qui exemplum Edicti opera suorum ministrorum statim nactus erat, magnam molestiam percepit, cum intelligeret, quam viam rex contra se esset ingressus: sed tamen comparere non est ausus, quod existimaret, si in manus regis incideret, facile fieri posse, vt illum odii vehementia ad seuerius aliquid in se statuendum impelleret. Cum itaque decreuisset non comparere, voluit experiri, num litteris regis ira placari posset. Qua de causa ad regem scripsit, conquerens secum duriter agi, & conatus est ostendere se nihil tale commeruisse. Dicebat se in mediis doloribus lætari, quod à rege in Edicto nepos adpellaretur, vt reuera esset, tanquam filius fratris: cui cum plurimum deberet totum Regnum, se sperare fore, vt tantorum beneficiorum memoria non tam cito oblitteraretur, etiam si forte culpa ipsius merita patris superaret. Reuocabat in memoriam, quanta obseruantia ipse, & reliqui reges superiores patrem fuissent profecuti, & quantæ admirationi hominibus esset futurum, si ipsum tam inclementer præter meritum suum tractari intelligerent. Quod vero Rex ita erat adfectus, eius rei culpam non transferebat in ipsum regem, sed in peccata regni, & in malum animum quorundam Regis intimorum, ita vt partim se id, quod Deus Optimus Maximus decreuisset, patienter ferre, partim etiam de patre, à quo impulsu nonnullorum hominum priuatorum iniuria adficeretur, merito se queri posse innueret. Et quia, cum ex captiuitate liberatus ex Africa in Lusitaniam rediisset, nonnulli distitabant eum è prælio aufugisse, etiam huius rei, mentionem iniiciens conquerebatur sibi iniuriam hac in parte fieri. Expostulabat cum rege, quod, ne homines commiseratione ipsius adficerentur, noctu ex aula discedere iussus fuisset, nullam aliam ob causam, quam quod pauca verba de sua legitima natiuitate protulerat: cum tamen hæc verba vix fraternam reprehensionem mererentur. Exaggerabat, quod relegatus esset in certum locum cum iactura existimationis, præsertim eo tempore, quo aduersariis ipsius gratia valentibus, & cognatorum præsidio cinctis, causam suam viua voce coram proponere, & agere concederetur. Adfirmabat diploma, quod Rex à Papa contra ipsum impetrauerat, esse ignominiosum, & refertum verbis inciuiilibus, & in patris sui ignominiam redundantibus. Et quanquã ipse aliud diploma contrarium, per quod Papa litem illam ad se auocabat, impetrasset, se tamen nihil noui tentare constituisse, sed potius vitam tristem, & miserabilem degere, donec regi iræ suæ erga ipsum innocentem indulgere visum fuisset. Querebatur se coactum fuisse exhibere probationes suas intra biduum, cum tamen multo maius spacium cuius priuato litigatori concedi solet, & præterea ad multa, quæ petierat, responsum nullum sibi datum fuisse. Vehementer conquerebatur de sententia & mandato, quod de ipso propter crimen falsi comprehendendo promulgatum fuerat; negans vquam à se tale quid admissum; & simul inculcans, in publicis Regis tribunalibus non nimis aspere in eos animaduerti, qui falsos testes produxissent.

Ostendebat magno sibi esse dolori, quod cõtumax, & regni perturbator vocaretur: & verbis patheticis se excusabat, deplorans, interitum regni, quod aui ipsius acquisiuisent, defendissent, sustetassent. Non faciebat mentionem vllam de comparitione, sed dicebat licere sibi (quod & furibus liceret) abdere se in latebras, & conspectum iudicis fugere. Et si crimina, quæ sibi imputarentur, essent ex numero eorum, in quibus Regni leges reo, qui tutum accessum non habet, ad templum confugere permittunt, petebat à rege, vt sibi ædem Cratensem asyli loco esse pateretur. Quod si vero propter peccata sua etiam si nepos regis, secundus à rege, subditus humilis, & obediens esset, patri iram nulla ratione mitigare posset, se in angustiis suis Dei Optimi Maximi opem imploraturum esse adfirmabat. Perebat submissè licentiam, à regis Edictis, ad regem ipsum, rectius de rei veritate edoctum, adpellandi, & exemplum eorundem edictorum, vt exceptiones suas posset opponere.

Postremo subiungebat, si ne hoc quidem ab ipso impetrari posset, vt saltem hanc suam epistolam actis inferi iuberet: quam quidem ipse in eodem, vbi Edictum adfixum fuerat, loco (ad famam suam conseruandam, & vt hominibus innotesceret, se subditum, nepotem, & fidelem ministrum Regis esse) adfigendam curasset, nisi reuerentia, qua patruum prosequeretur, aliud suasisset. Non mouerunt hæc litteræ vel tantillum animum patri, & contra indignationem illius non plus potuerunt, quam exigua quantitas aquæ contra ingentem ignem: ita vt, magis magisque exandescens, contra nepotem iudicialibus armis vti pergeret. Quamobrem paulo post nouam sententiam, non tanquam delegatus à Papa: sed tanquam Rex absolutus, ne illa adpellationi obnoxia esset, pronunciauit, hoc consilio, vt, si Prior comprehendi nequiret, saltem hoc pacto regno excedere

cogeretur. Per hanc sententiam (in qua Prioris delicta, absentia, cōtumacia, inobedientia, promissa, quibus nobiles, & plebem in suas partes conabatur pellicere, recensentur) priuabat eum omni iurisdictione, præminencia, honoribus, prærogatiua, immunitatibus, donis & omnibus beneficiis, quæ à prioribus regibus acceperat: iubebat eius nomen ex libris suis expungi: vetabat quidquam ei persolui, pronuntiabat eum non ciuem Regni, sed exterum. Idem statuebat in eos, qui ope & consilio Priorem iuuarent, receptarent, aut quotcunque modo aliquid negocii cum ipso haberent: mandabat Priori vt intra 14. dies regno exiret, quia ita cultus Dei, reuerentia regi debita, & Regni tranquillitas flagitaret. Quantumuis autem hæc sententia esset tam seuera, tamen Priorem regno non potuit expellere: quia, cum summopere tum à plebe, tum à suis amaretur, tuto latitabat. Et licet dicis causa in monasterium quoddam Hispaniæ se contulisset, tamen paucissimos dies ibi commoratus est, idque tantum in hunc finem, vt impetraret testimonium, quod Lusitania iuxta Regis edictum excessisset. Cum autem ad Philippum delatum esset de aduentu Antonii in Hispaniam, fuêrunt qui Regi suaderent, vt eum detineri iuberet. præsertim quia ea res etiam Henrico grata futura esset: sed Philippo non videbatur expedire, cuius tamen consilii eum postea pœnituit. Cum vero Antonius in Lusitaniam rediisset, & vulgo male adfectus, & propter sententiam promulgatam regi iratus esse putaretur, cœpit Henricus metuere, ne quid ille in suam necem moliretur: & creuit ita timor, vt præter solitos stipatores, aliquot signa peditum ad Palatii custodiam (id quod in hoc regno erat inauditum) conduceret. Interim Oratores Philippi Henrico ius sui regis exposuerant, demonstratis etiam tum incommodis, tum commodis, quæ inde si regnum Philippo vel concederet, vel negaret, nasci possent. Henricus amore iustitiæ, ad quam sponte sua ferebatur, & belli metu impulsus postquam rem probe perpendisset, prioribus cogitationibus de Catharina in regni possessionem mittenda depositis, decreuit illud Regi Philippo, qua posset, commodissima ratione in manus tradere. Animo itaque suo duci Ossunensi, & Christophoro Moro exposito, dixit se cupere litem inter Philippum, & Regnum per transactionem componere, ommissa sententia: hac tamen lege, vt Philippus munera, & officia publica non nisi Lusitanis, & indigenis committeret, & nonnullas immunitates, & exemptiones, in Regni vtilitatem tendentes, concederet. Qua in parte manifesto detectus fuit error Henrici, qui citatis competitoribus, & iudiciali processu instituto, postea cum Philippo transigendum iudicaret: id quod ante fieri debuisset si fieri equum erat. Huius transactionis capita ad Philippum missa fuêrunt Madritum, adiunctis ab Henrico summis precibus, vt res diligenter cœlaretur, quippe qui metueret, ne subditi sententiæ illius aduersarentur. Quamuis autem intelligeret fore, vt consilium suum ad effectum sine tumultu aliquo perducere vix, ac ne vix quidem possit propter plebem, & nonnullos nobiles contrariæ factioni adhærentes: tamen rem in conuentum ordinum, quanta maxima fieri posset animorum moderatione, & sedatione deliberandam proponere decreuit. Hanc inexpectatam mutationem Regis, quidam putant Patri Leoni Henriquo, confessori Regio, & Iesuitæ potius acceptam ferendam esse, quam argumentis ministrorum regis Philippi: & ab eodem Leone, cui Rex plurimum fidei adhibebat, etiam originem duxisse beneuolentiam, qua rex antea Ducissam Braganciæ complexus erat: postea vero iram regis Philippi metuentem regis animum à Ducissa abalienatum ita flexisse, vt Philippi causæ fauere inciperet. Itaque mense Octobri anni 79. Henricus denuo procuratores ciuitatum, & oppidorum Regni, & reliquos ordines ad conuentum vocauit, sub hoc prætextu, quod haberet rem maximi momenti, quam ipsis exponeret. Hoc consilium Henrici de indicendo conuentu, non probauit Philippus: vt pote qui, quam parum sibi Lusitani fauerent, non ignorans, certo statueret, illos in vnum locum congregatos nunquam consentientibus suffragiis sibi regnum adiudicatuos. Suadebat itaque Henrico, vt, omisso conuentu, successorem se nominaret, quandoquidem in superiori conuentu Lisybonensi ab omnibus ordinibus amplissimam potestatem accepisset. Etsi omnino constituisset cum Ordinibus regni consilium suum communicare, vt, ommissa procuratorum congregatione, omnibus ciuitatibus, & ordinibus sigillatim per literas sententiam suam exponeret. Iudicabat enim Philippus illos diuisos facilius quam congregatos, persuaderi posse. Verum cum Henricus hoc consilium sequi non auderet, conuentum ordinum vrsit. In Italia, cum intellectum esset Regem Hispaniæ tam numerosum exercitum conscribere, varia erant hominum de hac re iudicia. Ciuitates, quæ vim Hispanorum metuebant, de militibus præsidariis sibi prospiciebant: quidam credebant eum consentire cum Xariffio Muleio Hameto, & ambos, iunctis viribus, tentaturos Algerium: Maurum vero descendisse in hanc societatem metu Turcorum, quos Philippus, Mauro adiutore, ex illa prouincia, Hispaniæ tam vicina,

eiicere cuperet. Papa, cui notæ erant dissensiones Lusitanicæ, cum videret Regem Philippum tantum exercitum cogere, per nuncium suum Philippum Segam ei significari iussit, se quidē persuasum habere, apparatus belli, ab eo factos, dirigi aduersus infideles: veruntamen quia Lusitanicæ status is esset, quem omnes nossent, eos contra illud regnum institui videri posse. Cum ergo periculosum esset bellum mouendo irritare animos populorum, qui interdum difficillime sedari possunt: promittebat se arbitrum inter ipsum & Henricum fore, & operam daturum, vt controuersia sine armis componeretur. Rex verbis generalibus gratias egit Pontifici pro egregia sua voluntate; Nuncio tamen, variis dilationibus interpositis, certum responsum dare diu intermisit: propterea quod (vt rumor erat) magnis dubitationum fluctibus animus ipsius ageretur. Ab vna parte iudicabat sibi iam se nescienti, & cuius hæredes infantes adhuc essent, quique (motibus Belgicis exceptis) tranquilla regnorum suorum possessione frueretur, nequaquam conuenire, in Hispaniis motuualicui occasionem præbere: præsertim quia metuebat, ne dum ipse (quem reliquæ nationes tanquam sibi formidabilem, imperii sui fines proferre nollent) in bello Lusitanico occupatus esset, interim in alia regnorum suorum parte aliquid tumultus oriretur. Et hac de causa non ingrati ipsi erant sermones eorum, qui de transactione, & pace loquebantur. E diuerso non nimium Papæ fidebat, & in arbitrum compromittendo se sibi ipsi præiudicare existimabat, præterquam quod etiam antiquis exemplis, quibus astruitur sedem Apostolicam in controuersis regnorum iudicem esse, nouum non temere addendum esse putaret. Iudicabat minori cum periculo sententiam Henrici, quam cuiusquam alterius expectari posse. Nam si Henricus pronunciaret, antequam ab ipso in iurisdictionem eius consensum fuisset, non poterat cogi sententiæ stare si forte contraria esset: & nihilominus ius armorum integrum manere videbatur. Cum itaque in ista dubitatione versaretur, tandiu responsum distulit, donec de voluntate Henrici certior fieret: qua cognita, Nuncio dixit, quoniam iure tam aperto niteretur, & Regis animus erga se tam bene adfectus esset sibi videri non opus esse arbitro: veruntamen si necessitas omnino tale quid requireret, tum se Pontificis opera, & studio vsurum. Aduersa valerudo, & inquietudo animi valde Henricum exercebant, ita vt similis esset lampadi propemodum extinguendæ, quæ iam splendorem magnum emittit, iam moritura esse videtur. Cum itaq; inuasisset Henricum morbus, qui ipsi finem vitæ allaturus esse putabatur, consiliariis regis non visum est expedire, vt declaratio gubernatorum post mortem regis differretur: sed præstare, vt eo viuo, quasi in possessionem mitterentur, quod & ex parte factum fuit; Rege enim pene animam agente, arcam, cui catalogus gubernatorum inclusus erat, in templum Cathedrale Lisybonense deferendam curârunt: eaque aperta viderunt gubernatores electos esse Georgium Almedam, Archiepiscopum Lisybonensem, Franciscum Sadam, primum cubicularium Regis, Ioan. Teglium, Ioan. Mascaregnam, & Iacob. Lopezium de Sofa, præsidem consilii tribunalis Lisybonensis. Præstiterunt hi iuramentum fore, vt gubernarent secundum leges Regni, & limites præscriptos, quos Rex Henricus studiose explicuerat. Hæc sollicitudo tam subditis, quam ministris regis Philippi mouit suspicionem de morte Henrici, præsertim quia iam biduum amplius neminem ad eum admittebant domestici & consilarii: qui rem totam, quantum possent, cælaturi esse credebantur, vt eo plus spacii ad deliberandum, ad gubernatores in possessionem mittendos, & ad defensionem parandam haberent. Et si vero paulo post intellectum fuit Regem viuere, & ita conualescere, vt magna ex parte pristinam sanitatem recuperaret: tamen, quia communis opinio erat eum non diu superuicturum, omnes omnium ordinum, in toto regno dubiis, & suspensis animis, quo res euasura esset, expectabant.

Liber Quartus

A R G V M E N T V M.

In hoc libro continentur varii sermones Castellanos, & Portugallorum de rebus Lusitania: petitionis: Conuentus Almerinensis: mors regis Henrici: regimen Gubernatorum: Antonii aspiratio ad Coronam: testamentum regis Henrici: diligentia Philippi in inquirendo, an bona conscientia bellum mouere posset: electio ducis Albani in Imperatorem exercitus, & priuilegia, quae Lusitanis, si sponte se imperio suo subicerent, Philippus offerebat.



LEBAT interea exercitum Rex Philippus in Hispania maior cum incommodo, & sumptu, quam si alibi eundem sustentasset. Cum enim illa regio non nimium fertilis sit, necesse erat com meatum ex locis remotis adferri. Instabat finis mensis Nouembris anni 79. & tamē ita incertus adhuc erat rerum status, vt non liqueret, vtrum tuto dimitti posset exercitus, an vero paulo post eius opera necessaria esset futura. Et si enim Henricus erat viuus, & bene erga Philippum adfectus, tamen Lusitani obstinatissimi erant contra Hispanos. Cupiebat Philippus semel certus esse de successione, tum propter magnitudinem sumptuum, quos sustinebat, tum vt metu eorum, quae accidere poterant, liberaretur. Itaq; non cessabat instare apud

Henricum, vt ipsum successorem declararet, adductis multis rationibus, cur ita conueniret: & multis etiam incommodis, quae, si id non faceret, nasci possent, eaque omnia ita ambigue dicebat, vt, se non tantum causa, sed etiam causam tuentibus armis valere, innuere, videretur. Quamuis autem huic petitioni minae tacitae mistae essent, tamen illa Henrico non displicuit: imo de industria eam publicari curabat, vt populo persuaderetur, ipsum inuitum ad successoris nominationē cogi. Porro vniuersum regnum mœrore adficiebatur, quod videret Regem Hispaniae exercitu instructum. Regem Henricum morti vicinum esse, & exiguum illud tempus, quod reliquum erat, in parui momenti rebus consumi. Itaq; sententiae & sermones varii erant, prout varii etiam erant adfectus & passionēs. Illi, qui Priori fauebant, pene omnes tenuis conditionis homines, & in quibus lumen mentis obsecuratum erat, rationibus omnibus repudiatis, dicebant eum esse legitimum, & verum regni haeredem. Regem autem odio Prioris ardentem, absoluta potestate eum iure suo spoliare conari, & hac in re omnes intimos regis cum ipso consentire, propterea quod, cū rex ipsi suadentibus Priorem tam acerbe esset persecutus, metuerēt, ne, si ille ad regnum perueniret, ita, vt par erat, eos vlcisceretur. Atq; ita illos, salutem suam patriae libertati anteponentes, regni successionem, Priori ademptam, ad exterum aliquem deferre constituisse. Multi adfirmare non dubitabant Priori, quantumuis notho, sceptrum deferendum esse, propterea quod nemo ex sanguine regio, Henrico consanguinitate propinquior, quam ille, superesset. Alii, in quibus plus poterat odium contra vicinos, quam beneuolentia erga quenquam ex competitoribus, dictitabant, ad quemcunq; tandem successio regni spectaret, nullo modo imperium regis Hispaniae recipiendum, sed potius ad arma veniendum esse, & simul virtutem, & fortitudinem nationis Lusitanicę magnifice extollebāt. Addebant se imploratos auxiliium Gallorum, & Anglorum, de quo nullo modo dubitabant: existimantes se hoc adminiculo suffultos regem creare posse suo arbitratu. Erant etiam quidam, (sed pauci, & cordati) qui viribus Lusitanorum & Hispanorum accurate expensis, intelligebant imperium Regis Philippi euitari non posse: q̄ quanquam ipsis magno esset dolori, tamen dulcē futuram inter has duas nationes amicitia, & his regnis coniunctis Lusitanos ex commerciis, & negotiationibus non mediocre lucrum percepturos esse sperabāt. Non deerant etiā, qui pro suo libitu his de rebus iudicantes, dicerent Antonium, deposito ordinis S. Iohannis habitu, nuptias contrahere debere cum filia Ducis Bragancie, & illis ita inter se reconciliatis, postea re omni periculo cariturā. Rursus alii existimabant à Rege Philippo obtineri posse, vt concederet ipsis filium natu minorem, quem, tanquam futurum regem, suo more educarent. neque recte facturos Lusitanos, si hanc conditionem repudiarent,

quia sufficeret illis regem proprium habere, quicumq; tandem ille esset. Hanc autem viam cum tentasset, vt aiunt, Henricus, paulo post Philippus se consentire non posse respondit, quod hæc res cum iniuria filii primogeniti coniuncta, & inter posteros suos in Hispania discordiarum veluti fomes futura esse videretur. Studium & industria ministrorum Regis Philippi interim apud nobilitatem plurimum effecerat, ita vt in numero eorum, qui tam variis sententiis in contraria distrahebantur, paucissimi essent nobiles. nam magna ex parte vel sponte sua in partes Regis Philippi inclinabant, vel corrupti tacebāt, & ne sententiam dicere cogerentur, ex aula discedebant. Ex quinque gubernatoribus tres Philippo addicti erant. Et quamuis non adeo mirum esset in plebe (quæ pro solita sua leuitate, & iudicii inopia plerunque deteriora amplectitur) tamen multis admiratione dignum videbatur, quod omnes omnium ordinum Lusitani promiscue consilium caperent, plane contrarium ei, quod merito capi debuisset in re tam ardua, in qua deliberandum erat diu, antequam semel aliquid statueretur. Quidam enim animo à præiudiciis libero dicebant imperium Regis Philippi fugiendum esse nobilibus, qui apud Reges superiores in honore & pretio fuissent. Quia eos Philippus pro more suo legibus & potentia in officio continere velle putabatur. E diuerso vero plebem accipere debere ipsius imperium, quia illam amice completi, & contra potentiorum iniurias tegere consueuisset. Verum nihilominus contrarium fiebat: quia nobiles Philippo adhærebant, plebs eum auerfabatur. Plebi igitur vt satisfaceret, & vt eriperetur illi opinio, in qua erat, magnopere cupiebant Oratores Regis Philippi, præter ea, quæ iam ante summa cum diligentia curauerant, publicare in toto regno iustitiam Regis, & clementiam. neq; enim in vulgus satis esse putabant, quod iam multos peculiari- 20 ter his de rebus edocuissent. Aduersarii illorum, (inter quos erant Camerales Lisybonenses) captabant & ipsi occasionem vulgo contrarias rationes, quibus nitebantur, exponendi: sed neutris ad concionem verba facere licebat. nam non tantum prohibitum hoc erat, sed etiam non omnes animum suum libere exponere audebant: itaq; pars vtraq; scriptis causam suam agere, & promouere instituit. Et si autem non eos aculeos scripta in animis hominum relinquunt, quos viua vox: tamen hoc casu plus scribendo effectum fuit, quam orando fortasse effectum fuisset. nam scripta in multorum manus peruenerunt, ad quos viua vox non penetrasset: & cum sæpius relegerentur & ruminarentur, fortius hominum animis impressa fuere. Horum scriptorum complura sine auctore circumferiebantur: & nonnulla friuola erant, & sine iudicio confarcinata. Quæ vero paulo plus artificii habebant, & pro rege Philippo conscripta fuerant: tendebant huc, vt populo error, in quo ver- 30 sabatur, eriperetur, & terror incuteretur iis, qui plebem concitabant, posita ob oculos rei magnitudinæ, & periculo armorum: excutiebant sigillatim argumenta, & rationes competitorum: refutatisq; omnibus, Regem Philippum reliquis potior esse ostendebant. Actionis ab Antonio institutæ iniquitatem & absurditatem vehementer exaggerabant, quod & nothus esset, & etiam si legitimus, & Philippo propior pronuntiaretur, tamen nunquã posse ex animis hominum hanc opinionem euelli, quin hac in re fraudem, ad regnũ vero hæredi extorquendum excogitatam, subesse existimarent. Refellebant etiam argumenta eorum, qui populum legitimis hæredibus superstitibus, ius regis eligendi habere contende- 40 bant, adductis exemplis Pontificum, qui suam auctoritatem in nominando Rege Alfonso primo, & Comite Bononiæ interposuissent: & licet concederetur Ioannem I. electum fuisse: tamen dicebant hoc factum fuisse post victoriam in prælio obtentam, & quod Lusitani causaretur, nullos superesse hæredes, nisi nothos & spurios: imo ex hac ipsa ratione adfirmabant liquere electioni iam nõ esse locum, propterea qd legitimus successor in promptu esset. Ostendebant Deum Opt. Max. qui 22. hæredes, omnes rege Philippo propiores ex hoc mundo euocasset, Lusitaniam cum Hispania cõiungendo voluisse brachium aliquod seculare corroborare, vt eo melius sedem Romanam contra infidelium & hæreticorum insultus tutari posset. Præter bonitatem causæ, & voluntatẽ Dei, examinabant etiam veluti in trutina, laudem, vituperium, damna & commoda, quæ ab vtrauis parte vel metuenda vel 50 speranda essent. Quantum ad laudem, dicebant non posse esse ipsis dedecori obediẽtiam, quam legitimo successorì præstarent, præsertim, cum regna Hispaniæ, ad quorum successionem rex Emanuel vocabatur, eius imperium tanta cum animorum promptitudine recepissent, cum tamen satis virium ad eum, si voluissent, repellendum haberent. Idem fecisse regna Castellæ, cum ad hæreditatem adeundam veniret, Archidux Austriæ, quantumuis esset Germanus. Ridebant eos, qui dicebant Castellam Lusitaniæ non Lusitaniam Castellæ, accessionis loco adiungendam esse: & ostendebant, nullum vnquam Lusitanorum in aulam Hispanicam venisse, quin humanissime exceptus summo honore adficeretur. nec iniuria, cum multæ nobilissimæ Castellæ familiæ ex Lusitania originem traherent. Opponebant

nebant validissimas rationes illis, qui verebatur, ne Lusitania opprimeretur ad exemplum Belgici, regni Neapolitani, & Ducatus Mediolanensis. Dicebant Belgas semper clementer habitos, eisque ex indigenis gubernatores præfectos: Hispanos vero ad nullam dignitatem vel officium promotos fuisse. Cum vero quidam proceres primum à Romana Ecclesia, & deinde à Rege (qui hanc impietatem ferre nollebat) defecissent: Regem illi bello impendisse quinquaginta milliones auri, idque potius in commodum Ecclesiæ, quam ob aliã causam. Et quanquam Germani, Galli, Angli Belgas rebelles pecunia & milite iuarent, tamen eas Regi prouincias illas è manibus extorquere non posse: imo, cum ipsi liceret tranquilla possessione Belgici frui, libertate Religionis cõcessa, & magnos inde redditus percipere, tamen eum nolle hoc permittere, ne vim inferat conscientiæ, & quia cultum Dei ceteris omnibus rebus anteponendum esse existimet. Neapolitanos vero & Mediolanenses vi esse sub imperium Regis redactos: eumque per se parum virium habeat, & ab hostibus regis circumdati sint, non posse eos iure queri, quod necessitate ita flagitante, apud illos Rex præsidia aleret: quasi dicerent, si Lusitani sponte Philippum ad regni successionem admitterent, fore, vt, tanquam boni, & fideles subditi, à præsiidiis immunes essent, & sine vllorum periculorum metu, facultates à patribus relictas conseruarent: Sin vero, belli fortuna tentata, succumberent, eodem modo, quo Neapolitanos, & Mediolanenses, & fortasse etiam peius eos tractatum iri. Laudabant Lusitanos, tanquam fideles, morigeros, & dignos, qui amarentur: inuehebantur in animum vilem eorum, quos non pudebat vereri, ne à principe, cui se submitterent, inclementius haberentur. Dicebant, quoniam Rex Philippus firmiter apud animum ita proposuisset, & ad ciuitates Lusitaniæ sententiam suam perscripisset: quia etiam spacium quatuordecim annorum bellum Belgicum in locis tam remotis contra tot reges, & contra subditos, qui imperium eius accipere parati erant (quanquam sub iniustis conditionibus) continuasset, non esse verisimile fore, vt tam cito ab oppugnanda Lusitania vicina, imbecilli, auxiliis destituta, & optimo iure ad se pertinente desisteret. Cõmemorabant multis verborum ampullis res gestas Hispanorum. Dicebant, quãdo Hispania arma sumit, tum illam capere Regem Galliæ, captiuos abducere principes Germaniæ, vertere in fugam Turcas, extorquere Turcæ ex manibus Maltam, delere eius classes, denique alere perpetuo in Belgico exercitum iustum, & integrum, qui fundit, fugatque hostes, Proceribus interim Hispaniæ quiete domi suæ viuentibus. Ab his rebus gestis descendebant ad considerationem virium, quas Lusitani tam potenti monarchiæ possent opponere, & maiorem in modum vniuersos & singulos rogabant, vt hãc rem ea, qua par erat, cum diligentia expederent. Adfirmabant vnum hoc consolari homines iudicio præditos, quod Lusitanorum exiguas admodum esse vires intelligerent: quæ si tantæ essent, vt saltem per aliquot dies hostem remorari possent, & ad eas accederet pertinacia fatebatur, belli initio factò, Reges Indis littora vicina occupaturos, Mauros inuasuros loca, quæ Lusitani in Africa possident: Gallos & Anglos impressionem in Insulas Oceani facturos: alios in aliis partibus aliquid imperio suo vi subiecturos, cum pernicie non tantum regni, se totius etiam orbis Christiani. Adducebant exemplum regis Sebastiani, qui, quod vires suas metiri & expendere noluisset, seipsum in exitium præcipitasset. Quantumuis autem, quam imprudenter ille faceret, cuius intellectu facile esset, & à multis etiam expeditio illa tanquam infeliciter successura non sine lachrymis dissuasa fuisset: tamen Deum tum temporis iudicium illis ademisse (vt solet hoc adimere illis, quos vult punire) & iam adhuc adimere omnibus iis, qui auctores essent hæreditatis regni Philippo denegandæ. Instituebant comparationem inter amicitiam cum Hispanis & eam quam sperarent se inituros cum Gallis, & enumerabant damna & rapinas, quibus Galli piraticam exercentes Lusitaniam vexauerant: & ostendebant, nullam fere rationem habitam fuisse eorum, qui hac de re in Gallia conquesti fuissent: Contra magnifice efferebant concordiam, & quietem, quæ inde vsque ab vltima pace cum Castellanis facta, studiose & religiose ab iisdem conseruata fuisset. Reprehendebant actiones Gallorum, vtpote qui nihil aliud agerent, nisi vt, sub prætextu auxilii, pede in Lusitania fixo, paulo post dominatum sibi vindicarent; aut, si hoc minus ex sententia succederet, nihilominus admitterentur ad alleganda iura sui Regis, ne ipsis vnquam occasio conquesti deesset. Dicebant, etiam si electio ad populum spectaret, & etiam si Rex Hispaniæ nihil iuris in Lusitaniam haberet, tamen ad iugum Gallicum euitandum, eam cum Castellam vniendam fuisse, vt eo melius posset pristinam tranquillitatem conseruare, & f. enare rabiem Gallorum, qui multos Lusitanorum viuos in mare præcipitassent, vicarios ducesque Regis Lusitaniæ occidissent, idque auspiciis Regis Galliæ. Ex vnione enim præter conseruationem cultus diuini, & hoc cõmodi promanaturum, vt Galli perterrefacti à pristina in Oceano præstandi cõsuetudine desisterent. Laudabant regem Henricum tanquam iustum & sanctum: Lusitanos

melius consilium capere non posse dicebant, quam si ad pedes Henrici prouoluti orarent, quoniam Rex Philippus erat dignitate primus, proximus, & natu maximus omnium ipsius cognatorum, vt in nomine Dei, subditos ei iuramentum obedientiæ præstare iuberet, interpositis pactis ad libertatem regni pertinentibus iuxta formam donationis, olim à rege Emanuele factæ. Non esse negligendam hanc occasionem, dum Henricus adhuc viueret: imo, deposita animorum dissentientium pertinacia, communi cõsilio belli pericula amouenda, nec committendum esse, vt postea inuiti, & coacti se potestati Hispanorum subicerent, idq; tali tempore, quo nullam essent inituri gratiam. Sin vero illud statim facerent, non tantum sua conseruatuos, sed etiam alienarum facultatum hæreditatem lucratuos, propterea quod magnitudo regni Castellæ promiscue omnes subditos regis Hispaniæ ad munera suprema admittit: id quod probabant exemplo Archiepiscopatus Toletani, & iuris præsidendi in consilio Regio: quibus duobus officiis, quantumuis omnium ecclesiasticorum & ciuiliu supremis, homines externos, & non Castellanos præesse dicebant. Protestabantur, si aures clauderent rationibus his verissimis, & eas manifestis fraudibus patefacerent, fore vt domi suæ cædes, tormenta, latrocinia & incendia, quæ bellum comitantur, experirentur. Ab altera parte ad huiusmodi literas respondebant Lusitani, se non cupere bellum, sed constituisse vim, si qua ab illis inferretur, vi repellere; Adducebant multa argumenta ad probandam causæ bonitatem & potetiam suam, petita ex exemplis sacre scripturæ, in quibus pauci iustam causam fouentes magnum numerum hostium profligarunt. Negabant verisimile esse, Deum per horum regnorum vnionem velle vnum ex brachiis Ecclesiæ Romanæ confirmare: imo, dicebant multa esse, quæ suaderent, metuendum esse contrarium, simulque in expugnationem vrbis Romæ, & alias Hispanorum inhonestas actiones inuehebantur. Laborabant vehementer in eo, vt probarent Priorem Cratensem esse legitimum: Regem vero Henricum in hac causa diiudicanda se iudicem minime candidum præstitisse. Non omittebant ius Ducissæ Braganciæ, eamq; gradu propinque rem esse rege Philippo autumabant. Reprehendebant Philippum, q; iuri suo diffidens ad arma se conuerteret. Ostendebant (idq; pluribus verbis, quam reliqua) ex cõiunctione cum Castella, ad se nihil quidem vtilitatis, vel honoris: satis multum vero damni, & ignominia redire posse: quantumuis amplissimis & maxime perspicuis conuentionibus sibi cauerent: id q; probabant exemplo Belgici, & Arragonæ, innuentes mores, & imperium Hispanorum Belgis causam ab ecclesia Romana, & rege suo deficienti præbuisse. Dicebant subditos regis Hispaniæ cuiuscunque essent nationis, si ad soluenda tributa, & belli incommoda sustinenda, prompti essent, haberi pro subditis: Verum in distributione honorum, in cõcessione immunitatum, & beneficiorum collatione illos non agnosci. Parui faciebant potentia Regis, eo q; etiam si forte aliis prouinciis esset formidabilis, diuersa ratio esset in Hispania, in qua constaret, eum nec propter regionis sterilitatem numerosos exercitus alere posse, nec propter ciuitates, & oppida minime omnium munita, in eandem militem exterum introducere audere: cui rei argumento esse posse dicebant exemplum belli Granatensis, quod, quamuis contra paucissimos Mauros inermes geteretur, tamen cum tot incommodis, tot cædibus, tot periculis coniunctum fuisset. Addebant regi nullum paulo rei bellicæ peritiorum Ducem reliquum esse: enumerabãt multos virtute præstantes, qui olim magistro Carolo quinto vsi, & omnes mortui erant: in quorum locum neminem deinde successisse dicebant, propterea q; constaret regem togas armis antepone: Atq; hanc etiam causam esse, cur ille fines imperii sui non protulisset, sed insuper etiam amisisset Goletam, & septendecim prouincias Belgici: multo vero maiorem iaeturam sine dubio facturum fuisse, si ipso regnate, cetera etiam regna reges habuissent: verum Gallia, Angliæ, Lusitaniæ imperio toto illo tempore feminas, & pupillos præfuisse. Concludebant non esse credibile Regem Philippum, quantumuis minabundus militem cõscriberet, bellum in Hispania moturum, nam si vires suas in hanc ditionem solam contraxisset, periculum fore, si vel tantillum aduersi ipsi eueniret, ne qua prouincia tumultuaretur, & ne Galli, otii impatientes, hac occasione & ipsi vterentur. Præterea illum, cum senex, & de vite spacio incertus esset, considerare oportere, si possessione Lusitaniæ nondum pacifice fruens, & exercitu in Hispania coacto, moreretur, fieri posse, vt hæredes ipsius, qui impuberes essent, non tantum Lusitania exciderent, sed etiam in Castella, & aliis suis ditionibus (vbi subditi reges suos minus quam in Lusitania, amarent) belli aleq; exponerentur. Superuenit interim annus 80. qui Lusitanis infelix, & infaustus accidit, non tantum propter bellum, quod paulo post secutum est, sed etiam propter annonæ caritatem, & pestem. Cum enim ver, & æstas siccissima fuisset, secuta est messis adeo sterilis, vt in multis locis agricolæ minus colligerent, quam seuerant: Ex Gallia vero, & Germania solito pauciores naues frumeto onustæ appulerant. Sed hoc malū,

respectu

respectu aliorum, erat tolerabile, propterea quod caritas nunquam adeo creuerat, quin pro
 precio res ad vitam sustentandam necessariae haberi possent. Plus fuit mali in crudelissima
 peste: quae postquam in Italia, Germania, Anglia, & parte Galliae grassata esset, tan-
 dem etiam in hoc regnum, & inde in totam Hispaniam peruasit: sed nullibi magis saeuit,
 quam in vrbe Lisybona, ubi cum anno praeterito leuia quaedam eius initia deprahensa
 fuissent, circa ver huius anni, inualefcere coepit & semper creuit, vsque ad autumnum, in
 quo remisit. Szuissima haec pestis, fortassis à Deo Opt. Max. ob peccata nostra immissa non
 ex aeris corruptione, sed ex contagione nata erat. Deriuata fuit in hoc regnum ab homi-
 nibus & mercibus quae ex locis infectis veniebant, cumq; vrbs Lisybona magnam partem
 10 à muris nuda, & mercaturae deditissima sit, difficile erat prohibere, ne huiusmodi tum ho-
 mines, tum merces reciperentur. Clementia aeris, sordes ciuitatis, nimius communis esus
 piscium, incuria magistratus (cui cura sanitatis tuendae commissa erat) in aegrotis à sanis se-
 parandis, & in reliquis rebus omnibus siue incititia, siue negligentia malum nutriebant. Quia
 vero hoc morbo infecti, breuissimo temporis spacio moriebantur, & quia ille instar ignis,
 puluerem tormentarium incendens, celerrime omnes, qui ad aegrotos accedebant, cor-
 tripebat, magnus ciuibus terror incussus fuit. Remedium, & diæta erat incertissima. Etsi
 enim varii variis tum medicamentis, tum diætis vterentur: tamen multi ex illis promiscue
 moriebantur. Tandem docuit experientia remedia lenientia, cornu monocerotis, & la-
 pidem Bezuar plurimum omnium prodesse, quamuis multis ne haec quidem vitam con-
 20 seruare possent. Maior pars nobilium, & eorum, qui re lauta erant, cum familiis se in hor-
 tos, & vineas suas conferebant: & quantumuis ruri etiam morbus grassaretur, tamen ibi
 vel tutiores se fore sperabant, vel saltem liberos à foetore, & conspectu tot funerum, & ca-
 dauerum, quae singulis horis ob oculos versabantur habitantibus in vrbe, in qua malum
 tantas vires adquisiuit, vt nihil aliud nisi pheretra corporibus mortuis onusta cernerentur,
 & impletis omnium templorum, & coemitorum sepulchris, in plateis, & agris mortuos
 humare necessum esset. Hoc tempore Almerinum ad regem omnes regni procuratores,
 ad conuentum vocati, se contulerant: cumque vrbs Lisybona elegisset Emanuelem Por-
 tugallum, & Iacobum Salemam, qui eodem proficiscerentur, non dederunt se in iter, quia
 a rege, tanquam homines seditiosi, reiecti & ab officiis remoti fuerant: & ideo in eorum lo-
 30 cum substituerunt Phoebum Monisium, & Emanuelem Sofam Pacecum. Erat ex osus re-
 gi Henrico Salema propterea quod veluti Syndicus Lisybonensis, regi dixerat se intelle-
 xisse, agi non tantum de lite successionis decidenda, sed etiam de pactis conuentis, quae
 quidem fas non esset, populo inconsulto iniri. Cum vero Rex respondisset populum esse
 tantarum rerum incapacem: subiecit Salema se mirari regem habere populum illum pro
 incapaci, quem tamen ipse satis iudicii habere existimasset, ad Coronam sibi imponen-
 dam: quae oratio regi indignationem mouit. Haec mutatio procuratorum occasionem
 praebuit variis vulgi sermonibus. Rex enim aperte aduersari populo, & non nisi sibi gra-
 tos procuratores admittendo, vi in conuentu id, quod volebat, obtinere velle videbatur.
 Ceterum illi, quibus vera huius rei causa perspecta erat, & qui Emanuelem cum tota fa-
 40 milia Portugallorum merito in hoc casu repudiatum fuisse norant, factum Regis lauda-
 bant. Erant Portugalli suspecti. Nam cum Ioannes Portugallus, Episcopus Guarden-
 sis, frater Emanuelis, altiores quam pro fortuna sua spiritus duceret: non tantum aequa-
 libus suis se antepone non dubitabat, sed etiam Cardinali, qui nondum Rex erat, debi-
 tam reuerentiam non exhibebat: vnde inuicem inter ipsos odium natum fuerat: cumque
 Cardinalis, vt aemulo alas incideret, scriptum, in quo Iohannis mali mores, vita dissoluta
 & negligentia in administrando Episcopatu, continebantur, ad Papam misisset, Episco-
 pus Romam, ad rationem coram Papa reddendam proficisci, veluti vi coactus fuit. Tulit
 longe molestissime Episcopus hoc incommodum, praesertim quod, cum Romam con-
 tendens in aulam Hispanicam diuertisset, Rex Philippus, causa itineris intellecta, eum,
 50 quantumuis, rogatus, in conspectum admittere nolisset. Itaque etsi iam Cardinalis Rex
 factus esset, tamen odium non cessabat: cumque Iohannes se aliter eum vlcisci non
 posse videret, quam consilia illius impediendo: intelligeretque eum hoc agere, vt regnum
 Philippo traderet, constituit manibus pedibusque oblectari, & hoc pacto vna, eademque
 opera iniuriam ab utroq; rege sibi illatam vindicare. Inita itaq; conspiratione, Episcopus,
 Emanuel frater, Franciscus Comes Vimiosius, nepos illius, (qui & paternas & proprias si-
 multates cum Cardinale exercebat) & alii cognati, & amici, adhærere partibus Antonii,
 Prioris Cratenfis, eum ad regni coronam euehere, aura populari freti constituerunt.
 Ceterum, Rex Henricus, cum iure Philippi cognito, decreuisset eum ad successionem re-
 gni vocare, & indicere conuentum, misit Paulum Alfonso Doctorem, cuius fidei

multum tribuebat, Villauizofam, vbi erat sedes Ducis, & Ducissæ Braganciæ, vt illis indicaret; regem, qui successionem iure ad Philippum pertinere, & sententiã iam iam pro ipso pronuntiandã esse, videret, voluisse eos in tempore admonere, vt cum Philippo transigerent. Verum illi, hanc admonitionem parui facientes, & in alium sensum eam interpretantes, neglexerunt hanc occasionem, ad quam amplectendam eos etiam ministri Hispanici cohortati fuerat. Interim inchoatus fuit primus actus huius conuentus in palatio Almerinensi 9. die Ianuarii, præsentem Rege, quem, quia vehementer ægrotabat, sellæ infidentem importarunt: Antonius autem Pignerus, Episcopus Leinensis, homo eloquens, orationem habuit multis verborum luminibus insignem. Dicebat Regem omnes curas suas, cogitationesque conferre ad promouendam vtilitatem communem totius orbis Christiani, ad conferuandã & augendam religionem nostram Catholicã, pacem, & tranquillitatem subditorum. Quia vero cuperet satisfacere officio suo, & vestigiis præscorum regum, & maiorum suorum, vt & in tota vita sua fecisset, insistere, ac, tanquam Princeps, iudicio maturo & longo vsu præditus, & prudens rerum æstimator, intelligeret, quanti Reipublicæ interesset, se viuo declarari, quis post mortem suã sibi iure successurus esset; eum maximam cogitationum partem ponere in liti illius decisione, idq; tanta cum sollicitudine, & animi contentione, vt, dum neq; varietate multorum, & grauissimorum negotiorum, neq; diurnæ inualetudinis incommodis se à proposito auocari patitur, rem Dei benignitate, prope ad sententiæ pronuntiationem perduxisset, vt ab ipsis rogatus fuisset, & quod ab omnibus merito auidissime expectari deberet. Cum itaq; causæ decisio in eo statu esset, visum esse regi, illos ad conuentum vocare, vt cum ipsis de multis ad religionem, tranquillitatem, & vtilitatem Regni spectantibus, ageret; quæ omnia paulo post prolixius omnibus exponenda curare constituit: Exhortabatur illos, vt reuocatis in memoriam mysteriis, quæ superioribus diebus festis, fidelibus Christianis representata fuerat, orationibus, sacrificiis, bonis operibus, & eleemosynis se præparent ad recipiendã diuinæ sapientiæ lucem, quam Deus semper communicaret illis qui se ad accipiendam illam pararent, & sine qua omnis prudentia humana, quantumuis circumspecta nihil recte administrare posset. Quod si facerent, Spiritum Sanctum vna cum gratia sua in animis ipsorum habitaturum, mentes illorum illustraturum, voluntates illorum conformaturum, vt omnia, quæ agerentur, & à rege constituerentur, quam gratissima Deo essent, & quam maxime ad ipsius gloriam, propagationem religionis, & tranquillitatem, ac vtilitatem regni conducerent, quem scopum semper Rex habuisset, & quem præcipue haberet in præsentem negotio, quod vt cū incommodo valetudinis, ita eum sanctissimo zelo suscepisset. His dictis, Emanuel Sosa Paceus, procurator vrbs Lisybonæ, surgens, dixit: Quandoquidem diuina prouidentia inter tot regni calamitates ipsis Henricum Regem præesse voluisset, omnes ab ipsius virtute sibi polliceri, fore, vt malis imminentibus mature remedium adferret. Omnibus perspectum esse regem, amore & studio pacis inter subditos conferuandæ, ne quidem propriæ valetudini parcere: & pro tanto beneficio illos Regiæ Maiestati, quantas maximas animo concipere possent, gratias agere, simulq; demisse offerre antiquam, & constantem fidem, amorem & obedientiam, quam Lusitani superioribus regibus, maioribus illius, præstare consueverunt. Hac oratiuncula finita, tympana pulsari cœpere, & Rex in conclaue suam reportatus fuit. Quia vero oppidum Almerinense paruum est, omnes Procuratores diuersabantur in vico Sanctarenæ, qui non procul inde in opposita Tagi ripa situs est, & in monasterio S. Francisci consultatum conueniebant. Rex totus erat in eo, vt ex conuentu aliquis fructus perciperetur, & alternis comitate, & seueritate utebatur: veruntamen valde metuebat, ne frustra laboraret. Etsi enim effecerat, vt Lisybonæ procuratores eligerentur, qui Regi satisfacerent: tamen in reliquis ciuitatibus non statim idem obtinere poterat: præterquam etiam quod non satis seiret, quibus potissimum fideret. Et intelligebat Coimbrienses tumultuari, & Camerales eius vrbs vna cum nonnullis ciuibus, Prioris Cratenfis partibus additis, de negotio successionis ignominiose loqui: quo quanquam ad tumultum sedandum, & seditiosos puniendos Martinum Corream Syluium ablegasset, tamen ille à Coimbriensibus sanis exceptus, re infecta, redierat. Nec profuit quidquam, quod Rex hanc ob causam Arriam Gonzalesium Macedium procuratorem illius ciuitatis, in vincula conici iussisset. Fuit enim paulo post liberatus. Cepit Rex magnam voluptatem ex responso, quod ipsi ordines Ecclesiasticorum, & nobilium dederant. Cum enim ipsis demonstrasset, quantum ponderis haberet actio regis Philippi, & dixisset consultum sibi videri, vt cum eo transigeretur: illi magna cum animorum submissione gratias egerunt. Hoc tamen verum est, inter nobiles diu disceptatum fuisse, antequam communi consensu in hanc sententiã descenderent. Cum enim in vniuersum essent 28. & res suffragiis ageretur, vnico voto